[illegible]

Spring 1939

1500.-

2 tomes en 1 vol.



AMSTELODAMI 1669.

ATHANASII KIRCHERI
E Soc. JESU

ARS MAGNA SCIENDI,

In XII Libros Digesta,

QUA

NOVA & UNIVERSALI METHODO

Per Artificiosum Combinationum contextum de omni re proposita plurimis & prope infinitis rationibus disputari, omniumque summaria quædam cognitio comparari potest.

AD

Augustissimum Rom. Imperatorem

LEOPOLDUM PRIMUM,

Justum, Pium, Felicem.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM à WAESBERGE,
& Viduam ELIZEI WEYERSTRAET. ANNO CIↃ IↃC LXIX. *Cum Privilegiis.*

JOANNES PAULUS
OLIVA,

Societatis Jesu Præpositus Generalis.

Cum Tomum primum Artis Combinatoriæ P. Athanasii Kircheri, nostræ Societatis Sacerdotis, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lumen edi posse probaverint, potestatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur: cujus rei gratia has literas manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas damus Romæ 1. *Septembris* 1665.

JOAN. PAULUS OLIVA.

JOANNES PAULUS
OLIVA,

Præpositus Generalis Societatis Jesu.

Cum Secundam partem Artis Combinatoriæ P. Athanasii Kircheri, nostræ Societatis Sacerdotis, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in Lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. Datum Romæ 19. *Julii* 1666.

JOAN. PAULUS OLIVA.

Imprimatur, si videbitur Reverendiss. Patr. Mag. Sacr. Palat. Apost.
OTTAVIANUS PATRACENSIS Episc. Vicegerens.

Imprimatur, Fr. HYACINTHUS Libell. Sacr. Palat. Apost. Mag.


LEOPOLDUS D. G. ROMAN: IMPERATOR
SEMPER AUGUSTUS, GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEM:
ETC. REX. ARCHIDUX AUSTRIÆ. DUX BURGUNDIÆ.

LEOPOLDO I.
ROMANORUM IMPERATORI,
Semper Augusto, Justo, Pio, Felici.

Vitam & Felicitatem precatur Athanasius Kircherus è Soc. JESU.



Ihil, quam omnia ſcire, divinius eſſe, CÆSAR SACRATISSIME, Plato pronunciavit, ſcitè ſanè, & pereleganter: Uti enim Scientia intellectum illuſtrat, expolit mentem, Veritates venatur æternas; ita ex pulcherrimarum rerum amore mox concipit, paritque filiam altiſſimarum rerum exploratricem Sapientiam, quæ humanæ beatitudinis limites longè ſupergreſſa, ſuos Angelicis jungit Choris, & ad ultimum Divinitatis provecta Thronum Divinæ conſortes naturæ facit poſſeſſores. Et quoniam à diviniori Mundi Curia ſua captat conſilia, & ad inconcuſſam mundanæ adminiſtratio-

nis normam & exemplar, sua tum Ethicæ, tum Politicæ doctrinæ confirmat dictamina: Hinc per eam Reges regnant, Jura Legesque Imperiorum constituuntur, Religione firmantur populi, sanitas stabilitur Orbis Terrarum. Hujusmodi Artem, Scientiarum omnium investigatricem FERDINANDI III. Parentis TUI Sapientissimi, dum inter vivos ageret, Imperio inceptam, jam tandem suis absolutam numeris, ante Augustum depono Solium Sacræ Majestatis TUÆ; & quam Ille fama duntaxat perceperat; eam TU GLORIOSISSIME CÆSAR, tanquam Magnæ Mentis TUÆ Capacitati debitam, veluti Genuinus Paternæ GLORIÆ Hæres, TUI ex asse JURIS fecisti; nec immerito; cum Virtutum eximiarum summam, quantumcunque verna & vivida Indolis TUÆ lætitia potuit, ita adimpleveris, ut in magnarum Cogitationum moliminibus, quæ in Mundi bonum alto premis pectore, gygantæos hucusque passus fecisse videaris; dum in vires summis rebus maturas exurgis, tanta famæ celebritate & claritudine, ut videatur aliquid à fortuna TUA majus Romanum exspectare Imperium, quàm ipsum TIBI dederit; tantâ prudentia & fortitudine, ut id adeptus com-

composueris citius, quam Æmuli Tui struendis technis distenti id adverterint; tanto denique Religionis ardore, ut nescire videaris posse, quod posse non debuisti; adeóque vel ipsi hostes Tui nil ingerant sæpius, quàm Nominis Tui dotes, in quo omnia ad æternitatem conspirant, imperio nobilissimo, & indole nobiliori; neque hoc mirum alicui videri debet: Habent enim Divinos Regiæ Mentes impetus, quales in Heroibus extitisse scribit Aristoteles, cujusmodi in Te motus & instinctus esse qui neget, non is tam Tuæ iniquus Gloriæ, quàm infestus Divinæ, in utramque ingratus habeatur. Deus est, profectò, Deus est, qui Tibi Cæsar in ætatis Vere constituto, parem tot rebus providendis, obeundis, perficiendis, animum dedit, quibus vel tentandis vix humana vita par foret. Habes hunc authorem captandorum Consiliorum, hunc exequendorum ducem & præsidem; hic in dubiis perplexisque lucem objicit Menti Tuæ, ut non tam de incertis æstimare sapienter, quàm præsaga quadam mente prospicere futura videaris. Cum itaque tanta Scientiæ plenitudine polleas; Certè Tu unus Tutor legendus eras, qui hanc meam *Sciendi Artem*,

partum

partum & novum & rarum, pro ingenii TUI ſagacitate non tantùm judicare poſſes, ſed & eundem adverſus Obtrectatorum contentionem, Authoritate confirmare TUA, & amplitudine potentiæ, tutum illius novitati adferre præſidium. Quod dum facis, Ars Magna interim Cæſareo approbata judicio, inoffenſo pede Mundi fines percurrat, LEOPOLDI Cæſaris narret Magnalia, cujus patrocinio revixit, cujus imperio reſtituta eſt. Vale CÆSAR, Chriſtiano Orbi diu ſuperſtes.
E Collegio Romano. Soc. JESU.



LECTO-

LECTORI
BENEVOLO S.



Eleberrima nullo non tempore Raymundum Lullum inter & Peripatum, acerrimis agitata velitationibus lis fuit & controversia: Siquidem iis, quæ in ea Arte, quam Magnam & Inventivam Veritatis vocat, pollicitus est, tantâ Orbem admiratione complevit, ut vix ullus ex Academicis palæstris adeò reconditæ doctrinæ avidus sectator inventus sit, qui suas in ea aut explicanda, aut confutanda, ingenii vires non impenderit; Nonnulli vastissimis in eam conscriptis Commentariis obscura quævis cimmeriisque involuta tenebris penitissimè se dilucidasse non sine Reip. Litterariæ emolumento crediderunt; at hoc egerunt, ut tenebris tenebras adderent. Quidam Thrasonico spiritu tumentes, Artem intimè se callere potius jactitarunt, quàm opere compleverunt. Non defuerunt, qui Factiones Lullianæ. *cùm reconditiora Artis latibula aut non penetrarent, aut ægrius Artem in usum aliquem humanum hucusque desideratum converti posse judicarint, desperationis impetu in transversum acti, Authorem mille opprobriorum generibus explosum, veluti imposturæ & ψευδοτεχνίας crimine obnoxium publicis scriptis condemnarint; adeò quidem, ut celeberrimum dogma in aperta factionis discrimina divulsum, complures neque ignobiles hujus doctrinæ fautores defensoresque alacerrimos; plures econtrà, non dicam novæ doctrinæ sequaces, quin imò fastuosissimos cavillatores, acerrimosque Antagonistas invenerit. Qui Authoris sectantur dogmata Lullistæ, eum miris encomiorum titulis non in Cœlum tantùm efferunt, virum sanctitate & religione plenum, utpote qui exoticam quandam, atque ab omni humani consortii necessitudine remotam vitam in monte Randa egerit, ubi divinarum rerum contemplatione absorptus admirandum hoc doctrinæ genus veriùs supernâ luce, & Spiritus Sancti dictamine, quàm intenso studio & insitâ ingenii sagacitate & labore comparaverit, eum vel ex hoc capite πανεπίστημον καὶ θεοδίδακτον asseverantes; quæ Nicolaus Caussinus in ejusdem vita eleganti & terso stylo descripta, fautor Lulli, amplius prosequitur. Surrexerunt tamen posteris temporibus nonnulli ægrioris animi Aristarchi, qui severioribus obeliscis Virum innocentem invadentes,* Lulli persecutiones. *adeò indignis modis pupugerunt, ut præter imposturæ & sycophantiæ piaculum, eum de hæreseos quoque & Necromantiæ nefando crimine imprudentius accusare non sint verecundati. Ego in tam perplexo*

negotio dubius & anceps cuinam parti subscribam, nescio. Hoc scio, Lullum hominem DEO deditum & S. R. Ecclesiæ propagandæ zelo ardentissimum, (uti ejus relicta posteritati monumenta sat superque testantur) virum fuisse. Sed progredior ad propositum nobis scopum, quod est doctrinæ Lullianæ examen. Non ignoro, Nicolaum Eimericum primum omnium fuisse, qui (an ignorantiâ an livoris æstro percitus id egerit, nescio) ad ducentas ex ejus monumentis Orthodoxæ fidei contrarias (ut ipse quidem putabat) propositiones compilando, Gregorio XI. *Avenione tunc temporis residenti oblatas, Censuræ Ecclesiasticæ subdiderit, obtentâque per subreptionem Bullâ Pontificiâ, Authorem unà cum Libris tanquam hæreseos nota infamem publico judicio condemnârit. Quæ quidem sententia iniquior, uti eorum qui Lullo favebant, animos vehementer succendit; ita nullum non lapidem moverunt, ut injustæ condemnationis causas, & damnatæ doctrinæ propositiones perperam expositas ad incudem revocarent; quod tandem operâ Bernardi Ermengandi Ord. Præd. Provincialis per duodecim peritissimos SS. Theologiæ Doctores à se in hunc finem coactos, ea, qua par fuit, æquitate præstitum fuit. Unde anno* 1419. *Martini* V. *Pontificis authoritate, Alemannus tit. S. Eusebii S. R. E. Cardinalis re maturè considerata, agitatæ causæ pendentem litem nova impetrata Bullâ, per Bernardum Castelli Episcopum in favorem Lulli tandem decîdit, Bullamque Eimerici à Gregorio* XI. *dolosè extortam, veluti subreptitiam, vanam, irritamque ab omnibus haberi voluit; quam deinde Concilium Tridentinum Hispanorum sollicitatione per novos ad id delectos Theologos post recognitam causam, ratam habuit confirmavitque, Librosque Lullianos veluti ab omni hæresios suspicione alienos tutò legi posse indulsit. Accessit hisce amplissimum Caroli* V. *Cæsaris in favorem Artis Lullianæ privilegium, cum cæteris Pontificum indultis, ad quæ, cùm Lulli monumentis passim annexa sint, Lectorem remitto.*

Doctrina Lulli, condemnata, per subreptitiam bullam.

Lullus restituitur Authoritate Apostolica.

Caroli V. Cæsaris privilegium in favorem Lulli.

Tanto itaque favore Bullarum factum est, ut deinceps paulò mitiori oculo Lulliana dogmata aspicerentur, compluresque laudabili curiositate instimulati, dum Artis Principia paulò profundiùs rimarentur, tantum abest, ut quicquam in iis veritati absonum, ut potius ceu fœcunda quædam omnium Artium & Scientiarum seminaria deprehenderint, unde veluti ex Equo quodam Trojano ingens mox Commentatorum turba emersit, quamvis vix ullus inventus sit, qui ex abstrusæ artis caligine, tum propter ineluctabilem ejus difficultatem, tum ob inconditum obscurumque dicendi genus, plenè se evolvere valuerit.

Qua-

Quapropter cùm in Artis experimento non ſine temporis jactura fruſtraneo conatu occuparentur multi, tum magna auctoritate ſpectatiſſimi Principes; tum in omni literaturæ genere illuſtres Viri; Quos inter merito primum locum obtinet Sapientiſſimus FERD. III. Cæſar; meum tandem de doctrina Lulliana judicium, hiſce quæſitis; Num dicta Ars eum quem in acquiſitione ſcientiarum ſpondet Lullus, uſum cum deſiderato fructu præſtare poſſit? Num ſi nonnihil ad eam addiſcendam temporis impenderint, operæ pretium ſe facturos judicem, & utrum alia promptior & ad operandum expeditior methodus inveniri poſſit? *iteratis à me precibus obnixè efflagitare non ſunt dedignati. Quorum laudabili Curioſitati pro mea tenuitate ingenii conſulturus, ut nonnullam Arti pæne conclamatæ lucem adferrem, Artem Magnam Lulli ſine mora aggreſſus, à fronte ad calcem uſque ſingula annotando, ſingula cum ſingulis combinando, ſumma mentis reflexione pervolvi. Sed ut quod res eſt, fatear, iter tot impeditum ſcopulis, tot ſpinis & tribulis implicatum, tot ſalebris & ſenticetis horridum reperi, ut parum abeſſet, quin ex deſperato labore & calamum & animum abjicerem; Hinc enim me deterrebat terminorum ad principia reducibilium inopia; illinc Alphabeti non niſi ex* IX *literis concinnati oppidò macilenta digeſtio, fruſtranei laboris metum incutiebat; ibi ad Artis penetralia aditus verè labyrinthæi mirè me dubium ancipitemque reddebant; illic conglobata propoſitionum terminis inuſitatis involutarum temerè & ſine methodo & luce digeſtarum copia, fluctuantis animi impetum mirè torquebant; Vicit tamen abditi ſtudii tricas aſſidua comes mentis conſtantia, mitigavit labores inexhauſtos incogniti ſtudii ardens deſiderium, difficultates ſubegit omnes inſitus mihi à natura ad ſtudia illa ob impenetrabilem difficultatem pæne derelicta promovenda affectus ſane incenſiſſimus. Reiterata itaque Lectione, ſingulorumque intima expenſione peracta, altius tandem mihi lumen affulſit, advertique id quod vulgò ferebatur, ſub principiis Lullianis, veluti ſub rudi quodam Sileno ingentia Scientiarum cimelia latere, quorum expenſione Reſpub. mire locupletari poſſet; Methodus tantùm & applicatio practica facilem & probabilem principiorum ad omnes artes & ſcientias adaptationem deſiderare videbatur, ſine quibus nullam Artis addiſcendæ ſpem ſupereſſe comperiebam.*

Author conſulitur circa artem Lullianam.

Difficultas in arte Lulliana.

Novâ itaque Artis Ichnographia in chartam conjecta, novi operis conſilium inivi, in quo remotis omnibus difficultatibus & impedimentis, facilem, claram & expeditam methodum exhiberem, quam Opus hoc, *quale-*

Quid Author in hoc Opere præſtiterit.

qualecunque tandem illud ſit, complectitur. Sed operis ideam evolvamus.

Idea Operis & digeſtio. Lib. I. Methodus Lulliana.

Ut ergò Lector, quid Lullus, quid ego in inſtauranda Arte præſtiterim, uberius cognoſceret, In Primo ſtatim Libro Lullianam methodum præmittendam duxi, cui meam in eodem Libro parallela quadam comparatione oppoſitam expoſitamque ſubjunxi; Alphabeta Lulliana novis adinventis Characteribus ſigniſque ad faciliorem in exercitio Artis progreſſum immutavi; terminos qui ad ſingula principia quovis modo revocari poterant, juxta ſolitas Combinationis leges ad formam ſyllogiſticam reduxi, reductas paradigmatis, ubique appoſitis, quod unicè deſiderabatur, ſtabilivi. Liber II. principia explicat. *In Secundo Libro Lector omnia principia, magna paradigmatum varietate expoſita reperiet.*

Cùm verò hæc ſine Combinatoriæ Artis amuſſi ad intentum de qualibet re ratiocinandi ſcopum, Lectorem nequaquam pertingere poſſe viderem; Lib. III. & IV. Combinatoriam Artem docet. *in Tertio & Quarto Libro fusè de Lulli methodo noſtris principiis applicata, & de Combinatoriæ Artis legibus præceptiſque egi; ubi & modum rationemque qua propoſitam quamvis materiam in innumeras propoſitiones & argumenta dilatatam traducere quilibet poſſit, oſtendi; Tabulas novas Combinatorias, quæ Artis præſtantiam oſtenderent, condidi.*

Et cum fieri non poſſe viderem, ut Tiro Artis noſtræ fretus ſubſidio in Scientiarum, quarum principia, objecta ſubjectaque neſciret, applicatione ſperato cum fructu progrederetur; hinc ſtatim Libro Quinto, omnium Artium & Scientiarum Synopſin expoſui, àtque Anatomici ſectatus veſtigia, ſingulas Artes & Scientias in ſua membra minutim diſtribui, ne quicquam quod in Artis aſſecutione Lectorem removere poſſet, reliquiſſe viderer.

Cùm præterea ſine prototypo, (cujus perpetuo intuitu rectè operaretur Tiro,) quodpiam picturæ genus ſcitè adumbrare, requiſitisque colorum differentiis adornare, difficile futurum judicarem; hinc ante omnia Theologicam facultatem Artis noſtræ penicillo ſecundum omnes partes, utpote quæ principem inter ſcientias locum obtinet, deſcribendam duxi, quod in Sexto Libro quàm fuſiſſimè præſtitum eſt.

Reſtabat Artis noſtræ in reliquis Artibus & Scientiis procedendi modus & ratio, quem Septimus Liber, qui totus paradigmaticus eſt, fuſe demonſtrat; ſiquidem in Metaphyſicis, Logicis, Phyſicis, Medicis, Mathematicis, Juridicis, Canonicis, Aſceticis, Rhetoricis quæſtionibus ea præſtat ſpecimina, quæ Tironi aſſiduo ad innumeras alias deducendas fili Ariadnæi loco eſſe poſſint; Inveniet & ibidem

novam

novam ſcribendorum Librorum rationem & methodum, hoc problemate contentam: Dato quolibet argumento & ſubjecto, illud juxta Artis noſtræ regulas in Sectiones, titulos, capita, paragraphos, adeò ſcitè diſtribuere, ut inde ſcripturus ſine ullo aliorum librorum uſu, & ſine ulla capitis defatigatione, inexhauſtam ſcribendi dicendique materiam nanciſcatur. *Quæ res uti à nemine hucuſque tradita eſt, ita dici vix poteſt, quantum extemporanea in operibus conſcribendis delineatione facilitatis juxta atque utilitatis adferat. Multa denique longa hujus Artis exercitatione detexi, prorſus paradoxa & ultra fidem humanam admiranda, quæ cum in calce Operis recenſuerim, hic iis diutius immorari nolui. Ad pragmaticam denique applicandæ Artis rationem quod attinet, Lector non hic novas ſententias expectet, ſed in Scholis & cathedris tritiſſimas, & ad mentem D. Thomæ, cæterorumque Scholaſticorum, juxta Artis regulas deductas. Terminos quoque, quos in ſuis argumentis demonſtrandis, barbaris planè & ab auribus Scholaſticorum alienis utitur Lullus, in uſitatos paſſim & nulli non notos conſultius (ne quicquam occurreret, quod Tironem ab artis noſtræ exercitatione alienum reddere poſſet,) convertimus.*

Habes itaque Lector paucis meum de Lullianæ Artis doctrina emendanda reſtituendaque conſilium; In quo ſi non exſpectationi Literatorum ſatisfeciſſe videbor, meam in omnium Artium difficillima & abſtruſiſſima explicanda, ingenii imbecillitatem excuſes velim, memor iſtius; in magnis, non dicam tentaſſe, ſed voluiſſe tantum ſufficere; Si verò nonnihil hac mea opera lucis, conclamatæ pænè Arti attuliſſe, æqui rerum Cenſores judicaverint, id totum ſupernorum Patri Luminum, totiuſque inexhauſtæ Lucis fonti & ſcaturigini acceptum ferent. Vale Lector & conatibus meis fave.

R. P. FRANCISCI MACEDO
A S. Auguſtino Provinciæ Luſitaniæ Theologi,
DE HOC
OPERE JUDICIUM.



Librum quem R. P. *Athanaſius Kircher* Soc. JESU Artem Magnam Sciendi inſcripſit, & legi attentè, & diligenter recognovi: nihil inveni, in quo offenderem: omnia in tanta mole Operis explicata (ea vis eſt methodi) reperi. Imo filum ad illum quaſi Labyrinthum Artis Lullianæ permeandum, & evadendum, cujus difficultates hactenus terrebant ab ingreſſu animos, aptiſſimum legendo ſum expertus; Magni eſt ingenii partus in illa capaciſſima doctrinarum Athanaſii mente conceptus, ac dignus, quem Magna parens Authorum Societas inter pulchros & mirabiles, quos ſolet edere, fœtus recipiat & tueatur. Quod ſi cui mea huic Operi commendatio uſui eſſe poteſt: Ego inventionem ingenioſam, diſpoſitionem aptam, methodum facilem, eruditionem eximiam, elocutionem propriam in eo deprehendo. Multarum & maximarum rerum notitiam, omnium pænè quæ præceptis traduntur diſciplinarum cognitionem, innumera ad probandas ſingularum poſitiones argumenta, & idonea ad eaſdem illuſtrandas paradigmata, & miram in tanta varietate concordiam admiror. Et ita apud me ſtatuo; Authorem aliis, quæ multa edidit in lucem, operibus, multum famæ collegiſſe; ſed & hoc plurimum gloriæ collecturum: quæ in Societatem, cui tantos iſtos profectus debet, parentem haud dubiè redundabit. Illud confirmo, hoc opus diligenter lectum & accurate recognitum, cùm Heterodoxis, & qui ſibi nimium ſcire & ſapere videntur hominibus, multum de arrogantia detracturum; Orthodoxis verò, qui ſapientiâ & modeſtia juxtà pollent, non parum emolumenti allaturam. Hoc meum eſto de Opere judicium, qui ut minus rectè judicem, liberè ſanè ſoleo judicare. Romæ in Collegio de propaganda fide. 6. Kal. Martias Anno MDCLXI.

F. FRANCISCUS *à S. Auguſtino Macedo Theologiæ Profeſſor & Lector Jubilatus in Collegio de propaganda fide controverſiarum & in Almæ Urbis Academia Sacræ Hiſtoriæ Lector & S. Officii Qualificator.*

R.P. Thomæ de Leon,

S. Theol. in Granatensi Acad. Professoris,

De

ARTE MAGNA JUDICIUM.

R. P.  Thanasii Kircheri *Soc. nostræ propter eximiam doctrinæ & reconditæ eruditionis famam ubique Terrarum satis noti Librum de Arte Combinatoriâ legi, quâ potui diligentia; Et seposito jure amicitiæ, quâ glorior, & amotâ auctoris apud eruditos quosque præclara existimatione, quoniam censuræ operis præjudicare poterant; Primo agnovi operis institutum & finem: est Prædicamentum universale & methodum catholicam pro disciplinis omnibus tradere; quod olim & nunc tentatum à multis, ab omnibus doctis desideratum. Prædicamentum Aristotelis multis magnis ingeniis displicuit, adeò quod indignum tanto Philosopho rati fuerint. Et post D. Thomam sic censentem passim de illo tenuia proferuntur. Superinducta fuit superioribus sæculis decantatissima Ars Lullii barbaro ævo nata, sed bona mente concepta, idcirco mirabiliorem apud aliquos plausum nacta; apud alios mirabilem cum indignatione despectum, propter rudem verborum corticem, neque uberes ex tanto conatu proventus; obtinuit tamen illius lectio in nonnullis Academiis. Illa ars subinde in prima hujus Libri parte, ita à sua nocte in apertam lucem extrahitur, ut amplius refuga diei, & inimica lucis judicari non possit, nihil luculentius in hac parte à quantolibet magno viro expectari poterat: sed quantum intersit inter lucem & tenebras, solum dijudicare poterit, qui contulerit hæc scripta Taraconensi Commentatore Raymundi, Majoricensibusque. Petrus Gregorius illis multo eruditior est, sed solum excolit primam faciem, & conspectum doctrinæ in penitiora non penetrat, & cum omnia ex Lullio habeat, ex invidia fuit quod nec semel ipsius meminerit, per quem profecerit. Demum noster Athanasius per Combinationem, analysim, analogiam miro auctuario locupletem & ditiorem facit methodum, & ni fallor longo intervallo superat, qui magna in hac parte præstitisse putantur. Usum Artis, qui deest in brevi, sed accurata expositione Augustini Nunez Delpadillo in diffuso digesto Juonis Parisini, & aliis, plane exponit vel rudibus. Idcirco librum dignissimum existimo qui publice imprimatur ad communem utilitatem, cum alias neque bonis moribus, neque fidei Catholicæ in ullo absonet. Ita judicabam. Romæ in Domo Professorum Societatis* Jesu. *Die* 18. *Septembris, Anno* 1661.

Thomas de Leon.

IDEA

IDEA
ARTIS MAGNÆ
SCIENDI.

PARADIGMATA SCIENTIARUM,

Quibus Ars noſtra applicatur.

1. *Theologiæ Scholaſticæ.*
2. *Theologiæ Poſitivæ.*
3. *Theologiæ Moralis.*
4. *Theologiæ Aſceticæ.*
5. *Controverſiarum.*
6. *Metaphyſicæ.*
7. *Phyſicæ.*
8. *Medicinæ.*
9. *Logicæ ſive Dialecticæ.*
10. *Juris Civilis.*
11. *Juris Canonici.*
12. *Politicæ.*
13. *Ethicæ.*
14. *Mathematicæ.*
15. *Rhetoricæ ſive human. litterar.*

Quibus univerſæ Encyclopædiæ ambitus abſolvitur.

O. A. M. D. G. V. Q. M.

ARTIS

ARTIS MAGNÆ SCIENDI, *SIVE* COMBINATORIÆ, LIBER PRIMUS ISAGOGICUS,

QUO

Ars Magna Lulliana examinatur, Commissi ab eo defectus indicantur, Artis Magnæ structura nova exponitur, Elementa & principia declarantur, Canones & præcepta præscribuntur, Totius tandem Artis methodus & ratio ob oculos curiosi Lectoris per varia paradigmatum specimina ponitur.

PARS I.

De Artis Magnæ, sive Combinatoriæ, modo, definitione, inventione, propagatione.

CAPUT I.

Quid sit Ars Magna Sciendi, seu Combinatoria.



ARtem Magnam, sive Combinatoriam, felici Numinis ductu, auspicamur; Artem, inquam, artium, Scientiarum officinam, fœcundum mentium seminarium, totius humanæ cognitionis clavem, quâ ad rerum omnium, quæ sub intellectûs notitiam, cognitionemque, quovis modo pertinent, aditus patet amplissimus; unde eam non meliori, quàm Artis Magnæ nomine, indigitandam duximus. Artem inscribimus Combinatoriam, quia sagaci mentis scrutinio, omnia singulis, & singulis singula, aptè comparat, pulchrè componit, & exactè distribuit, in absolutissimum humanæ mentis ædificium. Hæc est Diaphanti nobilis Mathematici τέχνη ἐπιζηλυκὴ, quâ ex paucis, iisque lumine natutæ notis principiis, altissima quævis Arithmeticæ, & Geometriæ sacramenta aperit, tantâ mentis fæcunditate, quantâ nobis monumenta ejus sat, superque demonstrant. Nostra verò methodus, non facilis tantùm, expedita, & obvia; sed & universalis est, quæ non unius artis freta molimine superbit, sed per artificiosum Combinationum contextum, cum universa Encyclopædia arctissimum conjugium meditari videtur, artificio prorsus admirabili, per doctrinam scilicet ordinum, circulosque methodicos ad naturæ exemplar fabricatos, quorum adminiculo non tantùm inveniendæ, tradendæque Polypædiæ methodus

Artis præstantia.

 thodus

thodus universa comparatur, sed & artes quælibet, sive scientiæ, omnesque rerum abditissimarum rationes, à natura sumptis exordiis, per varios ascensus, descensusque, & circuitus animorum, tradi & investigari possint. Cujus quidem universam gloriam ab ipso vestibulo spectandam protinus exhibere operæ pretium non duxi, tum quòd illius ambitum, atque latè exporrectam ditionem, nemo perlustret facilè, nisi ingressus altiùs vel ad ipsa usque penetralia mentem direxerit suam; tum quòd ejusdem fulgor, atque infanda acies, ita omnes perstringat animi nervos, omnemque exuperet dicendi facultatem, robur, & copiam, ut nullum sit adeò fæcundum ingenii flumen, nulla tam studiosè affectata oratio, quæ veræ laudis hujusmodi, speciem vel magnitudinem, comprehendat. Unde præstat, eam non tam, longè quæsitis encomiis, prosequi; quàm, quod in Ægyptiorum mysteriis fieri solebat, solo silentio, Numinis instar, venerari, contenti scilicet usus illius imagine rudiuscula, dum sese Silenus hic prorsus aperiat, radioque divinitatis repentino cuncta perfundat. Sed, ut ad propositum nobis institutum revertamur: scire te velim, Lector, totius hujus inventionis rationem, velut duobus Cardinibus versari, quorum primus est ipsa Combinatio principiorum inter se, quod fit per Synthesim, quam compositionem vocant, nihilque aliud est, quàm complurium principiorum prædicatorumque ad unitatem reductio, vel ex unitate in multitudinem rerum, haud secus ac fontis in innumeros rivos deducti diffusio, quam analysin sive resolutionem dicimus. Alter Cardo est, Ars Analogica, quâ per diversas similitudinum umbras minima in maximis, media in infimis, supremisque, suprema in mediis, infimisque; verbo: omnia in omnibus suo modo esse deprehendimus, adeòque nihil in universa natura rerum esse, quod non omnibus, & singulis, sub certa proportione, & analogia respondeat; eo ordine, & progressu, ut, qui eam exacte calluerit, illi in artium, & scientiarum encyclopædia intimè penetranda quoad nostras regulas nihil denegatum esse videatur. Hisce duabus Combinatoriæ, & Analogicæ artis alis, in altum contemplationis pelagus, longè sublimiori carpento, quàm quo olim Triptolemum usum ferunt, delatus, rerum singularum imagines, & similitudines, consensuum, dissensuumque leges longè firmissimas animadvertens, easdem simul & unitate vidi & multitudine regi, agentium rerum passibiliumque Sympathiâ prognatas, causarum antipathiâ dissolvi celeriter, interitusque vicissitudinem operire. Particularium quoque rerum rationes, sub generalium quorundam principiorum cortice expressas latere; quorum cognita distinctione, particularium non latet distinctio, adeoque cujusvis artis constitutionem ex propriorum à communibus differentia oriri, protinus mihi innotuit; ubi enim prius multorum intellexi communionem, non prius desistendum esse ratus sum, quàm omnes in eo, quæ speciebus clauduntur, differentias eruissem; dissimilitudinum plurimas in multitudinem rerum umbratiles imagines, non prius in aspectum, lucemque propatulam duci posse expertus sum, nisi prius cuncta, quæ cognitione quâdam perfruuntur, intra unam cognitionem, proprietatemque conclusa, unius generis essentiâ vestiantur. Atque hæc est Ars nostra Combinatoria, quam in hoc opere Mundo pollicemur; quæ per novem Erotematicas propositiones, octodecim principia, tum absoluta, tum respectiva, cum novem subjectis totius naturæ ambitum includentibus, eâ methodo componimus, disponimusque, ut inde innumerabilium totius Encyclopædiæ longè lateque exporrectis terminis, veritatum irrefragabilium notitia obtineatur. Quæ omnia in sequentibus fusiùs patebunt.

CAPUT II.

Utrum Ars generalis ad facilem omnium scientiarum acquisitionem dari possit.

CUm teste Platone, μηδὲν γλύκυον ἢ πάντα εἰδέναι, *nil dulcius sit, quàm omnia scire*, hominique à Natura sciendi igniculi sint insiti; certè frustrà potentia daretur, nisi reduceretur in actum; nisi, inquam, intellectus à potentia, usu, & consuetudine variè excultus, successu temporis non omnia sciret, id est, ad congruam rerum omnium notitiam quantum fieri potest pertingere posset; non video, quomodò hoc humanæ adversetur conditioni, & quare id intellectui denegatum videatur, dummodò humanæ scientiæ limites non transcendamus. Quis non videt in omnibus rebus unum semper reperiri genus, in quo species omnes participant, concordantque? unde plenè cognito genere, specierum notio aliquomodo latere non potest; haud secus ac fluminum in varias rivorum propagines deductorum partitiones An detur scientia universalis.

nes

nes facilè cognoſci poſſunt; ſi à fonte alveum ſecuti, ad ſectionis diverticula perrexerimus. Quis abſonum reputabit unico inſtrumento diverſa diverſarum artium opera perfici? An non ex unica elementorum natura ad innumerorum mixtorum notitiam pertingimus? Quis neſcit, unicâ vegetativæ naturæ efficaciâ innumeras plantarum, arborumque ſpecies ſubſiſtere? unico ſenſuum ſubſidio, innumerarum rerum cognitionem nobis paratam, unicâ mentis operâ ad artium, inventionumque arcana ſacramenta nobis aditum patere, quis ignorat? An non unico in ſuppoſito res corporeas, incorporeaſque in homine conſpirare advertimus? An non omnia, quæ in naturæ majeſtate fulgent, tantis virium, proprietatumque diſcriminibus diſſita, mirâ tamen concordiâ nexa, unico Mundi ambitu, influxuque teneri, & ſuſtentari conſtat? quin & hæc omnia, unico ſupremæ mentis intellectu creata reguntur, & conſervantur. Juſtitia omnem virtutum harmoniam complectitur, felicitas omnium bonorum influxum; Tandem in una Chriſti hypoſtaſi divina, & humana natura concordant. Cùm itaque communes, rerum particularium in ſe rationes contineant, quis dubitabit, niſi ἄλογος, mentem hominis, rationis ductu ad omnium dictarum rerum ſcientiam ſeſe extendere poſſe, tantò faciliùs, quantò methodus ea tradendi fuerit expeditior, & via ad progrediendum planior? Unde quicunque noverit, quomodò in uno multa, & unum in multis; negotium confectum habebit. Hanc Artem innumeri tentarunt quidem, ſed paucis conceſſum fuit, hanc adire Corinthum. Quidam per Dialecticæ, aut Logicæ veluti aptiſſimum ſciendi inſtrumentum, id confici poſſe ſperârunt. Alii per varias artium, ſcientiarumque Syntaxes; nonnulli per methodicos Metaphyſicarum ſpeculationum contextus: Non defuerunt, qui eam ſub allegoricis mentis circulis ad naturæ pantamorphæ ſimilitudinem fabricatis, id peragi poſſe exiſtimarunt. Et quamvis omnes hi, laude digniſſimo conatu, fæcundam hanc unitatis ſcientificæ artem aggreſſi ſint; pauci tamen eâ methodo illam executi ſunt, quæ aut ſitibundis ingeniis ſatisfacere poſſet, aut facilitatem cum promptitudine junctam haberet. Verùm ut hæc omnia pateant, ſit.

CAPUT III.

De Viris illuſtribus, qui artem de omnibus diſputandi profeſſi ſunt.

VTi intellectus humanus ſciendi deſiderio impulſus, nullum non lapidem movet, ut ad eximiam rerum omnium notitiam pervenire brevi via poſſit; ſic non defuerunt, præteritis ſæculis, Viri doctrinâ, ac ſapientiâ illuſtres, qui continuo labore, & aſſiduâ mentis meditatione ad eam tandem artem pertigerunt, quâ de omnibus, quantumvis difficillimis quæſtionibus propoſitis, rationem darent. Atque in Academicis diſceptationibus, de qua re quiſpiam audire vellet, ad artis à ſe inventæ amuſſim ſe diſſerturos pollicerentur: quorum nonnullos ex priſca ac ſui temporis ſchola prodiiſſe refert Quintilianus, quibus Cicero adnumerat Coracem, Lyſiam Siculum, Gorgiam Leontinum Socratis æmulum, Thraſymachum Chalcedonium, Prodicum Chium, Protagoram Abderiten, à quo Enathlus artem didiciſſe fertur, quam Hippias Ellius decem millibus denariorum vendidit. Gorgiæ verò, ob inſignem de omnibus dicendi facultatem, primam ſtatuam ex ſolido auro in templo Apollinis Delphici poſitam fuiſſe, Valerius Maximus refert: In quonam verò Ars Gorgiana conſiſteret, Cicero innuit, dum mirabilem illius artem exprimit in dicendo, & rerum, ſcientiarumque copiam ei adfuiſſe demonſtrat; ait enim, eum paria paribus adjuncta, & ſimiliter diſtincta protuliſſe; Itemque contrariis contraria relata, quæ ſuâ ſponte, etiamſi id non ageres, caderent plerumque numeroſè primum inveniſſe. Verùm, hæc omnia, uti temporum oblivione ſepulta ſunt, ita nullam nobis ejus acquirendæ, methodique conſtitutæ memoriam reliquerunt.

Non defuerunt tamen poſterioribus ſæculis, Viri omni ſcientiarum genere conſpicui, qui artem hanc ſummo ſtudio excoluerunt; Quos inter primum non immeritò locum obtinet Raymundus Lullus, quem alii ob excellens ingenii, quo præſtitit, lumen Θεοδίδακτον, ſive divinitus illuminatum Doctorem appellant. Opus is compoſuit ſtylo incompto quidem, eoque rudi, impolitoque; ſed non ſpernendæ ſubtilitatis; quam *Artem Magnam*, alii *Januam artium, & Scientiarum*; quidam *Artem Magnam Lullianam*; alii *Artem inventivam veritatis*, ab Authore indito nomine vocant, in qua novâ à ſe excogitata methodo, ad omnem ſcientiam aditum idiotis etiam, quin & ætati impuberi

Quinam hanc artem excoluerint.

Lullus.

puberi parat; In quem uti vastissimos ediderunt Commentarios Lupetus, Lavineta, Corn. Agrippa, Jordanus aliique, ita supervacaneum esse ratus sum, illam hoc loco fusiùs describere, cum ejus principia in sequenti Capite ad incudem revocaturus, quid de ea sentiendum sit, demonstraturus sim.

Gregorius Tholosanus.

Syntaxes artis mirabilis.

Hujus methodum, pari passu secutus Petrus Gregorius Tholosanus, nobilis scriptor, in Cadurcensi Academia publicus Juris Civilis Professor, opus condidit hoc titulo superbiens; *Syntaxes artis mirabilis*, per quas de omni re proposita multis & propè infinitis rationibus disputari, aut tractari, omniumque summaria cognitio haberi potest. Opus quidem splendidum & innumera rerum, scientiarumque varietate refertum; sed quomodo per Lulliana principia, ad earum congestarum undique scientiarum acquisitionem, facili, brevi, expeditaque methodo perveniri possit, uti non tradidit, ita in curiosorum animis, non nisi ardentissimum tantoperè deprædicatæ artis desiderium, accensamque sitim reliquit.

Cornelius Gemma.

Ars Cyclognomica.

Huic Synchronus Medicinæ in Academia Lovaniensi Regius Professor Cornelius Gemma, politioris literaturæ, nec non Physiologicæ artis Vir Consultissimus, Artem Cyclognomicam Mundo exhibuit, quâ, methodo à Lulliana prorsus differenti, per Analyticæ, ac Syntheticæ artis principia, rationem universalem de omnibus, per concatenatos Cyclorum intellectualium nexus, disputandi; verbo, omnium scientiarum notitiam exhibere pollicetur, eamque stylo eleganti, florido, nec non verborum, scientiarumque varietate tumido, non sine ingenii commendatione proponit: Sed uti rerum dicendarum multitudine, & copiâ, Lectorem tantùm non obruit; ita luxuriantis styli petulantiâ abreptus, non parum facessit negotii viris etiam non ex infima ingeniorum classe, ut intentam methodum, ejusque, quæ ad consequendam scientiarum desideratam notitiam conducit, applicationem plenè intelligant. Omnium proximè ad Lullianæ artis penetralia accessit

Petrus Sanchez.

Petrus Hieronymus Sanchez, in libro, quem Methodum mirificam & facilem ad omnes scientias facilè acquirendas, commentariisque in artem brevem appositè sanè concinnatam inscripsit, quem & nos in multis secuti sumus.

Ivo Capuccinus.

Secutus est hosce Ivo Capuccinus Parisinus, Vir non religione minus, quàm doctrinâ omnigenâ celeberrimus; qui præterlapsis annis novum opus, quod Digestum Sapientiæ vocat, summo sanè, & improbo labore conditum, duobus ingentibus tomis, Orbi literario obtulit. Et quamvis non diffitear, id opus esse immensa eruditione refertum, omnium scientiarum complexu turgidum; utpote in quo tum divini verbi præcones, tum Oratoriæ facultatis Candidati uberrimam, ad assumptorum argumentorum amplificationem, exornationemque, præparatum sibi Cornucopiæ, dicam melius, *Polyantheam* novam, summa rerum varietate instructam, inveniant; In eo tamen laudabili sanè instituto, omnium opinione facilior, expeditiorque methodus ad id, quod intenditur, consequendum, desiderari videtur. Non nego eum dicto in Opere universam rerum seriem ad octodecim principia Lulliana, partim absoluta, partim respectiva, reduxisse quidem; sed, quod hucusque unicè quæsitum fuit, nescio, quo fine impulsum omisisse; dum desiderata ad scopum obtinendum applicatione neglecta, aut saltem, non nisi jejunè indicata, regulisque artis non nisi extremis digitis attrectatis, dicta octodecim principia, applicatione plus æquo difficili, iis præsertim, quibus ad artis genuinæ consecutionem animus ardet, per brevem, expeditam, paratamque rationem pertingendi, in promiscuam rerum varietatem traduxit; uti enim Theologica Canonicis, Medica Physicis, Physica Mathematicis, Metaphysica Ethicis, Historicis Politica, Sacra profanis nullo ordine commiscuit; ita rerum Chaos evitare non potuit, quo huic arti nil magis contrarium esse potest. Cum enim Artis Lullianæ Scopus sit, dato quocunque subjecto, proposita quacunque ex artium Encyclopædia deprompta quæstione, de illa amplè, & ubertim disputare; particularia scientiarum principia, ex universalibus principiis demonstrare; non video, quomodò hoc, nisi admodum operosè, & ab homine in scientiis jam provecto, per methodum in Digesto Sapientiæ descriptam, præstari possit? Hoc tamen ad operis eximii commendationem addo; si quis omnia in Digesto Sapientiæ confusè, & promiscuè coacervata, ad particulares scientiarum Classes reduceret, futurum, ut is tantorum locorum, authoritatumque subsidio, tandem intentum artis scopum proximè attingeret; Unde & fateor, opus istiusmodi non exiguo emolumento ad artis perfectionem fuisse, uti paulò post ostendam, ubi prius meum de Arte Lulliana judicium, & quid in ea desideretur, aperuero. Successit huic ultimo loco R. P. Sebastianus Izquierdo modo dignissimus Hispaniæ Societatis JESU Assistens, qui ingentem tomum, quem Pharum scientiarum inscribit, Reip. litterariæ bono edidit, in quo tametsi methodo ad artium & scien-

P. Sebastianus Izquierdo.

ſcientiarum compendioſam acquiſitionem utitur à Lulliana diverſâ. Opus tamen admirabile, & omni laude dignum eſt, vera intellectus humani idea. Verumtamen ſicuti per Metaphyſicos & abſtractos intellectualium combinationum receſſus abditas ad ſcientiarum conquiſitionem ſemitas ἀκριβέστερως indagat, ita quoque non cuivis datum eſt hanc adire Corinthum, niſi is inſigni Metaphyſicæ, abſtractarumque cognitionum πανοπλία inſtructus fuerit, ut proinde aliquando Herculei ingenii virum extiturum confidam, qui recluſas ſub eo latentes gazas ad uſum convertat, mediocrium quoque ingeniorum capacitati accommodet.

CAPUT IV.

Quid ſit Ars Lulliana, in quo potiſſimum conſiſtat; & quid ab Orbe literario in ea deſideretur.

SCopus Artis Lullianæ eſt, methodum docere, per quam magna attributorum, propoſitionum, quæſtionum, & argumentationum Copia, eâ utentibus ſubminiſtretur. Differt à Dialectica, quia hæc quadruplici problematum genere, id eſt, problemate definitionis, proprii, generis, & accidentis, univerſum Ariſtotelicæ Dialecticæ ambitum, magnâ topicorum diverſitate abſolvit. Differt ab Arte inveniendi, quam *Ariſtoteles l. 1. Top.* proponit, quoniam ibi Ariſtoteles reſpicit tantum ad inventionem Syllogiſmorum, & omnia refert ad tres locos generales; id eſt, ad antecedentia, conſequentia, & repugnantia, qui ſunt termini, uti in Scholis loquuntur, ſecundæ intentionis quoad denominationem. Sed Ars Lulliana, præterquam quod ſyllogiſmorum inventionem doceat, aliarum quoque Orationum, enarrationum, accuſationum, & omninò cujuſvis generis attributorum, magnam quoque locorum copiam, & varietatem ſuppeditat. Differt à Rhetorica, quia hæc in tribus cauſarum generibus, demonſtrativo, deliberativo & judiciali verſatur; hæc autem Ars nulli adſtricta generi, ad quodvis ens pertinet, & omnia ſcientiarum principia complicat.

In quo Conſiſtat ars Lulliana.

Cùm itaque jam dudum diverſi non Philoſophiæ tantùm periti, ſed & Principes Viri, curioſitate quadam perculſi, de Lulliana arte meum judicium exquiſiverint, ut tam laudabili eorum curioſitati quovis mòdo ſatisfieret, Lulli de Arte Magna librum aggreſſus, omnia Artis principia ad incudem revocata, ſingulari ſtudio, & ſumma mentis indagine diſcutere, nec non mea jam dudum concepta artis principia ad ea, veluti ad Lydium lapidem examinare conatus ſum; Inveni tandem vera eſſe, quæ de ea fama ſparſerat, ejuſque aſſumpta principia per Combinatoriæ Artis amuſſim, omnibus artibus, & ſcientiis applicari poſſe, ut inde illud, quod tantopere ab omnibus quæſitum fuit, tandem cum inſigni literatorum emolumento emergat. Multa tamen in ea detecta ſunt, quæ, niſi emendata, exactiori methodo tradantur, vix ulli uſui eſſe poſſint. Quorum primum eſt, ſtylus barbarie plenus, & vix ullius latinitatis veſtigia obtinens, unà ſummæ obſcuritati junctus, quæ vel prima fronte obvium ab ejus lectione Artiſtam deterrere poſſet. Alterum eſt, quód omnia, ad novem primos Alphabeti characteres, veluti ad rerum aſſumptarum ſigna quædam revocat, excepta prima litera A, quæ nota eſt Dei Opt. Max. reliquæ ordine literæ, primò ſingulis novem attributis abſolutis, deinde totidem reſpectivis applicentur. His iiſdem, deinde novem quæſtionum faciendarum circumſtantias, atque rurſus iiſdem prima novem Naturæ totius ſubjecta attribuit. Ita ut literæ B. primò, quæſtioni, utrum; Secundò, Bonitatis eſſentialis principio; Tertiò, ſubjecto, qui Deus eſt; Quartò, Principio relativo differentiæ cum omnibus iis prædicatis, quæ tum ad bonitatem, differentiamque, tum ad ſubjecti aſſumpti rationem quomodolibet reduci poſſunt, reſpondeant; Quintò, Virtutibus; Sextò, Vitiis oppoſitis; quæ quidem ratio tot difficultatibus implexa, tot tricis involuta eſt, ut divinam memoriam, imaginationemque, ad ſingula eorum, quæ ad unamquampiam literam pertinent, probè memoranda, habere neceſſe ſit: Atque adeò experientiâ propriâ didicerim fieri non poſſe, ut quiſpiam cum tot reflexionibus mentis, cum tanta prædicatorum, ſubjectorumque farragine, de qualibet re exactè diſceptandi promptitudinem acquirat, niſi aliis ſubſidiis ſit inſtructus; cum plerumque mens in mediorum ad aliquid demonſtrandum aſſumptione hæreat, in electione eorundem ceſpitet, dubitet, vacillet, & quomodo aut quibus rationibus propoſitæ quæſtioni occurrendum ſit, Artiſta determinare neſciat, quæ quidem tantò majori difficultate implicantur, quantò in Theoricis & Scholaſticis ſtudiis fuerit rudior,

inexpertiorque; adeóque ἀδύνατον fit, ut quiſpiam in ulla facultate quicquam laude dignum præſtet, niſi priùs ſcientiam, de qua tractat, eximiè calleat, Dialecticæ quoque inſtitutionem non ignoret. Quomodò enim cujuſpiam diſciplinæ ignarus, ſolo hoc exiguo principiorum apparatu appropriata, aptaque ad id, quod in ea ſcientia demonſtrandum proponitur, media proprio, uti dici ſolet, marte invenire queat, non capio. Verùm ut propoſitum Artis Lullianæ inſtitutum propiùs intueamur, paucis totalis rei finem ob oculos pono Curioſi Lectoris.

PARS II.

Expoſitio brevis Principiorum Artis Lullianæ.

CAPUT I.

De Theoricis Artis elementis, & Alphabeto, quod & Lexicon dicitur.



VT Lectori differentia inter Artem, quâ nos in ſcientiarum Combinata doctrina utimur, & Artem, quam Lullus tradit, luculentius patefiat; hîc primò loco totius Lullianæ Artis ſeriem, & elementa, unà cum regulis exponenda duxi; iis enim in apertum deductis, Lectorem vera eſſe, quæ dixi, compertorum, nihil dubito. Commentatores ſupracitati, ceu ſimiæ, veri imitatores Lulli, ut Artem ſupra omnes cœlos extollerent, multa ad Artis dignitatem, & excellentiam conteſtandam, confinxiſſe potius, quàm revera eam ita ſe habere, tradidiſſe videntur; fortè Alchymiſtas, & Aſtrologos in hoc ſectati, quorum illi, qui ad ſui nunquam viſi lapidis deprædicandam excellentiam, hi ad Aſtrologiæ divinarum, humanarumque rerum, ut ajunt, dominatricis, ineffabiles virtutum influxus ſimplicioris ingenii hominibus perſuadendos, quid non excogitant? quos caſus non mentiuntur? Ita prorſus Lulliſtæ, miros, & prorſus paradoxos de hac Arte caſus referunt, de quibus tamen ingens eſt apud Hiſtoricos, etſi illi adeò memorandæ Artis, inventum Mundo demonſtratum, non neſcire debebant, ſilentium; Siquidem impuberes hac arte fretos, omnium ſcientiam conſecutos, de qualibet re propoſita ſcitè, & eleganter diſſeruiſſe, nec non in Viros doctiſſimos evaſiſſe, dicere non verecundantur. Impuberes ego intelligo pueros, qui duodecim aut quatuordecim annorum ætatem non excedunt, quos conſtat abſtractioris intellectus operationibus (quæ hujus Artis conſultum decent) eſſe ineptiſſimos, nec judicio ad metaphyſicos conceptus, ſimiliaque ſubtilioris materiæ argumenta pertractanda, ſufficienti pollere; niſi forſan dicant, picarum, pſittacorumque more, ſine judicio omnia effutiiſſe potius, quàm cum vera ratione diſſeruiſſe, quod facilè ipſis conceſſero; Nam ſi ego, qui Arti Lullianæ ex profeſſo ſtudui, omnia artis arcana modumque in ea procedendi exactè pervidi, in praxim tamen eam redigendi ingentes difficultates, non obſtante quod literarum ſtudiis ritè pertractandis à teneris unguiculis aſſuetus, non exiguum (abſit verbis jactantia) ſcientiarum apparatum Deo dante adeptus ſim; nihilominus in Artis Lullicæ applicatione ubique adhuc locorum, non tam, quid dicere, & ſentire; quàm quomodò mentis meæ conceptus per dictæ artis applicationem, in medium proferre debeam, neſcius, ubique perplexum me inveniam: Quid de pueris nullo adhuc rerum uſu, & exercitatione inſtructis ſentiendum ſit, Lectori judicio pollenti æſtimandum relinquo.

Poſt impuberis ætatis pueros referunt Petrum Daguinum Mediatum, & Jacobum Januarium, Viros Agrippa teſte, tota Italia celeberrimos, quorum prior cum 37 ætatis anno vix prima hauſiſſet literarum elementa, ſex duntaxat menſibus huic artificio incumbens, omnibus doctiſſimis Viris miraculo eſt habitus; Alter autem, cùm ſeptem peregiſſet luſtra à literis penitùs alienus, tantùm hac arte profecit, ut nulli doctorum hominum ſit poſtponendus. Mirum eſt, hominem nec rei Grammaticæ quidem, multò minus Dialecticæ, Phyſicæ, Metaphyſicæ, Mathematicæ, Theologiæ peritum omnium harum ſcientiarum perfectionem ad miracula uſque, hujus artis ope, non niſi paucorum menſium ſpatio conſecutum fuiſſe. Credat id, qui volet, qui novit, quanto labore

bore nobis, vel unius ſcientiæ totius vitæ ſpacio comparatæ, perfecta poſſeſſio conſtet, is mera hæc commenta & *affanias*, niſi forſan infuſam hîc ſcientiam innuant, de qua nihil nobis conſtat, reperiet.

Addunt hiſce eximios fuiſſe eâdem hac arte fretos, Ferdinandum Cordubam, Jacobum Stapulenſem, Carolum Bovillum, Petrum, & Jacobum cognomine Canterios, Germanos Friſones, cum unica ſorore pueros decennes, in omni genere diſciplinæ differentes; de quibus uti nihil nobis conſtat, nec ulla quidem Artis Lulliæ in libris Petri Stapulenſis, aut Caroli Bovilli de iſtiuſmodi methodo Scintilla elucet, ita meritò ea ſuperiùs indicatis commentis adnumeranda ſunt. Non neſcio, fuiſſe Petrum Stapulenſem, Bovillum, ſimileſque Viros omnigenâ eruditione conſpicuos quidem, ſed antequam ad artis hujus arcana admitterentur, quâ tamen plurimum adjuti feliciùs uberiùſque deinde philoſophati ſunt. Novi quoque, poſſe puerum paucorum dierum ſpacio ex aſſumptæ artis principiis ita inſtitui, ut de propoſito ſibi themate, nonnihil reſpondeat, ſed ut de difficillimis quæſtionibus, tum Theologicis, tum Philoſophicis, Mathematiciſque ad Rhombum reſpondeat, difficultateſque ex tenebris in lucem per continuatam Syllogiſmorum conſecutionem ſine hæſitantia, eruat: hic Rhodus, hic ſaltus. Verùm hæc omnia ita ſe habere, uti dixi, ex artis recondita conſtitutione, quam jam ordimur, ſat, ſuperque patebit.

Ars Lulliana duplex. Theorica & Practica.

Eſt itaque Ars Lulliana duplex, *Theorica* & *Practica*. Illa Alphabetum, ſive prima Artis elementa conſiderat; hæc ad praxin reducit, multiplici regularum traditione, per intellectorum jam elementorum theoriam. Alphabetum eſt plurium & diverſorum hujus artis terminorum, in unum collectio, cujus quælibet litera, varia ſub diverſis uno ſuo nomine repræſentatis ſignificata habet, & continet in ſe literas novem ſignificantes, videlicet B C D E F G H I K. quarum ſignificata ſunt in multiplici differentia; Nam quædam ſunt principia abſoluta, uti Bonitas, Magnitudo, Duratio, Potentia, Cognitio, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria. Alia ſunt relativa; ut Differentia,

Alphabetum quodnam hujus artis.

Concordantia, Contrarietas, Principium, Medium, Finis, Majoritas, Æqualitas, Minoritas; Quæ omnia ſunt principia primativa, eò quod unumquodque in ſe ipſo id eſt, quod ſupremum in ſuo genere, imò principium omnium aliorum entium ſub tali eſſe conſideratum. Sunt etiam fateor, vera & realia & neceſſaria, quia de quolibet ente verè, realiter, & neceſſariò prædicantur, id eſt, per ſe ſunt talia, abſque ulla interveniente intellectûs operatione, ipſiſque poſitis, quidquid ponitur eſt, ipſiſque remotis removentur omnia. Sunt generaliſſima, & tranſcendentalia, quia verſantur circa omnia, & in ipſis omne id, quod eſt, comprehenditur. Abſoluta ita dicuntur, quia nullum reſpectum dicunt; Bonitas enim eſt tantùm bonitas &c. Reſpectiva verò, pluralitatem, & multitudinem arguunt; ex qua mutua exurgit ad ea, quæ differunt, relatio. Principia.

Quæſtionum ſignificata.

Sunt etiam in hac arte ſignificata, quæ quæſtiones dicuntur ſeu regulæ, ſuntque circumſtantiæ quædam rerum examinandarum, cujuſmodi ſunt, Utrum, Quid, Quare, Quomodò, Ex quo, Quantum, Quale, Ubi, Quando, Cum quo; quibus intellectus, ad aptè, & debito modo reſpondendum dirigitur.

Subjecta attributionis.

In Arte pariter novem conſiderantur ſubjecta attributionis, ad quæ cuncta in latitudine entium occurrentia reduci poſſunt; uti ſunt, Deus, Angelus, Cœlum, Homo, Imaginativa, Senſitiva, Vegetativa, Elementativa, Inſtrumentativa; Nullum enim in natura rerum ens eſt, quod non ad unum horum revocari poſſit.

Significata virtutum & vitiorum.

Sunt & alia ſignificata in hac arte, Virtutes, uti Juſtitia, Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Fides, Spes, Charitas, Patientia, Pietas, cum totidem peccatis, ſeu vitiis, ut ſunt Avaritia, Gula, Luxuria, Superbia, Acedia, Invidia, Ira, Mendacium, Inconſtantia. De his omnibus agitur in Arte explicitè, ubi & de eorum oppoſitis agitur. Cùm teſte Philoſopho, oppoſitorum eadem ſit ratio, & diſciplina; Implicitè verò, de iis quæ quovis modo ad ea reduci poſſunt. Alphabetum verò ſuprà expoſitum, & ordine & modo, qui ſequitur, ſubjungitur.

TABULA

Totius Artis Alphabetariæ à Lullo concinnatæ.

Alphabetum.	Quæstiones.	Principia absoluta.	Principia respectiva.	Subjecta.	Virtutes.	Vitia.	
B.	Utrum.	Bonitas.	Differentia.	Deus.	Justitia.	Avaritia.	Hæc omnia unicâ literâ B. significantur.
C.	Quid.	Magnitudo.	Concordantia.	Angelus.	Prudentia.	Gula.	Hæc omnia unicâ literâ C. significantur.
D.	Quare.	Duratio.	Contrarietas.	Cœlum.	Fortitudo.	Luxuria.	Hæc omnia unicâ literâ D. significantur.
E.	Quomodo.	Potentia.	Principium.	Homo.	Temperantia.	Superbia.	Hæc omnia unicâ literâ E. significantur.
F.	Ex quo.	Cognitio.	Medium.	Imaginativa.	Fides.	Acedia.	Hæc omnia unicâ literâ F. significantur.
G.	Quantum.	Voluntas.	Finis.	Sensitiva.	Spes.	Invidia.	Hæc omnia unicâ literâ G. significantur.
H.	Quale.	Virtus.	Majoritas.	Vegetativa.	Charitas.	Ira.	Hæc omnia unicâ literâ H. significantur.
I.	Ubi.	Veritas.	Æqualitas.	Elementativa.	Patientia.	Mendacium.	Hæc omnia unicâ literâ I. significantur.
K.	Quando.	Gloria.	Minoritas.	Instrumentativa.	Pietas.	Inconstantia.	Hæc omnia unicâ literâ K. significantur.

Hanc Tabulam, ut quis cum promptitudine, & sine ulla hæsitantia discernere possit, memoriæ impressam habere necesse est, unà cum omnibus, quæ ad dicta revocari possunt. Hisce peractis proceditur ad Figuras Artis practicas; quarum prima Figura A dicitur, & indicat de Deo primariò, ejusque prædicatis; estque illa, quæ sequitur.





Figura dividitur in novem partes, in quarum singulis una ex supradictis Alphabeti literis ponitur; Deinde in secundo circulo significata ponuntur literarum, id est, novem principia essentialia, concreta, & abstracta, ex quorum divisionum punctis singulis ad reliqua ordine posita divisionum puncta lineæ trahuntur, & emergit multiplex triangularis juxta combinationis leges, constitutio, quà innuitur principium quodcunque assumptum in Divinis, de alio quovis ordine prædicari posse; quemadmodum postea fusiùs declarabitur in praxi; Et uti principia hæc absoluta, transcendentalis cujusdam eminentiæ elatione fulgent, ita inter se semper convertuntur, adeò ut de prædicato subjectum, & contrà de subjecto prædicatum fiat, Cyclica quadam demonstratione per terminos, uti dixi, convertibiles, quorum ope Lullus non solùm Divinæ essentiæ unitatem, Triademque, sed & cæteros fidei articulos ostendere conatur. Unde non incongruè hanc primam Figuram circularem esse voluit, tum ad supramundanæ sphæræ nullis limitibus terminatæ archetypon signandum, tum ad circulares humanæ mentis in ratiocinando motus scitè exprimendos; sunt enim tres gradus, quibus veluti per scalam quandam ascendendo, descendendoque intellectus ex unitate in multitudinem diffunditur, ex multitudine in unitatem iterum refusus. Primus gradus est specificus; Secundus subalternus; Tertius verò generalissimus; in quibus vel per ascensum contra-

contrahuntur, vel per deſcenſum diſtrahuntur omnia; per ſpecificum ex individuis aſcendimus in ſpecies, ex ſpeciebus in genera, & ex his in genera univerſaliſſima, & ex his denique per hæc in ultimas rerum numericas differentias deſcendimus; & ſunt præcipua hujus Artis Sacramenta; Ita Bonitas V.G. quæ gradum habet generaliſſimum ad contrahendum, vel diſtrahendum, ſpecificatur ratione illorum principiorum, quibus contrahendo nectitur, vel à quibus diſtrahendo removetur. Idem de omnibus novem principiis eſſentialibus dicendum eſt.

Notandum verò, principium ſubalternatum magni eſſe ambitus, ſiquidem omnia illa, quæ indicantur inter principium omninò generale, & principium omninò ſpecificum, juxta ultimam ſuam ſpecificationem dicuntur principia ſubalternata. Sed de his plura in Metaphyſica Combinata.



Secunda Figura T. literâ ſignata, quam Lullus in Arte ſua ponit, continet principiorum relativorum enneadem; & ſunt Differentia, Concordantia, Contrarietas, Principium, Medium, Finis, Majoritas, Æqualitas, Minoritas; quæ trina triangulorum implicatione comprehenduntur, uti

1. Species trigoni quid contineat.

in præſenti ſigno apparet. Deinde alia in circumferentia loculamenta diſtinxit, in quibus continentur ſingulis principiorum triadibus tres propriæ ſpecies generales, V. G. Uni trigono principiorum relativorum, quæ ſunt Differentia, Concordantia, Contrarietas, in ambitus loculamentis, ſenſuale & ſenſuale, ſenſuale & intellectuale, intellectuale & intellectuale, univerſales rerum diſtinctiones annexas habet; quibus oſtenditur, trina differentiarum poſitione diſtinctionem rerum totius naturæ exhauriri; ſiquidem differentia, quæ datur inter ſenſuale, & ſenſuale, corporeæ & ſenſibilis naturæ longè latèque exporrectum ambitum reſpicit; quæ inter ſe variè comparata, ſingula ingentem rerum ſcitè diſtinguendarum materiem, ſive numericos, ſive ſpecificos, genericoſque gradus reſpicias, ſuppeditant; verbi gratia, ſenſibile, & ſenſibile, diſtinctionem inter Cœlum, & Terram, inter pyrum, & pinum, inter Petrum, & Joannem &c. præbent.

2. Species trigoni.

Altera primi trigoni ſpecies, eſt differentia inter ſenſibile & intellectuale, qua nova diſtinctionis ratio fundatur, dum materiale cum immateriali, ſenſibile cum intellectuali, corporeum cum incorporeo comparatur, cujuſmodi eſt differentia inter ani-

mam & corpus, inter formam & materiam, inter subjecta corporea, & virtutes eorundem materiales, inter hominem denique, & Angelum, Deumque multiplici distinctionum combinatione assignatur.

3. Trigoni species. Tertia primi trigoni species generalis, est differentia inter intellectuale & intellectuale, cum multiplici distinctionum ratiocinio, inter animam & Angelos, inter Angelos & Angelos, inter ordines & ordines Hierarchicos, inter nos denique & Deum facto. Hisce enim in notitiam veniet, quomodò singula differant, concordent, & inter se contrarientur, unde propositio universalis nascitur: omne ens est vel sensibile tantùm; vel sensibile & intellectuale, vel intellectuale Angelicum vel divinum; vel sensibile intellectuale divinum, uti Christus; quorum differentiæ novemplici distinctionum genere explanantur, de quibus omnibus & singulis in sequentibus.

2. Principiorum trias. Secunda principiorum Trias triangulo, Principii, Medii, Finisque comprehenditur; cujus species singulis apicibus angulorum correspondentes sunt, Causa, Quantitas, Tempus. Causa competit principio; est enim omnis causa principium, sed non contrà, cum principium, quàm causa latiùs extendatur, & ex novem prædicamentis accidentalibus patet, quæ principia, non tamen causæ dicuntur, excepta sola substantia, cui inhærent. Nam omne genus generalissimum accidentale in sua coordinatione est principium, prout mediante substantia principiat omnia contenta sub eo, non tamen causa dici potest, eò quod illi nulla competat activitas per se, sed ratione substantiæ, ad cujus specificationem teste Aristotele omnia specificantur, & individuantur accidentia. Sed revertamur ad species trigoni secundi explicandas, quæ sunt Causa, Quantitas, Tempus. Causa duplex est; *per se* & *per accidens*; per se sunt quatuor, *Materialis*, *Formalis*, *Efficiens*, *finalis*: Causa per accidens est *Casus* & *Fortuna*; Unde ingens resultat de Causis varietas, & multitudo; Idem de Quantitate, & Tempore, quæ uti omnia ad principium, Medium & finem reducuntur, ita non spernendam argumentorum copiam suppeditant, præsertim si novem subjectis applicentur; V.G. An Deus, Angelus, Cœlum, Elementa, Homo &c. principia sint & Causæ, vel quid, aut quomodo causent, quorum omnium applicationem Ars docet, etiamsi confusè & intricatè; sed de his uberrimè in sequentibus.

Causa multiplex.

Medii species. Porrò Medium pariter principium generalissimum suas species habet, & tres sunt; *Medium Conjunctionis*, *Mensurationis*, *Extremitatum*. Medium conjunctionis investigatur in omni re, quam ambitu suo ens transcendens complectitur, neque Creaturis tantùm, sed & Deo ad intra competit. Medium mensurationis & Extremitatum, omnibus magnitudine pollentibus rebus convenit; Datur enim in omnibus rebus non tantùm quantis, Medium respectu extremorum, sed in Moralibus, & Physicis. *Finis* principium generale, tres species habet: prima est, *finis perfectionis*, cujus gratia aliquid fit, siquidem teste Philosopho, finis & bonum convertuntur, & alibi, finis est optimum rei; atque ideò in essentialiter subordinatis consideratur; Nam ille finis, qui est per primam intentionem, nobilior & perfectior est illo, qui est per secundam, ut patet in fabro, qui intendit clavum per secundam intentionem, & pecuniam per primam, & intendit pecuniam per secundam, & panem ex ea per primam & secundam, ut vivere per primam & secundam, & Deum intelligere & amare per primam, & sic Deus est finis perfectissimus, & per primam intentionem unicè desideratus; Deus enim, teste Dionysio, omnia ad se ipsum tanquam ultimum finem convertit; & Aristoteles 4. Phys. *Omne bonum secundum se, & suam naturam, finis est.* Altera *finis* species est *terminationis*; quia omne Ens creatum suis terminatur limitibus; In Deo verò consideratur, in quantum ii, qui eo fruuntur, jam terminum appetitus consecuti dicuntur. *Finis* verò *privationis* creatis rebus potissimum competit; Nam unamquamque rem, quæ in præteritum transit, tandem finiri & consumari necesse est, ut vita, morte; visus, cœcitate; urbes & Regna, vastitate; in Deo locum tantùm habet denominativè, in quantum reprobi ordinati ad ipsum, visione privantur.

Principium finis ejusque species.

Trigonus III. ejusque contenta. Trigonus Tertius continet in se tria pariter principia respectiva, quæ ad omnia extenduntur; & sunt, *Majoritas*, *Æqualitas*, *Minoritas*: Nam *Majoritas* per omnia novem subjecta, per omnia prædicamenta, per omnes scientias, & res Mundi deducitur; Est enim magnitudo in Deo essentialiter, in reliquis creatis participativè. *Æqualitas* pariter & Deo & Creatis competit; *Minoritas* verò solum Creatis, juxta gradus dignitatis & excellentiæ, quibus unum alterum excedit, competit. Habent verò recensita principia tres species; vel enim comparatur substantia cum substantia, vel substantia cum accidente, vel Accidens cum accidente, qua comparatione, uti semper Majoritas, Æqualitas, Minoritas intervenit, ita hæc omnem quoque rerum creatarum ambitum meritò exhauriunt. Verùm hæc omnia in sequenti tabula expressa vide.

Trigo-

Trigonus I. principiorum Relativorum.	Differentia Concordantia Contrarietas	Inter	Senſibile & ſenſibile. Senſibile & intellectuale. Intellectuale & intellectuale.	Inter	Cœlum & Terram, Elementum & Minerale, Lapidem & Plantam, Plantam & Animal. Animam & Corpus, Subjecta & Virtutes naturales, inter Hominem & Angelum. Animam & Angelum, inter Angelum & Angelum, inter Angelum & Deum.
Trigonus II. principiorum Relavorum.	Principium cujus ſpecies		Cauſa Quantitas Tempus	Conſiderat	Quadruplex Cauſarum genus. Quæcunque ad quantitatem, magnitudinem & extenſionem rerum quovis modo revocari poſſunt. Quæ ad durationem rerum reſpiciunt, & temporum conditionem.
	Medium cujus ſpecies		Conjunctionis. Menſurationis. Extremitatum.	Inveſtigat ea.	Conjunctionem ſubjecti & prædicati, unionis rationem, & modos. Medium in omni quanto, centrum figurarum, centrum magnitudinis, gravitatis, & virtutis. Diſtantiam ab extremis, proportionem medii ad extrema, media cœlorum, & Elementorum.
	Finis cujus ſpecies		Pefectionis. Terminationis. Privationis.	Indagat examinanda.	Omnia ea, quæ ad finem conſequendum conducunt, & quæcunque ad bonitatem revocantur. Quæcunq; ad terminum adepti finis reducuntur, ut gaudium, fruitio, ſubjectio. Omnes negationes, & privationes; omnia adverſa & mala, tam in phyſicis quàm moralibus.
Trigonus III. principiorum Relativorum.	Majoritas. Æqualitas. Minoritas.			Quibus comparatur	Subſtantia ſubſtantiæ, juxta novem ſubjecta univerſalia, & principia eſſentialia. Subſtantia accidenti, juxta novem prædicamentorum ſeriem. Accidens accidenti, juxta novem prædicamentorum accidentalium conditionem.

Atque hæc ſunt prima Artis Lullianæ fundamenta hiſce duabus figuris comprehenſa, quibus & totius Artis theoriam exprimit; quæ profectò niſi alia methodo tradantur, fieri non poſſe videtur, ut Tyro quiſpiam ex his ſolis ad aliquam ſcientiarum notitiam perveniat, cùm procedat per principia omnium abſtractiſſima, & non niſi prius, quàm optimè inſtructum, & ad abſtractiones aſſuefactum intellectum requirat; quod in pueris, & tyronibus aliiſque, qui vix extremis labris ſcientiarum principia deguſtarunt, arduum, & perquam difficile eſſe videtur, niſi aliis modis, & rationibus ad captum eorum accommodatis, in formandis juxta artis regulas propoſitionibus, ratiociniiſque ritè adornatis juventur, & promoveantur, quod nos facturos pollicemur, ubi prius Lullianæ Artis praxin expoſuerimus.

Difficultas in dictis.

CAPUT II.

De praxi præmiſſæ Theoriæ à Lullo præſcriptæ.

LUllus præmiſſa Theoria procedit ad praxin, quam oſtendit in figura, quam tertiam appellat, ex prima & ſecunda figura compoſitam, ſoliſque creatis rebus applicat; Eſt autem Tabella triangularis, in qua principia eſſentialia per binas ſingulas literas indicantur, uti in ſequenti figura patet.

§. I.

Figura Tertia Lulliana.

Conſtat hæc Figura 36 Cameris, ſeu loculamentis, & in ea ad propoſitiones formandas triplici modo, deſcenſivo, transverſo, & diagonali, id eſt, vel ex L in M.

vel ex L in N, vel M in N, proceditur. In prædictis tribus modis, unum principium

L								N
Bc	cd	de	ef	fg	gh	hi	iK	
Bd	ce	df	eg	fh	gi	hK		
Be	cf	dg	eh	fi	gK			
Bf	cg	dh	ei	fK				
Bg	ch	di	eK					
Bh	ci	dK						
Bi	cK							
BK								
M								

per literam B. indicatum, de notat subjectum respectu omnium aliorum, eo quod prædicatur ab iis; literæ verò adjectæ huic, prædicatum designant; quid porrò literæ significent, jam ex superiùs tradito Alphabeto constat; siquidem juxta Lullum in unaquaque Camera secundum significata literarum, 24 quæstiones, 12 propositiones, & totidem media formari possunt: quomodò verò hæc applicentur, non nisi paucis explicat; verbi gratia, B C. indicat hîc propositionem, Bonitas est magna, eò quod informata sit à magnitudine; & B D. Bonitas est durans, quia informatur à duratione; & B E. Bonitas est potens, quia informatur à potentia, & sic de cæteris ordine propositionibus per binas singulas literas indicatis, uti ex sequenti Tabella patet, in qua literæ in singulis Cameris occurrentes exponuntur.

BB. Bonitas est bona.	CD. Magnitudo est durans.	DE. Duratio est potens.	EF. Potentia est sapiens.
BC. Bonitas est magna.	CE. Magnitudo est potens.	DF. Duratio est sapiens.	EG. Potentia est volens.
BD. Bonitas est durans.	CF. Magnitudo est sapiens.	DG. Duratio est volens.	EH. Potentia est virtuosa.
BE. Bonitas est potens.	CG. Magnitudo est volens.	DH. Duratio est virtuosa.	EI. Potentia est vera.
BF. Bonitas est sapiens.	CH. Magnitudo est virtuosa.	DI. Duratio est vera.	EK. Potentia est gloriosa.
BG. Bonitas est appetitiva.	CI. Magnitudo est vera.	DK. Duratio est gloriosa.	
BH. Bonitas est virtuosa.	CK. Magnitudo est gloriosa.		
BI. Bonitas est vera.			
BK. Bonitas est gloriosa.			

FG. Sapientia est volens.	GH. Voluntas est virtuosa.	HI. Virtus est vera.	IK. Veritas est gloriosa.
FH. Sapientia est virtuosa.	GI. Voluntas est vera.	HK. Virtus est gloriosa.	
FI. Sapientia est vera.	GK. Voluntas est gloriosa.		
FK. Sapientia est gloriosa.			

CONSECTARIUM I.

Ex his patet, Figuras in Arte Lulliana nil aliud esse, quàm terminorum mixtionem seu compositionem; conjunguntur autem in aliqua Figura subinde duæ, interdum tres, vixque ad plura se extendit, cùm tres termini ad Syllogismum sufficiant. Hinc oriuntur duæ figuræ, quarum priori duæ literæ tantùm competunt, uti est præsens, & constat novem Columnis, quia novem sunt literæ Alphabeti Lulliani, & quælibet litera suam habet Columnam; ut B. Columnam primam; C. secundam, & sic deinceps. In prima Columna sunt novem cellulæ, quia litera B. conjungitur cum semetipsa, & cum octo sequentibus. In secunda Columna sunt cellæ octo, quia litera C. cum semetipsa connectitur & cum septem sequentibus. In tertia Columna sunt septem cellulæ; in quarta sex; in quinta quinque; in sexta quatuor; in septima tres; in octava duæ; in nona una: nulla enim cellula est, in qua litera prior Alphabeti subjiciatur posteriori, ne bis eadem literarum conjunctio ponatur: V. G. nulla est cellula C B. in secunda Columna, quia esset eadem cum cellula B C. quæ ponitur in prima.

Expositio Figur. III. Lulli.

Quælibet Cella multa attributa, & propositiones continet; quælibet enim litera sumitur vel ex prima, vel ex secunda Columna Alphabeti; undè oriuntur quatuor modi hujus figuræ; Nam in quavis cellula vel accipitur utraque litera ex prima Alphabeti Columna, vel prima litera accipitur ex prima Columna Alphabeti, & secunda ex secunda; vel è contra prima litera sumitur ex secunda Columna, & secunda litera ex prima; quælibet autem literarum in eadem Columna Alphabeti multos significat terminos: ut B. bonitatem, bonum, bonificans, bonificatum, bonificabile, bonificationem: quælibet denique litera vel attribuitur, vel subjicitur secundæ; Verbi gratia: in cellula B C. continentur hæc attributa, ut sequitur.

BC.

BC.	Bonitas magna.	Concordia differens.	Magnitudo differentiæ.	Viri boni conſentiunt.
	Bonitas magnitudinis.	Bonitas concordiæ.	Differentia exigua.	Concordia eſt bona.
CB.	Magnitudo bona.	Concordia differentiæ.	Bonitas magnifica.	Differentia eſt magna.
	Magnitudo bonitatis.	Concordia differens.	Magnitudo eſt bona.	Magnitudo differt.
	Differentia concordantiæ.	Bonitas concordiæ.	Res differentes in quibuſdam concordant.	
	Concordia differentiæ.	Conſenſus bonorum.	Concordes interdum diſſentiunt.	

CONSECTARIUM II.

Ex his patet ſecundò, B C. non tantùm in hac tabula denotare Bonum, Magnum; ſed inſuper quæſtionem, Utrum, Differentiam, Deum, Juſtitiam, Avaritiam, & hæc omnia per literam B. deſignata. Per C. verò annotantur Quid, Concordantia, Angelus, Prudentia, Gula; quæ quidem omnia ſimul in unum confuſa uti inextricabiles difficultates pariunt, ita veriùs tormentum, quàm ullum ingeniis emolumentum adferre nemo non videt.


Tertiò patet ex hac Tabella, quàm Tyroni difficile ſit futurum, hiſce ſolis, & non niſi pauculis inſtructum, ſibi de omnibus diſceptandi notitiam polliceri; tametſi enim omnia in ea implicitè, & virtute, quæ in natura rerum exiſtunt, contineantur; arduum tamen omninò ne dicam ἀδύνατον exiſtimo, ab eo qui non exercitatus eſt in theoricis ſcientiis, in hac Arte quidquam laude dignum præſtari poſſe: ſi enim quærat quiſpiam Artiſta; An arbor ſit bona? Reſpondebit affirmativè. Quare? ex eo, quod bonitas ſit magna, ſit durabilis, ſit potens, &c. quid tum? nihil dicis, hoc enim primò noramus; niſi itaque per alios terminos, qui naturam arboris proximè reſpiciunt, propoſitam quæſtionem demonſtraveris, nihil novitate dignum præſtabis. At ex tempore cum induſtria novos, & appropriatos, quibus id probetur, terminos invenire, pueri non eſt, nec inexperti, ſed Viri Philoſophi, jam in paleſtra ſcholaſtica diu multumque exercitati. Non ignoro ingentem rerum, argumentorum, quæſtionumque farraginem in Arte Magna Lulli exhiberi; ſed quod ſemper improbavi, ſine applicatione & methodo facili, quam omnes deſiderant: Accedit ſtylus barbarus, obſcuritaſque in explicando inextricabilis; Unde mirum non eſt, Artis exercitationem adhuc latere, & à nemine hucuſque fuiſſe plenè comprehenſam. Fateor tamen inſtitutum Lulli admirandum & ingenioſiſſimum; ſi fuiſſet, qui applicationis methodum facilitati junctam tradidiſſet. Quæritur itaque in hac Arte modus facilis, & expeditus, quo, ad quamvis propoſitam quæſtionem ſine hæſitatione reſpondeas, quem in noſtra Arte nos Deo dante tradituros pollicemur; Ubi & aliam tabulam uberiorem, & ad quæſtiones formandas commodiorem nos exhibituros confidimus. Sed procedamus ad quartam Figuram.

§. II.

De Figura quarta Lulliana.

Quarta Figura Lullianæ Artis tribus circulis conſtat, quorum ſuperior eſt immobilis ſeu fixus; duo verò interiores ſunt mobiles ut in præſenti Figura apparet.

Verùm hoc loco ſolùm primas ſeptem revolutiones ad Lectoris directionem apponam eo modo, quo ex circulis extractæ ſunt, ut Combinationis ratio facilius intelligatur.



Figura

Figura quarta Lulliana.

Revolutio Prima.	Secunda.	Tertia.	Quarta.	Quinta.	Sexta.	Septima.
B C D	B D E	B E F	B F G	B G H	B H I	B I K
B C E	B D F	B E G	B F H	B G I	B H K	
B C F	B D G	B E H	B F I	B G K		
B C G	B D H	B E I	B F K			
B C H	B D I	B E K				
B C I	B D K					
B C K						

Genesis harum Columellarum hæc est: Si immobilis circuli exterioris literæ B. ad medii circuli literam C. applicueris, & deinde inferioris circuli literis ordine à D. incipiendo, literis B C. admoveris, nascetur prima Columna septem Camerarum. Hoc peracto, si B. submoveris D. in secundo circulo, & in tertio circulo literam E. admoveris literis B D. ex revolutione circuli infimi nascetur Columna secunda. Si iterum B. in secundo circulo E. & in tertio circulo iis admoveris literam F; ex revolutione hujus circuli nascetur tertia Columna: & sic de cæteris; Et sunt 28. quæ per 3. multiplicata dant 84. & hæc iterum multiplicata per 3. dant 252. Cameras, totidem videlicet sedes argumentorum. Atque hæc est methodus à Lullo præscripta, pulchra sanè, & quæ ingenium sapiat, si terminorum reducibilium applicationem clariùs & ἀμεθοδίρως docuisset. Quod ut fiat, nos aliam tabulam combinatoriam in sequentibus exhibebimus, qua quæcunque intra hanc Artem desiderari possunt, continentur. Sed jam ad praxin ejus procedamus.

Duplicem hujus figuræ praxin præscribit Lullus, una, quæ fit per circulorum revolutionem; Altera per Tabulam; per circularem figuram omnes quæstiones scibiles, & peregrinas determinari, & examinari posse putat, & ad conclusionem formandam plures rationes adduci; atque in hac consistit, ut termini impliciti reducantur ad terminos explicitos, quæ sunt octodecim principia partim absoluta, partim respectiva, & novem subjecta, de quibus primo loco.

Secundò per Tabulam, quam generalem vocat, & ut suprà distinguit, ex trium circulorum revolutione conficitur cum addito T. quæ respectiva principia post se denotat sumenda, & est illa quæ sequitur.

TABULA *Generalis Lulli.*

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.
b c d t	c d e t	d e f t	e f g t	f g h t	g h i t	h i k t
b c t b	c d t c	d e t d	e f t e	f g t f	g h t g	h i t h
b c t c	c d t d	d e t e	e f t f	f g t g	g h t h	h i t i
b c t d	c d t e	d e t f	e f t g	f g t h	g h t i	h i t k
b d t b	c e t c	d e t d	e g t e	f h t f	g i t g	h k t e
b d t c	c e t d	d f t e	e g t f	f h t g	g i t h	h k t i
b d t d	c e t e	d f t f	e g t g	f h t h	g i t i	h k t k
b t b c	c t c d	d t d e	e t e f	f t f g	g t g h	h t h i
b t b d	c t c e	d t d f	e t e g	f t f e	g t g i	h t h k
b t c d	c [illegible] e	d t e f	e t f g	f t g h	g t h i	h t i k
c d t b	d e t c	e f t d	f g t e	g h t f	h i t g	i k t h
c d t c	d e t d	e f t e	f g t f	g h t g	h i t h	i k t i
c d t d	d e t e	e f t f	f g t g	g h t h	h i t i	i k t k
c t b c	d t c d	e t d e	f t e f	g t f g	h t g h	i t h i
c t b d	d t c e	e t d f	f t e g	g t f h	h t g i	i t h k
c t c d	d t d e	e t e f	f t f g	g t g h	h t h i	i t i k
d t b c	e t c d	f t d e	g t e f	h t f g	i t g h	k t h i
d t b d	e t c e	f t d f	g t e g	h t f h	i t g i	k t h k
d t c d	e t d e	f t e f	g t f g	h f g h	i t h i	k t i k
t b c d	t c d e	t d e f	t e f g	t f g h	t g h i	t h i k

Hæc

Hæc est celebris illa Tabula Lulliana, quod subjectum est, in quo intellectus, ut ille dicit, se facit universalem, & quod intelligit, & abstrahit ab ipso multa particularia omnium materiarum, discurrendo per principia, applicando cuilibet quæstioni 20 rationes, declarandoque suam quæstionem, & à qualibet Camera ipsius Columnæ abstrahitur una ratio. Tabula habet septem Columnas, in quibus implicantur 84 Columnæ explicatæ in præcedentibus. In ipsa Tabula T. significat, quod literæ, quæ præcedunt T. pertinent ad primam Figuram; & quæ T. sequuntur, pertinent ad secundam Figuram. Per Tabulam, uti ait Lullus, intellectus ascensivus & descensivus fit: Ascensivus est, quandò ascendit ad priora, & generaliora; Descensivus verò quandò ex universalibus descendit ad particularia. Est & Copulativus, quia adjungit Columnam. *V. Gr.* B C D. cum C D E. & sic de cæteris. Hisce deinde jungit aliam praxis methodum, quam vocat multiplicationem quartæ Figuræ, & hisce subjectis regulis de inventione principiorum, & regularum, quas applicare docet novem subjectis universalibus: Apponit tandem his 100 formarum applicationem; quibus omnibus ritè cognitis, ait; quemvis ad omnium notitiam pervenire posse; praxin arcanumque, ab omni obscuritate solutam in III. Libro demonstro; quia etsi quandoque mysteria sub ipso latentia prodat, adeò tamen obscurè & confusè ea proponit, ut quid velit, nisi ab exercitatissimo intelligi vix possit; ne itaque hoc loco & in principio hujus operis statim caliginem Lectori offundam, arcanæ methodi elucidationem consulto in Lib. III. distulimus. Nostrum enim est, non Lullianam methodum hoc loco docere, sed principiis ab eo mutuatis novam condere, multò Lullianâ faciliorem; expeditioremque; quod jam dante Deo nos præstituros confidimus.



ARTIS MAGNÆ SCIENDI, *SIVE* COMBINATORIÆ, LIBER SECUNDUS.

QUO

Nova methodus Lulliana facilior, aptior atque expeditior in meliorem formam reducitur.

PARS I.

Modus & ratio novæ doctrinæ exponitur.

CAPUT I.

De Causa, & Occasione novæ methodi.



Difficultatem Lullianæ methodi in tribus consistere, suprà docuimus; quorum primum in Alphabeto novem literarum B C D E F G H I K consistit, quarum unaquæque diversa rerum significata notat; Verbi gratia: B. notat Bonitatem, Utrum, Deum, Differentiam, Justitiam, Avaritiam. C. alia, uti suprà ex Alphabeto Lulliano patuit; quæ res dici non potest, quantam in Tyronum animis confusionem in tanta ad novem hæc principia absoluta, cæterorumque reducibilium terminorum implicitorum multitudine pariat. Secunda difficultas in hoc consistit, quòd difficillimum, & perarduum sit, terminos sex Enneadum ad suas singulis congruas literas, earumque significata reducere. Tertia est, quod divinam memoriam habere oporteret, qui regulas, terminos, propositiones, distinctiones, definitiones, Figurarum inter cætera significationem, tot conversiones Figurarum, centumque formarum positiones, perfectè, & sine confusione menti impressas teneat, & cum sperato fructu ad aliquid in Arte præstandum, pertingat; Unde ipsemet Lullus apertè fatetur, neminem ad Artis perfectionem pertingere posse, nisi & subtilissimo ingenio, tenacissima memoria, & naturali quadam mentis sagacitate imbutus fuerit; Hanc summam penetrandæ artis difficultatem, cum plures mihi proposuissent, tum in excellenti dignitatis gradu constituti, tum ex celebrioribus Academiis Viri, omni literarum genere ornatissimi, & num ad faciliorem methodum, tam intricatum negotium redigi posset, à me quæsissent; ego verò à natura ita comparatus sim, ut nihil laude dignius existimem, quàm conclamata penè, quæ in Scholis passim in omni scientiarum genere occurrunt, argumenta, ad incudem revocare; & si quidem ingenii Vires non deficiant, novo inventionum cumulo adornare, ita & artem Lullianam nova methodo, eaque commodiori exornatam bono publico exhibere, ut inventum sublime, quod ab illuminato Lullo, laudabili conatu inceptum fuit, meâ operâ compleatur. Ab ovo itaque rem ordiamur.

CAPUT II.

De modo & ratione Artis novæ, & de novis Alphabetis, quæ singulis differentibus Enneadum classibus attributa sunt.

CUm itaque proprio experimento, difficultates in Arte Lulliana suprà descriptas didicissem, seriò mecum pensitavi, quî ingeniosi Viri inventa nonnullum tandem in Republica Literaria usum obtinerent. Ad confusionem itaque vitandam, & ad omnia majori cum distinctione dilucidanda, primò Characteres Lulli mutavimus; id est, nova Alphabeta præscripsimus: Enneades tamen, tum erotematum, sive quæstionum, tum principiorum, tàm absolutorum, quàm relativorum, eo ordine, quo eas Lullus posuit, veluti unicum totius Artis fundamentum, paucis immutatis, retinuimus, Figuris tantùm alio modo dispositis; undè differentes à Lullo, & Circuli, & Pinaces, seu Abaci Combinatorii emerserunt. Prædicata quoque singulis triadibus literarum propria, veluti media quædam argumentandi adjunximus, ne quicquam deesset, quod negotio, omni ex parte summam facilitatem conciliaret. Quæ omnia ordine prosecuturus, ea, qua licebit, brevitate perstringam.

CAPUT III.

De Enneade Erotematica, sive de Quæstionibus.

CUm nihil sine Quæstione in negotio Literario confici possit, rectè primo loco Enneadem Erotematicam posuimus, tanquam primum omnium fundamentum.

Lullus hanc Enneadem communi Alphabeto suo, non sine confusione Legentium inseruit, ita ut B. literæ tribuat quæstionem Utrum: C. Quid: D. de quo: & sic de cæteris ordine quæstionum circumstantiis, uti ex Alphabeto ejus suprapoſito patet. Nos ad confusionem vitandam, peculiari Alphabeto hanc Enneadem, videlicet per novem numerorum naturali ordine procedentium, Figuras exornabimus; ita ut per 1. quæstio An: per 2. Quid: per 3. Cur, per 4. Quantum, & sic de cæteris, sint indicatæ. Retinemus autem hic Enneadem Erotematicam, sive quæstionariam, sed ordinem tantùm permutavimus; Enneas sequitur unico Versiculo comprehensa.

1.	2.	3.	4.	5.
An.	*Quid.*	*Cur.*	*Quantum.*	*Quî.*
6.	7.	8.	9.	
Quale.	*Ubi.*	*Quando.*	*Quibuscum.*	


Ad hanc Enneadem Erotematicam, quidquid sub quæstionem cadere potest, comprehenditur, ita ut nihil in rerum natura sit cognoscibile, quod non hac quæstionum Enneade exhauriatur; unde magni in hac nova Arte momenti est, & meritò primum inter Enneades paulò ante expositas locum meretur; Cum inquisitio rerum ante omnia naturaliter sibi insita habeat harum quæstionum circumstantias; ut si de Platone V. G. inquisitio facienda sit, Ante omnia quæri solet; An Plato verè talis fuerit, qualis describitur: quid fuerit, quid egerit; Cur Plato vocatus; quantus, & qualis fuerit; quando, ubi, quomodò, quibuscum vixerit. Hoc pacto in omni quæstione, de quacunque re instituta, procedendum est. Quam Enneadem, qui ritè callueri, is innumerabiles sibi argumentorum, rationumque novarum sedes præparatas inveniet, ad disceptationem propositam, multis variisque modis urgendam, uti posteà in praxi videbitur. Sed jam singulorum principiorum definitiones, divisiones, distinctiones ordine describamus.

CAPUT IV.

De definitione principiorum Erotematicæ Enneadis, & de Regulis obſervandis in quæſtionibus.

OMnis quæſtio neceſſariò prærequirit ſubjectum aliquod, circa quod diſceptatio inſtituatur. Talia ſubjecta nos in præcedentibus, novem ſtatuimus cum Lullo, & ſunt: Deus, Angelus, Cœlum, Elementa, Homo conſtans anima & corpore, Animalia, & quæ totum comprehendunt naturæ ambitum, Plantæ, ſive vegetabilis natura, Mineralia, & quæcunque ex his mixta oriuntur, denique Materialia, ſive Inſtrumentalia: Ad quæ novem ſubjecta, quidquid univerſâ Mundi Machinâ continetur, revocatur. Horum autem ſubjectorum natura & ratio ſciri non poſſunt, niſi per prævium quæſtionum hîc poſitarum examen; neque hæc omnia cognoſci poſſunt, niſi per novem principiorum eſſentialium, tàm abſolutorum, quàm relativorum acceſſionem. Atque hoc Enneadum quaternario, vera illa à Pythagora intenta Tetractios notitia perfectè acquiri poteſt. Quæ omnia unico typo hîc exhibenda duxi.

Typus univerſalis, omnibus de quacunque re propoſita quæſtionibus formandis, aptus.



TABU-

TABULA *Significationis Quæſtionum.*

1. *An.*	Connotat, rei	Poſſibilitatem, & exiſtentiam.
2. *Quid.*		Quidditatem.
3. *Cur.*		Cauſalitatem.
4. *Quantum.*		Quantitatem, Multiplicitatem.
5. *Qui. quomodo.*		Modalitatem.
6. *Quale.*		Qualitatem.
7. *Ubi.*		Localitatem.
8. *Quando.*		Temporalitatem.
9. *Quibuſcum. de quo.*		Inſtrumentalitatem.

CAPUT V.

De Regulis Quæſtionum.

QUæſtio hic dicitur, non dubitativa propoſitio, ſed ipſum ſignum quæſitivum, ſive ipſe terminus, per quem quærimus. Regulam verò dicimus, rectam rationem reſpondendi ad quæſtionem; Regulâ ſiquidem dirigitur intellectus, ut aptè definire poſſit. Diſtinguuntur autem hæ quæſtiones inter ſe; quarum aliæ ſunt eſſentiales, quibus de eſſentia rei quæritur; aliæ accidentales, quibus quæritur de aliquo accidente rei, & neceſſariò præcedit, ne in cæteris perperam tempus teratur.

REGULA I.

Per quæſtionem; An *vel* Utrum?

Quæſtio *An*, vel *Utrum*, ſemper poſſibilitatem rei implicitam habet; Unde ſemper ſub dubio reſpondendum eſt, vel affirmativè, vel negativè, vel diſtinctivè.

	Quæritur itaque primò.	Subjecta univerſalia.		*Reſpondetur per dubitationem, affirmationem, vel negationem.*
An ſit	Simpliciter, an conditionaliter.	Deus.	Per	Dubitationem; quando dubii rei effectus proponuntur, ſi in alterutram partem rationes produci poſſint, ſi propoſitiones ſibi invicem fidem abrogantes, adferantur.
	Per ſe, an in alio ſubjecto.	Angelus.		
	Per compoſitionem partium.	Cœlum.		
	Per additionem.	Elementa.		Affirmationem; Si exhibitæ rei, neceſſitas, contingentia, authoritas, tum ex ſacris, tum ex profanis hyſtoriis adfertur.
	Poſſibiliter.	Homo.		
	Impoſſibiliter.	Animal.		
	Neceſſariò.	Planta.		Negationem; cum impoſſibilitas, authoritate, ratione, experimento, probatione facti, vel artificioſâ, vel conjecturali oſtenditur.
	Contingenter.	Minerale.		
		9. Prædicamenta.		

REGULA II.

De

Quid. Quis. Quæ. Quod.

Habita cognitione, quòd res propoſita, verè, & realiter ſit, rectè Reſpondetur, quid ſit illa res, atque adeò quæſtio ſtatim quidditatem, ſeu definitionem rei explicat.

Quæritur itaque. — Subjecta universalia.

Quæritur itaque		Subjecta universalia
Quid illa res sit in se, quid in alio? Quid in se formaliter, id est, per formam? Quid in se sit essentialiter, ratione sui esse? Quid essentialiter, id est, cum alio? Quid agat, quid patiatur? Quid sit contentivè, an ut totum respectu partium? Quid compositivè, id est, quam habeat mixtionem materiæ & formæ? Quid eminenter, respectu entium Mundi? Quid virtualiter in esse reali? Quid virtualiter in esse cognito? Quid potentialiter, respectu actionum, & objectorum? Quid unitivè, respectu generationis? Quid indenticè, ratione speciei? Quid per dominium, ratione rerum sibi subditarum? Quid per influxum, ratione Coeli, & Astrorum? Quid per mixtionem, ratione Elementorum? Quid per modum perficientis substantialiter, vel accidentaliter?	*Verb. Gr.* Quid sit	Deus. Angelus. Cœlum. Elementa. Homo. Animal. Planta. Minerale. 9. Predicamenta.

EXEMPLUM I.

Ut si quæratur.

Quid sit homo? ℞. Esse Animal rationale.
Quid in se formaliter? ℞. Quod omnem operationem à forma rationali obtineat.
Quid homo est in se essentialiter? ℞. Esse compositionem ex materia & forma rationali.

Et sic de cæteris, quæ in sequentibus fusiùs declarabuntur.

EXEMPLUM II.

Quid sit in alio?

An ut: 1. Forma accidentalis sive substantialis in materia? 2. Pars in toto? 3. Totum in suis partibus? 4. Inferius in superiori?

An ut: 5. Potentiâ, seu virtute in alio? 6. Locatum in loco? 7. Causa in effectu, & contra? 8. Principiatum in suo principio?

EXEMPLUM III.

Quid Deus in se? ℞. Esse suum esse.
Quid in alio? ℞. Dominus, Creator, Omnipotens, Salvator.
Quid in se in formaliter? ℞. Esse bonum, magnum, æternum, verum &c,
Quid essentialiter, & coëssentialiter? ℞. Esse per se, & essentialiter, esse trinum per notionales actus.

Hoc pacto actio & passio in Deo non est prædicamentalis, sed perfectiva; sic primum principium activum, in Deo paternitas est, filiatio passivum generationis principium.

Quid contentivè? ℞. Esse omnia in omnibus, complecti omnia absque fine & termino.
Quid compositivè? An compositionem aliquam admittat?
Quid eminenter? ℞. Omnium eminentissima perfectione continere omnes perfectiones creaturarum.
Quid potentialiter? ℞. Esse omnipotentem.
Quid unitivè? quid identicè? ℞. Esse unum simplex perfectum, unitate essentiali. Et sic de cæteris.

RE-

REGULA III.

De Cur, Quare.

Quæstio, (*Quare*) meritò quidditatem sequitur, & involvit intra se omnem Causalitatem, & clavis dicitur, quâ portæ scientiarum aperiuntur.

Quæritur itaque.

Quare res est proposita? Quare est hoc, & non aliud? Quare est ab hoc? Quare est hujus?	Resolvitur tertia quæstio per	Causam efficientem. Causam motivam seu impellentem seu finalem. Causam materialem. Causam formalem.

Quæritur verbi gratia.

Quare Christus sit & dicatur Pastor bonus?	℞. Per causam efficientem hujus pastoratus, quæ est præordinatio, & unctio ad hujus genus muneris.
Quare voluerit esse Pastor bonus? id est, quæ causa motiva?	℞. Quia purus Dei amor, beneplacitum, & voluntas Dei fuit.
Per causam materialem.	℞. Quia nos gubernat, nutrit, defendit, lupos coërcet, oves tuetur.
Per causam formalem.	℞. Quia nutrit pabulo spirituali carnis suæ, regit verbo ac Spiritu ad vitam æternam consequendam.
Per causam finalem.	℞. Quia gloria Dei, & Christi indè consequitur. &c.

REGULA IV.

De Quæstione Quantum.

Quæritur in hac Regula de *quantitate absoluta*, vel *comparativa*; *continua*, vel *discreta*, quæ ita generaliter hoc loco accipitur, ut quamlibet formalitatem, uti finitum, & infinitum, comprehendat.

Quæritur itaque primò. Num res, quæ proponitur, sit extensivè, vel intensivè quanta; sitnè longa, lata, profunda, & hujus regula est *quantitas*.

Secundò quæritur de multitudine, & fit per signum *Quot*: cujus regula est *multitudo*.

Tertiò quæritur de ordine, & fit quæstio per signum *Quotus*, cujus regula est *Ordo*.

Quartò quæritur de multiplicatione, & fit per signum *Quotuplex*, cujus regula est *multiplicitas*.

Quintò quæritur de distributione, & fit per signum *Quoties*, cujus regula est *distributio*.

REGULA V.

De Quæstione Quî, *vel* Quomodò.

Involvit hæc quæstio omnem modalitatem, sive varios essendi modos.

Quæritur itaque, quomodò *res proposita sit in alio?*

An ut	1. Genus in specie? 2. Species in individuo? 3. Species in genere? 4. Individium in specie? 5. Pars in toto integrali? 6. Totum in partibus? 7. Accidens in subjecto? 8. Forma in materia? 9. Causa in efficiente? 10. In Causa finali? in Loco?	An ut	11. In Tempore? 12. In Vase? 13. In Gubernatore? 14. Secundùm quandam præcellentiam? 15. Forma naturalis, ut immortalitas in anima, ratio in homine? 16. In Commixtione? 17. Cognitum in cognoscente? 18. Pictum in pictura? 19. Æquivocè? 20. Æquivocum & analogum in æquivocato & analogato?

REGULA VI.

De Quæstione, Quale.

Quæstio, *Quale*, de duplici *qualitate* instituitur, & est regula dirigens intellectum ad cognoscendas qualitates alicui subjecto inexistentes; estque *substantialis*, vel *accidentalis*, vel *moralis*. Substantialis qualitas est illa, quæ immediatè profluit ab essentia rei, uti risibilitas in homine, hinnibilitas in equo &c: uti patet ex hoc syllogismo.

Omne præscindens à quocunque posteriori realiter identificatur cum omni incluso in eo.

Sed homo in quantum homo præscindit à quocunque posteriori.

Ergo realiter identificatur cum omni incluso in eo.

Sed risibilitas proprietas hominis includitur in homine.

Ergo identificatur cum eo realiter.

Major est vera; Minor pariter vera est, per reduplicationem factam, quâ id solum ponitur, quod est de essentia rei: quoad secundam consequentiam etiam patet; nam homo in quantum homo, habet potentiam ad actum ridendi, nec Deus posset dare ei illam proprietatem, si ejus incapax esset. Hinc patet, omnes proprietates immediatè à forma rei emanantes, esse essentiales & substantiales; tunc tamen accidentium numero jungi, quando ad actum externum ordinantur, & pro termino habent actum extrinsecum, videlicet ridendi; & talis qualitas non modò distinguitur realiter juxta mentem *D. Thomæ* à subjecto, sed etiam essentialiter à genere subalterno; substantialis verò & intrinseca juxta *Scotum* formaliter. Accidentalis verò qualitas sivè communis pluribus convenit, ut albedo, nigredo; ut in qualitatibus elementaribus siccitas terræ appropriatur igni; & caliditas ignis, aëri; & aquæ humiditas, aëri; & terræ, aquæ frigiditas. In Deo verò qualitas, sivè proprietas, est prorsus substantialis, alterius ordinis à prædicamentali; siquidem, quæcunque in eo attributa considerantur magnitudinis, infinitudinis, æternitatis &c: Sunt ei propria substantialiter, & indentificata cum ipsa natura, & essentia Dei; in quantum verò notionales actus concernunt, Paternitas est propria Patri; Filiatio, Filio; Spiritui Sancto verò, Spiratio passiva propria est.

Quæritur itaque primò de quocunque subjecto proposito.

Quale id sit intrinsecè & essentialiter?	℞. Per omnes eas, quæ essentiam rei concernunt, qualitates.
Quale sit, in quantum accidentibus subjectum est?	℞. Vel quantitate extensiva vel intensiva.
Quale sit quoad actionem & passionem?	℞. Esse quale suscipiendo omnes qualitates, sivè primas elementares, sivè secundas, sivè tertias, sivè intrinsecas sivè extrinsecas operationes, sivè à sensibus dependentes.
Qualem respectum, sive relationem dicat ad alia?	℞. Comparando qualitates singulas ad alias considerando, & combinando eas cum respectu unius ad aliud.
Quale sit in loco, tempore, situ, habitu?	℞. Juxta eas conditiones, quas circumstantiæ loci, temporis, situs, habitus, requirunt.
Quale sit moraliter?	℞. Esse quale per virtutes morales, & opposita iis vitia.

REGULA VII.

De Ubi.

Quæstio de, *Ubi*, *localitatem* rei involvens triplex est: *Immensurativa*, *Definitiva*, *Circumscriptiva*; gratia cujus unumquodque supponitur ratiocinio per regulas magnitudinis, & durationis, & secundùm judicium in iis repertum respondendum est ad quæstionem *de Ubi*. Ut si quæratur, ubi est Deus? Videndum est primò, quid sit Deus secundùm præmissas quæstionum regulas; quo facto; Respondeo. Deum esse ubique, eò quod sit ens immensum, quo majus excogitari non potest, ac magis rebus omnibus, quàm res ipsæ sibi ipsis, intrinsecum; Et sic est in quolibet indivisibili puncto non tanquam ens comprehensum à loco, sed tanquam ens comprehendens, & locum, & omnia, quæ naturæ ambitu concluduntur. Quomodo Deus sit.

Angelus verò est in loco definitivè, quia ejus localitas non est immensè, sed suis finibus Angelus quomodo in loco.

bus & terminis à Deo conſtitutis clauditur, totus in toto, & totus in qualibet parte, ubi enim operatur, ibi eſt; ſi enim eſt in Oriente, non eſt in Occidente; ſi in hoc loco, non eſt in alio; quæ de Anima rationali pari ratione intelligenda ſunt.

Homo verò corporeus circumſcriptivè in loco eſt, & talis locus eſt habitudo locantis ad rem locatam, id eſt, loci, ad hominem locatum. Homo, & res corporeæ.

Quæritur itaque.

Ubi ſit res propoſita?	℞. Per definitionem loci.
Quantum ubi habeat?	℞. Per tres ſpecies, uti, per immenſurativam in Deo: per definitivam in Angelis: per circumſcriptivam in corporeis rebus.
Quale ubi habeat?	℞. Per Figuras locantis & locati.
Quamdiu ibi duret?	℞. Per moram locati in loco mutabili, in Angelis & homine, immutabili in Deo, qui eſt in ſe ipſo ſine loco.
An ſpatium imaginarium ſit in loco?	℞. Neg. per nullibi, quia ubi non eſt locus, ibi removentur omnia quæ ad locum pertinent, uti alibi, ibi, alicubi. &c.

REGULA VIII.

De Queſtione Quando.

Quæſtio de *Quando* interrogat de *duratione* rei ſecundùm ejus permanentiam; eſtque triplex; videlicet *æterna*, *æviterna*, *temporalis*; quarum prima Deo; ſecunda Angelis, Animabus, Mundo; Tertia generationi, & corruptioni obnoxiis rebus convenit. Nam ſi quæratur de Deo, quando ſit; poſtquam examinaſti, primò, quid ſit, & de quo ſit; deinde quando ſit, ubi ſit, ſecundùm judicium in eis inventum, reſpondendum eſt; & quoniam eſt ens ubique præſens, & immenſum, quo majus excogitari non poteſt; ergò æternum eſſe infe-res, & quod duratio ejus ſit interminabilis vitæ, tota ſimul & perfecta poſſeſſio, & hoc pacto omnem amplectitur durationem in ſe ſemper exiſtentem, & ſic totius temporis defluxus ad eum comparatus, non eſt, niſi inſtantaneum in æternitate momentum.

3. Species durationis.

Æterna duratio.

Æviterna verò duratione omnes immediati primæ cauſæ effectus menſurantur, uti Angeli, Animæ, & cætera tempori ſubjecta entia, quoad initium ſaltem, non verò, quoad terminum. Æviterna.

Temporali denique duratione omnia reliqua, tempori ſubjecta, & generationi & corruptioni obnoxia, uti animalia, plantæ, & ex elementorum mixtura compoſita corpora. Temporalis.

Quæritur itaque.

Quando res propoſita ſit aut fuerit?	℞. Per circumſtantias temporis, annos, menſes, ſeptimanas, horas, minnuta, &c.
Quanto tempore permanſerit in tali & tali ſtatu?	℞. Tali monarchia, tot & tot annis, ſub talis Regis, Principis imperio, tanto tempore.
Sub quali conditione temporis fuerit?	℞. Tempore felici vel infelici, ſub tali & tali Rege, dominio, principatu, imperio.

REGULA IX.

De Quæſtione Cum quo, *&* de quo.

Quæſtio, *cum quo*, annexam habet inſtrumentalitatem, dùm quæritur, cum quo inſtrumento res agat; eſt autem triplex *inſtrumentum*, quo omnia peraguntur; *Naturale*, *Morale*, *Artificiale.* Naturale inſtrumentum, ut ita dicam, quo Deus agit, eſt intellectus divinus, quo generat Filium, Pater verò & Filius voluntate producunt Spiritum Sanctum. Pater & Filius & Spiritus Sanctus omnes producunt creaturas, & humanitas Chriſti inſtrumentum fuit divinitatis ad humani generis redemptionem. In Angelis pari paſſu inſtrumenta agendi ſunt intellectus & voluntas, ut & in homine, in ſingulis ſuo modo. Inſtrumenta Moralia in homine

Inſtrumentum triplex.

Naturale quodnam.

Morale. homine ſunt virtutes morales, quibus Creatura rationalis dirigit ſuos actus. Artificiale. Inſtrumenta Artificialia, pro externarum operationum varietate, varia ſunt; Alia ſiquidem ſunt militis, alia agricolæ; alia aurificis; alia textoris ſunt inſtrumenta; alia Medici, alia Mathematici, alia aliarum artium.

Quæritur itaque.

Cum quo res propoſita operetur? ℞. Juxta prædictæ diviſionis triplicis inſtrumenti rationes; naturales, morales, inſtrumentales.

Quod ſit inſtrumentum operationum ejus? ℞. Vel juxta internas, vel externas rationes inſtrumenti.

Qualenam ſit inſtrumentum? ℞. Cognitionis internæ, vel externæ ſive factionis.

Materialitas. Hiſce jungunt nonnulli quæſtionem, *De quo*; quæ quæſtio materialitatem implicitè ſignat, & materiam, ex qua aliquid fit, indicat: Ad quam tripliciter reſpondetur; vel enim res propoſita eſt non ab aliquo, nec de aliquo, ut Deus. Secundò non de aliquo, ſed ab aliquo, ut creatum omne, Angelus, anima. vel eſt de aliquo, & ab aliquo, cujuſmodi ſunt omnia corporea, generata, producta, facta, formata; Fit autem aliquid ex alio, ut ex materia ſenſibili, vel ex materia ſpirituali.

Unum ex alio fit, vel Materialiter. Ex materia ſenſibili variè aliquid fit vel *Materialiter* mutata forma, ut dum ex materia, forma educta conſtituit animal.

Converſivè. Vel *converſivè*, ut dum cibus & potus in ſubſtantiam aliti convertuntur; metallum unum in aliud; lapis in calcem.

Vel *commixtivè*, ut dum ex aqua, & melle fit hydromel. &c. Commixtivè.

Vel *aggregativè*, ut dum ex calce, lignis, lapidibuſque fit domus. Aggregativè.

Vel *compoſitivè*, ut dum ex anima & corpore fit homo, ex forma & materia compoſitum. Compoſitivè.

Ex materia ſpirituali fit aliquid ex alio, cum de aliqua re inſtituitur tractatio, uti hujus operis ſunt artes, & ſcientiæ; vel quando imagines ſeu phantaſmata appreheñſa, vel notiones rerum conſtituunt diſcurſum, vel ſermonem, vel conſilium. Denique complectitur hæc quæſtio materiam primam & ſecundam. Verùm de hac quæſtionum Enneade in ſequentibus ex profeſſo & didacticè agetur.

CAPUT VI.

De Alphabetis novis, ab hujus Authore operis poſitis.



Um Lulli Alphabetum, id eſt, Enneadem literarum B C D E F G H I K. uti magna rerum multitudine confuſum, ita maximo Artiſtæ impedimento, in diſcriminandis tot regulis, principiis, quæſtionibus, ſubjectis, virtutibus, vitiis, futurum cognoſcerem; literas alio modo diſponendas exiſtimavi, ut quivis ſtatim ex litera principium eſſentiale cognoſceret; ſiquidem Bonitatem initiali ſua litera, B. ſignavimus; Magnitudinem initiali litera M; Durationem litera initiali D; & ſic de cæteris, ut in ſubjecto ſchemate patet.

TABULA *Alphabetorum Artis noſtræ.*

Columna prima. *Alphabetum primum Erotematicum.*	Columna ſecunda. *Alphabetum principiorum abſolutorum.*	Columna tertia. *Alphabetum principiorum reſpectivorum.*	Columna quarta. *Alphabetum principiorum univerſalium.*
1. An.	1. B. Bonitas.	1. = Differentia.	1. △ Deus.
2. Quid.	2. M. Magnitudo.	2. ♡ Concordantia.	2. Angelus.
3. Cur.	3. D. Duratio.	3. ●○ Contrarietas.	3. ◎ Cœlum.
4. Quantum.	4. P. Potentia.	4. α Principium.	4. □ Elementa.
5. Quî.	5. S. Sapientia.	5. ⊙ Medium.	5. Homo.
6. Quale.	6. Vo. Voluntas.	6. ω Finis.	6. Animalia.
7. Ubi.	7. Vi. Virtus.	7. M Majoritas.	7. Plantæ.
8. Quando.	8. Ve. Veritas.	8. Æ Æqualitas.	8. ⬠ Mineralia & omnia mixta.
9. Quibuſcum.	9. G. Gloria.	9. Mi. Minoritas.	9. ⁝⁝⁝ Materialia; Inſtrumentalia.

Nam

Nam viſâ literâ principium latere non poteſt; ſic hæ tres literæ B. M. D. indicant Bonitatem magnam eſſe durabilem; ſic M. Vi. Vo. notant, magnam vim Voluntatis eſſe, & ſic de cæteris.

Præterea ad principia reſpectiva luculentius exprimenda alia ſigna ordinavimus, ut ea, ſi literis, tabuliſque alicubi intermiſceantur, principia reſpectiva, ab abſolutis, melius dignoſcerentur; ac primò quidem *Differentiæ principium* ſignavimus binis lineolis parallelis, hoc pacto = uti in ſecunda Columna patet: *Concordantiam* ♡ Figurâ cordis, quæ conjunctionem, concordantiam, unionem indicat; *Contrarietatem* verò ſeu *Oppoſitionem* expreſſimus ſigno Aſtronomis uſitato, & quod oppoſitionem Aſtrorum notat, ut ſequitur ●○ ubi unus circellus niger, alter albus contrarietatem notat. *Principium* notavimus litera Græca, α, Alpha, *Medium* circulo cum centro ⊙. *Finem* per ω Omega exhibuimus, uti videre eſt in ſecunda Columna. *Majoritatem* per magnam M. A. ſuffixum, ut diſtinguatur contra magnitudinem abſolutum principium. *Æqualitatem* per diphtongum Æ, initialem æqualitatis literam; *Minoritatem* per, Mi, minuſculum cum adjuncta i litera. Sed hæc vide in Schemate tertiæ Columnæ.

Figuræ ſeu characteres quibus notantur, principia reſpectiva.

Subjecta verò univerſalia ſingula propriis ſignis ſignanda rati ſumus, ita ut per △ *Deus tri-unus*; per Figuram alatam *Angelus*; per circulos *Cœlum*; per ⊡, *Elementa*; per ſignum humanum, *Homo*, & quæ ad hominem quovis modo ſpectare poſſunt; per *Quadrupedem*, animalia quadrupedia, aquatica, volatilia, inſecta; per *Arborem* plantæ, arborum, fruticumque genera & ſpecies; per *Saxum* Mineralia, & omnia mixta; per ⁞⁞⁞ novem *Prædicamenta* accidentalia; inſtrumentalia quoque, materia prima & ſecunda, & quæcunque huc revocari poſſunt, deſignantur, uti ex quarta Columna patet.

Signa ſubjectorum univerſalium.

Atque ad hanc trinitatem Enneadum, quicquid cognoſcibile eſt, reducitur, ſuntque fæcunda quædam totius ſcientiæ humanæ & divinæ ſeminaria, quemadmodum ſuo loco, & tempore demonſtrabimus.

Horum naturæ principiorum uſum ad omnium notitiam primò per circulos, deinde quoque per tabulas combinatorias, quas græcè ἐπιζεῦξεις vocant, exhibebimus. Quod antequam præſtemus, primò ſingula harum Enneadum principia explicabimus; ut tranſcendentalis eorum ratio, & longè, latèque in omnem naturæ ambitum exporrecta latitudo, luculentiùs pateſiat.

PARS II.

De definitione principiorum abſolutorum, quæ ſunt

B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.

Nota B. M. D. P. &c. nil aliud ſignificare, quàm initiales literas. Bonitatis magnitudinis, durationis; ut Lector ſtatim ex initiali litera prædicata ſive principia cognoſceret.

CAPUT I.

De definitione Bonitatis.



Um principium demonſtrationis ſit definitio rei, ab iis, quibus ignoratis artem & ſcientiam ignorare neceſſe eſt, ordiemur

Quid ſit bonitas.

Definitio *Bonitatis* ſic ſeſe habet: *Bonitas eſt ens, ratione cujus bonum eſt bonum*; ſic bonum eſt eſſe, & malum non eſſe; & quoniam omnis bona definitio conſtat ex genere & differentia; in prædicta definitione ens loco generis ponitur, non tamen tanquam contrahibile ad Bonitatem; Bonitas enim, non ſolum abſtrahit ab ente, ſed ab ipſa entitate; ideò ab ipſa formalem prædicationem ſuſcipere non poteſt; ſed dicitur tantùm de bonitate ens, denominatione extrinſeca. Alii definiunt bonitatem, quaſi ſit ens boni, fons, & origo omnis boni, eſſentiæ, & actionum, quæ privatione non ſeparantur in eodem ſubjecto & tempore.

Bonitas eſt duplex: *Increata*, que eſt bonitas ſimpliciter, & per ſe abſolutè eſſentialis & neceſſaria, à qua omnia participativè bona ſunt, uti Deus.

Quotuplex bonitas. Increata bonitas.

Creata iterum duplex eſt: *Entitativa*, & *Moralis*, vel *ſubſtantialis* & *accidentalis*; In quantum entitativa eſt, ſub ſe comprehendit omne id, quod quovis modo & actu eſt; & ad hanc omnia entia naturæ revocantur, & cum unitate convertitur.

Creata.

Moralis. Moralis Bonitas illa eſt, quæ ex pluribus actibus à voluntate elicitis, prout recto rationis dictamini conformes ſunt, cauſatur, cui opponuntur vitia & peccata.

Accidentalis. Accidentalis eſt, à quà omne, quod actu eſt bonum determinatur, uti ſunt accidentia cujuſcunque generis; atque hæc eſt diviſio bonitatis omnium generaliſſima.

Sunt itaque omnia vel bona vel mala, vel adiaphora: & adiaphora bona vel mala eſſe poſſunt; ut Otium, Voluntas, Voluptas &c.

Bona finis, ſive propter finem. Sunt & alia bona Finis, alia propter Finem; alia ſimpliciter, & ſunt facultates naturales, ſine quibus natura operari non poſſet.

Bona animi. Sunt iterum alia bona neceſſaria, uti Vita, prudentia, libertas, parentes, virtutes. Non neceſſaria, uti honores, omnes actiones liberæ, quæ commodum aliquod adferre poſſunt.

Bona corporis. Sunt etiam bona corporis, uti ſanitas, pulchritudo, omnis corporeæ eſſentiæ perfectio. Bona animi ſunt omnes virtutes, & actiones imminentes privatæ malitiâ; uti Sapientia. Externa bona ſunt, fortunæ, uti divitiæ, potentia, dignitates.

Eſt itaque bonitas abſtractum quid, & principium generaliſſimum, primitivum, verum & neceſſarium, quia omnia in quantum ſunt, bona ſunt, utpote ſine qua bonitate omnia eſſent mala.

Et quoniam bonitas parum in hac arte præſtaret, niſi & termini, qui ad eam quovis modo reduci poſſunt, aſſignarentur: illos dico nihil aliud eſſe, quàm prædicata illa, quæ ad bonitatem revocari poſſunt; & hæc ingentem nobis propoſitionum ſyllogiſmorumque materiam præbent; vocantur etiam Comparata, & Synonima; quorum alia ad bonitatem entitativam, alia ad moralem, accidentalemque bonitatem pertinent. Quæ omnia hoc loco eo ordine proponemus, ut prima Columna ſemper Majorem in Syllogiſmo propoſitionem denotet, ſecunda verò Minorem cum Concluſione.

I. COLUMNA.

Reducibiles termini Compoſiti ad Bonitatem Entitativam ſeu ſubſtantialem.

Major.			Minor.		Concluſio.
Omne eſſe neceſſarium, *	Bonum eſt.	Sed	Deus.	Talis eſt	Ergo.
Omnis eſſentia per ſeipſam exiſtens,	Bona eſt.		Angelus.	Tale eſt	
Omne ens abſolutum, *	Bonæ ſunt		Cœlum.	Talia ſunt.	
Omne indiviſum in ſe, & à ſe, & à quolibet alio,	Bona ſunt		Elementa.		
Omnis ſubſtantia ſimpliciter ſimplex, *			Homo, natura cœleſtis.		
Omnis actus convertibilis cum ſubſtantia, *			Natura ſenſitiva.		
Omnis emanatio intrinſeca,			Vegitativa.		
Omne neceſſariam eſſendi rationem habens, *			Mineralia.		
Omnes facultates tum intrinſecæ, tum extrinſecæ,			9. Pedicamenta.		
Omne quod actualitatem eſſendi habet,					
Omne eſſe, & eſſentia,					
Omne unitate eſſentiæ ſuæ gaudens, ſive quod unum eſt,					
Omne quod verè & realiter exiſtit, & ſubſiſtit,					
Omne quod perfectione requiſitâ conſtat,					
Omne ens agens, operans, cauſans aliquid,					
Omnes facultates naturales, tum intrinſecæ, tum extrinſecæ,					
Omnia accidentia & qualitates,					

Nota ex his compoſitis terminis nonnullos eſſe qui non niſi Deo competant & ſunt aſteriſco notati. Reliqui indifferenter omnibus ſubjectis univerſalibus applicari poterunt.

II. Co-

II. COLUMNA.

Reducibiles termini Compoſiti qui ad Bonitatem Moralem ſpectant, ad ſyllogiſticam formam reducti.

Major.			Minor. *Subjectæ Virtutes Morales.*		Concluſio.
Omne	quod Acceptabile. quod Appetibile. quod Perfectum. quod Æquum & juſtum. quod Beatitudinem & felicitatem cauſat. Benignum, beneficum, benevolum. Diffuſivum ſui. Communicativum. quod Commodum, & emolumentum refert. Congruum, & conveniens. Fructuoſum, & utile. Deſiderabile. Dei donum. Dignum, & honorificum. Liberale, & munificum. Felix, proſperum, & fortunatum. Honeſtum, decorum, civile. Nobile, magnificum, pacificum. Perfectum, pulchrum. Rationabile. Sanctum, & Religionem concernens. Tranquillum, quietum, morigerum. Salutiferum.	Eſt Bonum	Sed omnis	Juſtitia. Fortitudo. Temperantia. Continentia. Magnanimitas. Prudentia. Fides. Spes. Charitas. Sinceritas. Æquanimitas. Longanimitas. Patientia. Caſtitas. Simplicitas. Fidelitas. Pietas. Clementia. Religio. Liberalitas. Miſericordia. Contemptus Mundi.	Talia ſunt.	Ergo.

Nota terminos hoſce qui majoris propoſit. ſubjectorumq; prædicatorumq; rationem habent, omnibus & ſingulis minoris propoſitionis ſubjectis, indifferenter applicari poſſe, uti ex combinatione patet.

III. COLUMNA.

Termini compositi ad Bonitatem Naturalem reducibiles, ad formam syllogisticam reducti.

Major.		Minor.		Conclusio.
		Virtutes Naturales.		
Omne quod eſt.	Bonum eſt. / Bona ſunt.	Sed Eſſentia rerum.	Talis eſt. / Tales ſunt.	Ergo Bona ſunt.
Omne quod vitali motu gaudet.		Vita rerum.		
Omne quod ſufficientiam ſui eſſe habet.		Perfectio rerum.		
Omne quod fæcunditate naturali gaudet.		Vis ſpermatica ſive ſeminalis.		
Omne quod beatitudine naturalium bonorum gaudet.		Proſperitas rerum.		
Omnia ſine quibus natura operari non poteſt.		Vires & proprietates Elementorum, mineralium, plantarum, animalium.		
Omnia quibus natura rerum perficitur.		Qualitates rerum.		
Omnia quibus rationalis creatura perficitur.		Facultates animæ.		
Omnis altiſſimarum rerum cognitio.		Sapientia.		
Omne quo veritas attingitur.		Scientia.		
Omnia quibus magnum emolumentum in genus humanum redundat.		Artes tàm liberales quàm illiberales.		
Omnia quibus natura ſenſitiva conſervatur in ſuo eſſe.		Facultates vitalium membrorum; concoctiva, digeſtiva, expulſiva, locomotiva.		
Omnia quibus naturales potentiæ objecta ſua attingunt.		Omnes ſenſus externi; Viſus, auditus, olfactus, ſapor, tactus.		
Omnia quibus internæ potentiæ & facultates cognoſcibilia attingunt.		Omnes potentiæ internæ; intellectus, voluntas, memoria, inſtinctus.		

Nota in hac Columna non ſingulos terminos cum ſingulis combinari, ſed cum majoris & minoris propoſitionis terminis parallelò ſibi correſpondentibus tantum.

IV. Co-

IV. COLUMNA.

Opposita reducibilibus ad Bonitatem Moralem terminis, sub syllogistica forma.

Major.

Omne / Nullum

- Repudiandum.
- Inappetibile.
- Imperfectum.
- Iniquum, & injustum.
- Beatitudine carens.
- Ferum, malignum, immite.
- Tenax, & avarum.
- Liberalitate carens.
- Incommodum, damnosum.
- Incongruum, & inconveniens.
- Inutile, & perniciosum.
- Inamabile.
- Peccatum, & vitium.
- Indignum, vile, contemptibile.
- Illiberale, & immunificum.
- Infelix, & infortunatum.
- Inhonestum, indecorum, incivile.
- Ignobile, vile, abjectum.
- Turbulentum, seditiosum, perduelle.
- Imperfectum, turpe, deforme.
- Rectæ rationi repugnans.
- Virtutum & religionis expers.
- Intranquillum, inquietum, incongruum.
- Insalubre.

Malum est. / Bonum est.

Sed

Minor.

Opposita Virtutibus Vitia.

Omnis / Nulla

- Injustitia.
- Timiditas.
- Intemperantia.
- Incontinentia.
- Pusillanimitas.
- Imprudentia.
- Hæresis.
- Desperatio.
- Odium.
- Duplicitas.
- Perturbatio.
- Impatientia.
- Luxuria.
- Dolositas.
- Infidelitas.
- Impietas.
- Inclementia.
- Atheismus.
- Illiberalitas.
- Avaritia.
- Crudelitas.
- Amor sæculi.

Mala est. / Bona est.

Conclusio

Ergo &c.

Haud absimili modo per contrariorum assumptionem, de oppositis ad bonitatem substantialem pertinentibus rebus argumentabere: ut,

Bonitatis expositio.

Bonitas est ens, ratione cujus bonum agit bonum, & sic bonum est esse, & non esse malum est. Bonitas itaque principium est, extra quod nulla alia res principium esse potest; adeoque omne esse per se existens, essentialiter est bonum; quæ bonitas consideratur ab infimo gradu entis per se, usque ad ultimum, & supremum bonum, quæ est suprema & infinita bonitas, principium supremum omnium aliorum bonorum, bonitatum, entiumque, movens omnia cætera bona, tanquam Finis ultimus omnium, nullo indigens alio præter se ipsum.

REGULA I.

Omnes hi termini ad Bonitatem reducibiles in propositione habent locum subjecti, Bonum verò prædicati locum sustinet; ut si quispiam ostendere velit, Justitiam bonam esse, is multis variisque modis jam Majorem paratam habebit; Nam quemcunque ex positis terminis in II. Columna, & IV. assumpserit, ille semper habebit Majorem propositionem omnifariàm digestam; Minor autem semper erit illud, quod probandum assumitur, uti hîc Justitia, ut ex sequenti patet.

Omne acceptabile, appetibile & conveniens bonum eſt. Omnis juſtitia eſt acceptabilis, appetibilis, & conveniens. Ergo omnis juſtitia bona eſt.	Per contraria verò ſic:	Nullum inacceptum, inappetibile, & inconveniens, bonum eſt. Omnis injuſtitia eſt inaccepta, inappetibilis, & inconveniens. Ergo nulla injuſtitia bona eſt. Ergo intrinſecè mala.

Axiomata Bonitatis.

1. Una eſt Bonitas, natura & eſſentia, eaque increata, Deus; reliqua bona ſunt participativè aut per creationem.
2. Tot ſunt ſpecies mali, quot & boni, & contrà; ea quæ de uno affirmativè, de contrario negativè dicta cenſentur, & contrà.
3. Bonitati ineſt bonum eſſe & bonum facere, & in eadem bonitate id, quod Bonum fieri poteſt.
4. Bonum mali eſt remedium, malum verò morbus.
5. Bonum amplexandum eſt, malum fugiendum.
6. Bonum & ſtudioſum fieri poteſt animal, naturâ, moribus, conſuetudine, ratione, doctrina; naturâ, cum naſcitur; moribus, cum imitatur; ratione cum docetur, & ratiocinatur.

Habes itaque hîc in quatuor Exemplis, quorum unumquodque iterum in tres Columnas diſtribuitur, ſpecimen, ut modum ex bonitate rerum argumentandi diſcat Tyro; quorum primum prædicata ad Bonitatem entitativam reducibilia; Secundum oppoſita ſive contraria eorum; Tertium Virtutes morales; Quartum naturales Virtutes continet; & ſunt ſubjecta, de quibus reducibiles termini in prima Columna prædicantur; & prima quidem Columna ſemper vim habet propoſitionis Majoris, & ſedes ſunt Mediorum; Tertiæ verò, & quartæ Columnæ termini aſſumuntur pro Minori propoſitione. Sed quoniam de iis in ſequentibus copioſior dabitur dicendi materia, hîc iis non immorabimur. Recapitulatio.

CAPUT II.

De definitione Magnitudinis.

Magnitudo eſt id, ratione cujus Bonitas, Æternitas &c. magna ſunt. Vel Magnitudo eſt extenſio, vel intenſio cujuſcunque rei, ex qua magna dicitur; Dicitur & magni plenitudo, vel magni extenſio, ſine qua omnia eſſent parva, ejuſque privatio magna eſſet parvitas; eſtque principium univerſale, generaliſſimum, primitivum & neceſſarium, cùm nullum in rerum natura ens ſit, quod non ſuas habeat magnitudinis rationes, quæ vel in extenſione, uti in rebus corporeis; vel in intenſione, quæ incorporeis competunt, conſiſtunt.

Varia magnitudo, increta, creata. Eſt autem *Magnitudo* vel *increata*, vel *creata*; illa Deo, hæc creatis rebus competit; Eſt & *ſubſtantialis*, vel *accidentalis*. *Subſtantialis*, ſive *entitativa* eſt ſufficientia cujuſlibet rei ſecundùm ſuam capacitatem, ſive eſſe magnum, cuique rei conſentaneum. *Accidentalis* iterum duplex eſt; *Magnitudo molis*, & *virtutis*; Illa corporeis rebus quantitate affectis, hæc incorporeis rebus uti dictum eſt paulò ante, convenit. Accidentalis, molis, & virtutis.

Alia *magnitudo* eſt *potentialis*, alia *actualis*; Illa eſt, quæ dicitur in fieri, hæc in eo quod eſt; Eſt iterum *magnitudo* alia *perfecta*, alia *imperfecta*; illa dicitur comporum magnitudo, quæ in tribus dimenſionibus conſiſtit; hæc dicitur ratione alterius corporis magis abſoluti; ſic linea minor eſt ſuperficie, & hæc corpore. Potentialis, Actualis. Magnitudo corporum trina.

Dividitur quoque *magnitudo* in ea, quæ ſunt corporis, animæ, & externorum. *In Corpore* magnitudo, proceritas, & proportionata craſſitudo. *In Anima*, magnanimitas, audacia. *In externnis bonis*, opes, dominatio, imperium conſideratur.

Quomodò verò hæc applicari poſſint, ſequens tabula oſtendit.

TABU-

TABULA Applicatoria Magnitudinis.

Termini reducibiles compoſiti ſunt ſequentes ad formam ſyllogiſticam reducti.

Omne ſive naturalibus terminis clauſum, ſive termini expers, magum eſt.
Sed △ ☁ ◎ □ ♙ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ talia ſunt. Ergo, magna ſunt.

Major.

Omne {
- B. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.
- vel extenſione vel intenſione infinita pollens. *
- quod extenſionis ſuæ terminos neſcit. *
- quod extenſione vel intenſione qualicunque pollet.
- quod aliquem ſublimitatis gradum obtinet.
- quod unitate vel eſſentiali vel ſubſtantiali gaudet.
- individui eſſentiam habens.
- totum reſpectu partium.
- univerſale genericè vel ſpecificè conſideratum.
- ſummitatis eminentiam obtinens.
- quod dignitate & majeſtate excellit.
- in perfectionis ſtatu conſtitutum.
- compoſitum materia & forma conſtans.
- elementaribus qualitatibus conſtitutum.
- quod amplitudine quadam præpollet.
- quod copiam & abundantiam habet.
- quod ſufficientem ſecundùm eſſe ſui capacitatem habet.
- quod plenitudinem perfectionis poſſidet.
- quod bonorum qualiumcunque copiam poſſidet.
- quod pondere, numero, & menſura conſtat.
- quod terminis extenſionis ſuæ gaudet.
- quantum, & corpus ſolidum.
- quod fæcunditate gaudet.
- bonum corporis, & animæ.
- virtutibus, & viribus potens.
- quod dominio gloriatur.

} Magnum eſt

Minor.

Sed {
- △
- Angelus Homo.
- Infinitum.
- Finitum.
- Omnis ſuperioritas.
- Ens unum, verum, bonum.
- Indiviſibile ratione ſui eſſe.
- Omnia corpora naturalia.
- Secundæ intentiones.
- Omnis dignitas.
- Omnis poteſtas, regia Majeſtas.
- Omnis corporum integritas.
- Homo, brutum, plantæ, mixta.
- Omnia mixta.
- Omnis Magiſtratus & ſuperioritas.
- Omne ubertate bonorum gaudens.
- Omne quod perfectione gaudet.
- Opes, & divitiæ.
- Mundus & omnia in Mundo contenta.
- Omnes diſtantiæ & intervalla corporum.
- Omne lineis, ſuperficiebus terminatum, ſive trina dimenſione conſtans.
- Omnis vis ſpermatica.
- Omnes potentiæ naturales.
- Omne naturale corpus.
- Omnis potentia divina & humana.

}

Concluſio.

Talis / Tale eſt. / Talia ſunt } Ergo.

Hiſce Columnis termini majoris & minoris propoſitionis parallelò ſibi correſpondent.

Notan-

Notandum primò, hoc loco, non omnia hîc media dici posse de omnibus subjectis, uti omne compositum, mensuratum, & similia nec Deo, nec Angelo, nec Animæ convenire; neque omnia animata inanimatis; Unde ea media seligenda sunt, quæ assumpto subjecto quopiam ei propriè convenire possunt. Uti sunt propositiones parallelò sibi correspondentes.

Notandum secundò; cum oppositorum eadem sit ratio, pari processu dabitur argumentandi ingens campus, per oppositorum assumptionem V. G.

Omne inextensum magnum esse non potest.
Sed punctum est inextensum:
Ergo punctum magnum esse non potest.

Posuimus hîc duas Columnas; prima terminos seu prædicata magnitudinis simplicis. Secunda compositos terminos continet, & quemcunque ex iis elegeris, semper Majorem in syllogismo propositionem paratam habebis, unà cum medii inventione, ad id, quod propositum fuit, in Minori propositione de subjecto aliquo in Columna tertia posito, vel qualicunque ad id reducibili demonstrandum.

Axiomata Magnitudinis sunt.

1. Omne intensum perfectius est suo extenso, quia illud incorporeis, hoc corporeis propriè competit.
2. Magnum & parvum contraria non sunt, sed dissimilia, referuntur enim ad aliquod.
3. Omnis essentia magnitudinis spiritalis, quæ sola intensione gaudet, in partes dividi non potest, quia impertibilis; contrarium dicendum de extensis.

CAPUT III.

De Duratione.

D*Uratio* nihil aliud est, quàm rei cujuscunque in suo esse permanentia; quod enim perseverat in eo quod est, durare dicitur; estque principium generalissimum, universale, primitivum, & necessarium, utpote sine quo nihil existeret; & si duratio non esset, nihil esset, nec poni posset, estque triplex.

Duratio æterna. *Æterna*, & Deo propriè competit; quia ipse Deus est; siquidem interminabilis vitæ est tota simul existens, ac perfecta possessio.

Æviterna Angelis, animabus, materiæ convenit, & reperitur in immediatis effectibus primæ causæ, qui principium habent sine fine. Æviterna.

Temporalis est generabilium corruptibiliumque duratio, quæ semper esse nequit, sed ad certum usque tempus durat. Temporalis.

Termini

Termini Compoſiti reducibiles ad Durationem, in formam ſyllogiſticam reducti.

Omne B. M. S. Po. Vo. Vi. Ve. G. durat.
Sed △ ◎ □ ⁝⁝⁝ talia ſunt.
Ergo durant.

	Major.			Minor.		Concluſio.
	principium non habens finem.			Æternitas.		
	quod tempore tranſigitur.			Ætas omnis.		
	quod in natura rerum eſt.			Ens.		
	quod perſeverantiam habet in actionibus.			Conſtantia.		
	quod firmiter perſiſtit.			Conſiſtentia.		
	quod actualem eſſendi ſtatum habet.			Exiſtentia. rerum.		
	quod per ſe ſubſiſtit.			Suppoſitum, perſona, hypoſtaſis.		
	firmitudine pollens.			Omne robur & fortitudo.		
	locomotivâ potentiâ expers.			Omnia inanimata.		
	quod difficulter diſſolvi poteſt.			Omnia corpora naturalia firmiter nexa.		
Omne	quod immortalitatis dono gaudet.	Durat, id eſt, Durabilem permanentiam habet.	Sed	Angeli, animæ.	Tale eſt. Tales Talia ſunt.	Ergo durant.
	quod in eſſe ſuo perſeverat.			Cœli & naturæ operationes.		
	ſtabile, & firmum in eſſe, & operari.			Omnia Elementa eorumque operationes.		
	quod integræ ſanitatis ſtatu gaudet.			Omnia corpora temperata ſine ἀκρασία humorum.		
	quod nunc, & præſentiâ fruitur.			Omnes hiſtoriæ, quaquarum Veritas ſcriptis manet.		
	antiquum, & præteritum.			Fides, Fidelitas, Spes, Charitas.		
	quod fide in Deum, conſtat.			Omnes ſenſitivæ & vegetativæ ſubſtantiæ.		
	quod vivit.					
	quod futurorum bonorum ſpe gaudet.			Spes.		
	nobile, & perfectum.			Virtus.		

In hac Colomna majoris & minoris propoſitiones non promiſcuè applicandæ, ſed eæ tantùm, quæ parallelò ſibi correſpondent.

Per contrariorum sive oppositorum assumptionem sic argue.

Nullum temporale est durans, vel semper durabile, sive æternum.
Sed omne quod generationi subest, est temporale.
Ergo non est æternum.
Haud secus in omnibus aliis procedes.

Axiomata.

1. Omne immobile & æternum, nobilius, perfectius, copiosius & stabilius est æviterno vel mobili.
2. Omne æviternum nobilius, perfectius & stabilius est temporali & successivo.
3. Omne temporale, quò perfectius cæteris paribus, eò stabilius, & firmius est per se loquendo.
4. In omni duratione quatuor sunt. *Nunc. Anteà. Posteà. Semper.* *Semper*, & *Nunc*, Deo tantùm competunt.
   Ante, *Nunc* & *Postea*, Angelis, Animabus, & rebus incorruptibilibus.
   Ante & *Nunc*, rebus corruptibilibus conveniunt.
5. Tantò omnis res est diuturnior, quantò ejus causa efficiens efficacior.

Horum Axiomatum unumquodque in Syllogismo Majoris propositionis locum habere potest. Minoris verò locum obtinent universalia subjecta; uti in exemplo.

Omne Ens immobile & æternum perfectius & nobilius est æviterno, & temporali.
Sed. Deus est Ens immobile & æternum.
Ergo. perfectior & nobilior est Angelo æviterno, & temporali.

Pari pacto æviternum est nobilius quoad durationem temporali, homine, bruto, &c. Et sic gradatim descendendo semper superius durabilius inferiori esse ostendes.

CAPUT III.

De Potentia.

POtentia est principium generalissimum, primitivum, substantiale, necessarium, utpote sine qua nullum Ens agere aut operari posset; & dicitur id, quo omnia ad operandum apta sunt; Estque triplex.

Potentia triplex. *Increata*, uti Dei potentia infinita, ex qua omnis potentiæ origo manat, & à qua omnia participativè potentia sunt; vel permissivè, vel effectivè.

Creata seu *Finita* iterum quadruplex est. Vel *Naturalis*, comprehendens omnes naturalium rerum virtutes, & facultates. *Præternaturalis* omnia ea, quæ à Deo, intelligendo sano modo, fortuna, casu, fato, necessitate dependent; uti miracula, prodigia, oracula, &c. *Politica*, & *Moralis* omnem potestatem Monarchiam, Aristocraticam, Democraticam & privatum cujusvis dominium continens. *Extrinseca*, *Intrinseca* pertinentia ad eam. Extrinseca robur, arma &c. Intrinseca, omnes voluntariæ actiones.

Termini Compositi reducibiles ad Potentiam in forma Syllogistica.

Omnes Virtutes & Potentiæ rerum competunt subjectis universalibus.



Major.			Minor.		Conclusio.
Omnis vis, & Virtus.	Potens est, id est, ad agendum potentiam habet.	Omnis Sed Omne	Vires Naturales.	Talis Tale est.	Ergo.
Omne quod agere potest.			Actu existens per se.		
Omne efficientiam habens.			Causæ & Principia.		
Omne quod potentia naturali operatur.			Facultates naturales.		
Omne authoritate pollens.			Dominium.		
Omne quod dignitatis excellentia eminet.			Præsidium.		
Omne quod divitiis & opibus abundat.			Potestas Regia.		
Omne dominatione excellens.			Principatus.		
Omne potestatem qualemcunque obtinens.			Celsitudo.		
Omne fortitudinis gloria prævalens.			Heros Archistrategus.		
Omnis qui jurisdictione eminet.			In dignitate constitutus.		
Omnis libertate gaudens.			Manumissi.		
Omnis qui potest præcipere, jubere.			Reges.		
Omnis Principatus honore fulgens.			Principes.		
Omnis imperio triumphans.			Imperatores.		

Omnes propositionum termini in hac tabula parallela comparatione institui debent.

Axio-

Axiomata.

1. Omnis poteſtas à Deo eſt, vel permiſſivè, vel effectivè.
2. Omne ſempiternum, abſtractum, & neceſſarium, actus eſt, non paſſiva potentia.
3. Potentia in actu ſemper melior eſt, quàm potentia in fieri.
4. Potentiæ ſignum eſt, tendere ad eſſe; impotentiæ, ad non eſſe.
5. Nihil poteſt eſſe ſimul in actu formali, & potentia formali, eodem tempore.
6. In malis actûs malus, & ideò pejor potentia.
7. Nulla eſt in natura rerum potentia paſſiva, cui non correſpondeat quæpiam potentia activa.
8. Potentia, naturalis aptitudo, & impotentia ſunt qualitatis ſpecies.

Omnia hæc Axiomata iterum immenſam ſuggerunt argumentorum varietatem; quæ ſuo loco oſtendetur fuſius.

CAPUT V.

De Sapientia, & Cognitione, ſive de Principio cognoſcitivo abſoluto.

S*Apientia* eſt cognoſcitivum principium generaliſſimum, primitivum, neceſſarium, utpote ſine quo nihil ſciri poteſt. Et definitur in Arte principium, quo unumquodque cognoſcit ea, quæ ad conſervationem ſui ſunt neceſſaria; ſine hac enim nulla ſcientia daretur, ſed omnia forent ignorabilia, & non ſcirentur, atque adeò fruſtrà à Deo Mundus creatus fuiſſet.

Eſt autem *cognitio* primò *increata*; & *Sapientia æterna* dicitur Deus Opt. Max. cognitio ſupereſſentialis, ſubſtantialis, neceſſaria. Altera *creata* eſt, quæ in ſequentes ramos ſe diffundit.

Varia diviſio cognitionis.

Cognitio Creata quintuplex eſt.
- Intellectualis competit Angelis, & eſt ſine diſcurſu, uti & infuſa ſcientia.
- Rationalis eſt, vel:
  - Speculativa.
    - Realis.
      - Metaphyſica, & de rebus ſupernaturalibus agit.
      - Phyſica de Naturalibus rebus.
      - Matheſis de demonſtrativis ſcientiis, Arithmetica, Muſica, Geometria, Aſtronomia.
    - Rationalis.
      - Grammatica.
      - Dialectica.
      - Rhetorica.
      - Poëtica.
      - Hiſtorica.
      - Juriſprudentia.
        - Jus divinum.
        - Naturale.
        - Gentium.
        - Pontificium.
        - Civile.
        - Jus conſuetudinis.
        - Honeſtatis.
        - Neceſſitatis.
        - Poſitivum.
  - Practica.
    - Activa.
      - Politica.
        - Monarchica.
        - Ariſtrocratica.
        - Democratica.
      - Ethica.
      - Oeconomica.
    - Factiva.
      - Mechanica Illiberalis, ut:
        - Militia.
        - Venatio.
        - Lanificium.
        - Agricultura.
        - Et omnes artes.
      - Liberalis, ut:
        - Architectura.
        - Pictura.
        - Sculptura.
- Æſtimativa eſt cognitio ex diſtinctione reali, & collatione eorum, quæ apprehenduntur.
- Senſualis ſeu phantaſtica, quæ naſcitur ex ſenſibus tam exterioribus, quàm interioribus, ex propria objecti apprehenſione.
- Inſtinctiva propriè brutis, & ſuo modo plantis, & inanimatis rebus ob Sympathicas & Antipathicas actiones cauſata competit, & inſtinctus ſive naturalis ad agendum inclinatio & impetus dicitur.

Termini ad Cognitionem reducibiles.

Ad Sapientiam sive Cognoscitivum principium revocantur omnia Entia rationalia & intellectualia, uti Deus, Angelus, Homo. Secundò: Omnes Artes liberales & illiberales. Tertiò: Omnia quæ doctrinam & sapientiam sapiunt. Quartò: Omnes gradus scientiæ, ut Doctor, Magister. Quintò: Omnes scientiæ particulares in supraposito divisionis schematismo comprehensæ. Termini sequuntur.

Termini Compositi reducibiles ad cognitionem, in formam syllogisticam redacti.

Major.

Omne quod scientificum est.
Omne quod sub certitudine demonstrationum consideratur.
Omnes conjecturales scientiæ, & divinatrices.
Omne quod à causis naturalibus, & necessariis dependet.
Omne quod consilio, & prudentia peragitur opus.
Omne quod per distinctiones declaratur.
Omne quod sapientiæ titulo gaudet.
Omne quod experientiâ duce invenitur.
Omnes industriæ, & inventiones rerum.
Omnis intelligentia circa sublimes res.
Omnis lex, & jurisperitia.
Omnis legislatio.
Omne quod rationis innititur dictamini.
Omne quod sagaciter veritatem indagat.
Omnes instinctus, & inclinationes naturales brutorum, plantarum, mineralium.
Omnes habitus.

} Cognoscitivo principio subjicitur.

Sed

Minor.

Ars liberalis quæcunque.
Omnis scientia.
Astrologia, Medicina.
Prædictio Astrologica quæ circa Agriculturam, Medicinam, Nauticam occupatur.
Omnis consultatio, deliberatio.
Logica, Metaphysica.
Theologia. } Talia sunt.
Physica. }
Omnes artes novæ, uti Typographia, novi Mundi detectio, bombardaria.
Theologia mystica, Cabala.
Leges & statuta, legislatio.
Ethica, Politica, Oeconomica.
Mathematica, Arithmetica, Geometria.
Tales sunt operationes animalium mirificæ, in nidis construendis, in educendis pullis, in transmigrationis tempore seligendo. In inanimatis, appetitus ad melius esse.
Uti naturalis & supernaturalis, theologicus.

Conclusio.

} Ergo cognitionis principio subsunt.

Termini simplices.

Ars qualiscunque.
Conjectura.
Certitudo.
Commemoratio.
Consilium.
Contemplatio.
Conscientia.
Divinatio.
Doctrina.
Diligentia.
Experientia.
Electio.
Fides.
Gradus omnes Doctorum.
Industria.
Instinctus.
Intelligentia.
Interpretatio.
Jurisperitia.
Lex.
Opinio.
Ordo.
Prophetia.
Necessitas.
Peritia.
Prænotio.
Providentia.
Prudentia.
Præsagium.
Ratio.
Regulæ.
Præscriptum.
Sagacitas.
Inventio rerum.
Sapientia.
Scientia.
Sensus.
Ratio.

Omnes propositiones in hac tabula parallela comparatione institui debent.

Per Oppoſita ſic argue.

Nihil incognitum cognoſcitivo principio ſubjicitur.

Ignorantia talis eſt. Ergo.


Axiomata.

1. Naturalia ſunt rationibus inveſtiganda.
   Moralia uſu comparanda.
   Divina, per oracula ſacra intelligenda.
2. Cuilibet Naturæ intellectuali proprium eſt, intelligere ſecundùm modum ſuæ ſubſtantiæ.
3. Omnis homo naturaliter ſcire deſiderat.
4. Ars, ſeu inſtrumentum ſciendi Logica eſt.
5. De Cognitione ſemper concluditur affirmativè ſecundùm perfectionis rationem comparativam; uti omnis intellectus melior, durabilior, nobilior, perfectior eſt ratione; Ratio, æſtimativâ; æſtimativa, ſenſu; ſenſus, inſtinctu. Ratio eſt quia æſtimativa eſt propter intellectum; ſenſus communis, propter æſtimativam; inſtinctus brutorum, propter ſenſum.

CAPUT VI.

De Principio appetitivo.

*Ppetitus* eſt incitatio vel impetus quidam manans à naturali facultate, cujus vi vel per ſe, vel aliunde res ad aliquid excitatur, eſtque principium generale, primitivum & neceſſarium, ſine quo nihil eſt amabile, nil deſiderabile, nil odibile, cujus diviſio ſequitur.



Termini Compositi ad principium Appetitivum reducibiles, in formam syllogisticam reducti.

Omne B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. est appetibile.
Sed △ [symbol] ◎ □ [symbol] [symbol] [symbol] [symbol] ⁝⁝⁝ sunt B.M.D.P. S. Vo. Vi. Ve. G.
Ergo.

Major.		Minor.		Conclusio.	Termini simplices.	Opposita.
Omne quod allicit.	Appetibile est, & Volibile.	Sed Amor & dilectio.	Talia sunt.	Ergo sunt appetibilia.	Amor.	Odium.
Omne quod bene afficit.		Gloriosum.			Desiderium.	Nullum desiderium.
Omne quod erigit.		Gaudium & desiderium.			Benevolentia.	Malevolentia.
Omne quod ob absentiam boni affligit.		Concupiscentia.			Dilectio.	Aversio.
Omne quod lætificat exhilaratque.		Cupiditas.			Amicitia.	Inimicitia.
Omne quod gratum & acceptabile est.		Libertas, licentia.			Gaudium.	Tristitia.
Omne quod extollit.		Liberum arbitrium.			Liberum arbitrium.	Illiberum.
Omne quo ad amandum incitamur.		Spes & confidentia.			Spes.	Desperatio.
Omne esse & essentia rerum qua sumus.		Omne pulchrum.			Voluntas.	Noluntas.
Omnis propagatio qua in esse producimur.		Generatio.			Concupiscentia.	Inconcupiscentia.
Omne sine quo nulla substantia agere potest.		Lux, Vita, Calor, Esse.			Consuetudo.	Insuetum.
Omne quo ad agendum stimulamur.		Facultates ac Vires naturales unicuique propriæ.			Cupiditas.	Nulla cupiditas.
Omne quo ab agendo malè removemur.		Metus, tristitia, formido.			Audacia.	Metus.
					Libertas.	Prohibitio.

Axiomata.

1. Quò majus est bonum, eò Voluntas, quæ id appetit, est præstantior; ut Deus est magis amabilis Angelo, Angelus homine, homo bruto &c. Præstantior enim est Charitas Dei, qua amatur propter se, Charitate erga proximum, qua diligitur Deus.
2. Omne quod appetitur propter se, præstantius est eo, quod appetitur propter aliud: Præstantior enim Charitas Dei, qua amatur propter se, Charitate erga proximum, qua diligitur Deus.
3. Omnia moventur propter bonum, tanquam appetitûs finem: ut saxum appetit centrum, ut quiescat; planta ut vireat, & vegetet; brutum ut sentiat; & sic de cæteris.

CAPUT VII.

De Principio Virtutis.

VIrtus hoc loco considerata, est principium generale primitivum, & necessarium, quo non existente, omnia vitiosa forent; & definitur, facultas bonarum rerum, conciliatrix, & constitutrix, vis benefica rerum bonitate affectarum; atque ideò omnium, & per omnia; estque ratio, cur bonum, magnum, durabile &c. vigorosum sit, & virtutibus, viribusque ad operandum necessariis instructum.

Virtus

Virtus alia est,

- Spiritalis; estque quintuplex.
  - *Superintellectualis*; est incognita nobis Dei Virtus; ut Virtus miraculorum per Angelos, & homines; & præstigia per dœmones permissiva.
  - *Intellectualis*; sunt Sapientia, scientia, prudentia, & quæ ad cognitionem referuntur.
  - *Rationalis*; Continentia, mansuetudo, fortitudo, justitia; liberalitas.
  - *Moralis*; quæ mores formandos spectat.
  - *Theologica*, uti Fides, Spes, Charitas, gratia, & charismata Dei, quæ dirigunt animam ad Deum intrinsecè.
- Corporibus insita; & quintuplex est.
  - *Animalis*, iterum triplex: Sensitiva, & hæc interior vel exterior; illa quinque sensus exteriores, hæc interiores amplectitur. Motiva iterum est vel Naturalis, vel appetitiva.
  - *Vegetalis* autem est, quæ operatur, & consistit in generatione, auctione & nutritione, quæ fiunt mediante virtute attractiva; retentiva, digestiva, expulsiva.
  - *Mineralis* considerat omnes illas virtutes, quæ unicuique propriæ sunt.
  - *Elementalis*, quadruplex; Calefactiva, siccativa, humectativa, frigefactiva.
  - *Cœlestis*, uti omnes influxus, ac proprietates siderum.

Termini Compositi reducibiles ad Virtutem sub forma Syllogistica comprehensi.

Termini simplices.	*Opposita.*
Activum.	Passivum.
Unio.	Disunio.
Instrumentum.	
Potentia agendi & patiendi.	
Fortitudo.	
Dignitas.	
Generatio.	
Nobilitas.	
Omnis potentia.	
Honestas.	
Laus, honor.	
Vis.	
Natura.	
Operatio.	
Virtus.	

Major.		Minor.	Conclusio.
Omne activum, sive omne quod operatur.	Propria vi pollet ad agendum.	Sed talia sunt.	Ergo.
Omne quod fortitudine pollet & robore.			
Omne generationis principium.			
Omne quod potentiam ad agendum habet.			
Omnes facultates naturales.			
Omnes Virtutes morales, quæ soli homini competunt: uti & sequens.			
Omnis habitus supernaturalis & naturalis.			

REGULA.

De actu respectu habitus semper concluditur affirmativè, de habitu verò negativè; uti omnis actus bonus, melior est, & appetibilior suo habitu; ratio; quia sic habitus se habet per modum formæ, ejus verò actus est operatio; forma verò, teste Aristotele, est propter operationem, & non contrà. & 2. Metaph. Actus est melior potentiâ; & Cicerone teste: Omnis virtutis laus in actione consistit.

Axiomata.

1. Omnis Virtus rei, juxta objecta mensuratur.
2. Omnis Virtus minor cedit majori cæteris paribus.
3. Nulla Virtus corporea sine corporis dispositi beneficio & organis operari potest; ut visiva sine oculo, calor sine igne.
4. Omnis Virtus corporea ita se habet in corpore, ut in cera imago.
5. Vis unita fortior.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Principio Veritatis.



Eritas ſecundùm Peripateticos eſt adæquatio rei ad intellectum ; Secundùm nos Veritas ratio eſt, quâ omnia vera ſunt ; Nam ſi Veritas non eſſet, omnia falſa eſſent, quod implicat. Eſt itaque Veritas principium generale, primitivum & neceſſarium ; hoc ipſo enim quod quidpiam eſt, etiam verum eſt.

Veritas alia eſt
- *Increata* Veritas Deus eſt totius Veritatis fons & origo non ſecus ac Sol & lumen lucis fontes.
- *Creata* triplex eſt,
  - Rei. — Rei Veritas eſt in eſſentia, moribus, actionibus.
  - Intellectus. — Veritas intellectus eſt conformitas rei ad intellectum.
  - Orationis. — Eſt conformitas rei ad intellectum oratione vel propoſitione expreſſa.

Termini Compoſiti reducibiles ad Veritatem Syllogiſtica forma expreſſi.

Major.			Minor.		Concluſio.
Omne quod adæquationem & rectitudinem intellectualem nactum eſt. Omne quod rectæ rationis dictamine approbatur. Omne quod authoritate legitima confirmatur. Omne quod teſtimonio aut jurejurando vero ſtabilitur. Omne quod eſſe & eſſentiam habet. Omnis definitio rerum. Omnis fides ſupernaturalis. Omnis lex aut ſtatutum, quod obligat. Omnia poſitiva & quæcunque actualitatem eſſendi dant. Omnes formales actiones eſſendi	Verum eſt. Vera ſunt.	Sed	Omnes operationes intellectus per Logicam rectitudinem conſecutæ. Omne Virtutes morales quæ per rationis rectæ dictamen approbantur. Omnes leges & ſtatuta quæ publicâ authoritate fulciuntur & confirmantur. Omnes confirmationes, Juriſdictiones, teſtamenta, & ſimilia juris acta. Omnia ſubjecta univerſalia cum omnibus ad ea reducibilibus quæ eſſentiam propriam habent. Omnis quidditas, materia & eſſentia rerum, quæ definitione cognoſcitur. Omnis orthodoxa doctrina, articuli, Sacramenta &c. Omnes Regulæ, conſtitutiones, præcepta, ceremoniæ obligantes. Omnia Entia. Omnes formæ ſubſtantiales, & accidentales rerum.	Talia ſunt.	Ergo vera ſunt.

REGULA

De Ente poſitivo reſpectu privativi, aut minus poſitivi ſemper concluditur affirmativè; Contrà negativè de privativo aut minus poſitivo. Ut omne poſitivum perfectius eſt Ente privativo. Sic omne videns perfectius eſt non vidente, lumen tenebris, juſtum injuſto. Omnis Vita melior, major, durabilior, potentior, notior, deſiderabilior, virtuoſior, verior, glorioſior eſt morte, & privatione.

Axiomata.

1. Veritas ob repugnantium argumentorum difficultatem rejicienda non eſt.
2. Veritas odium parit.
3. Veritas ſuper omnia tandem adverſa eminet.
4. Veritas in omnibus quærenda.
5. Veritas ſimplicitatis amica.

CAPUT

CAPUT IX.

De Principio Gloriæ.

Gloria est principium generale, primitivum, necessarium, quia sine gloria omnia laboribus, vituperiis & pœnis essent exposita. Definitur autem Gloria, ratio, qua omnia suo modo gloriosa sunt, id est, omnia fine suo & quiete sua gloriantur. Alii strictius definiunt Gloriam, multorum bonorum ore celebratam laudationem, quando quis habet, vel habere existimatur, quod plures, vel omnes probi expetunt, quæ de hominibus tantùm dicta sunt; prior universalior est, & omnia complectitur.

Dividitur autem in Adæquatam, & Inadæquatam; sive in Increatam & Creatam; Prior est in ultimo termino Deus benedictus, ad quem omnia ordinata sunt, & quem omnia ceu ultimum finem appetunt. Posterior est delectatio, & boni fruitio, quâ unumquodque quiescit, uti Lapis quiescit & gloriatur in quiete, centri adeptione; Minerale quodvis in appropriata sibi fodina; Arbor in fructificatione; Planta in semine, florum, foliorumque possessione; Animal in conservationis vitæ suæ, suæque propagationis speciei statu; in divitiis dives; in splendore & luce, ratione cujus quod primò latebat, cum laude apparet.

Est autem Gloria Creata Vera & Falsa. Illa iterum vel Perpetua vel temporalis. Perpetua in seculo futuro & Vita æterna Beatis & Angelis: Temporalis in hoc seculo mutationibus obnoxia, eaque vel Essentialis vel Activa est. Falsa vel inanis gloria, vel ratione rei, à qua sumitur, vel ratione ejus qui exhibet, vel occasione ejus, qui eam sibi usurpat. Ratione rei est, si non sit, si ignominiosa & vituperio potius digna. Ratione exhibentis, ut si dæmon, si improbus, si scelestus eam proferat. Ratione accipientis, ut si sit indignus, si eam sibi usurpet immeritus, si superbus eam ambiat, si suis meritis non Divinæ gratiæ adscribat.

Termini Compositi ad Gloriam reducibiles forma Syllogistica expressi.

Major.

Omne
- B. M. D. P. S. V. V. V. G.
- quod gaudio afficit.
- Magnificum.
- honorabile, honorificum.
- quod tanquam finis appetitur.
- quo ad perfectum statum homine dignum perducimur.
- cum labore parta fruitio.
- quod quieta bonorum justorum possessione gaudet.
- quod felicitatem confert.
- quod potentia quieta pollet.
- quod inventa veritate cum gaudio fruitur.
- sua sorte contentum.
- virtuosè operans.
- quod veritate fulget.
- quod in esse suo conservatur.
- quod vitali motu præstat.
- quod naturæ suæ quiete fruitur.

Gloriosum est.

Minor.

Sed
- Beatitudo tum naturalis tum supernaturalis talis est.
- Omnis famæ nominisq; celebritas talis est.
- Omnis vera dignitas talis est.
- Omne bonum tale est.
- Omnis sapientia & scientia talis est.
- Omne egregium facinus tale est.
- Omnes divitiæ justæ tales sunt.
- Omnis honor & dignitas tranquilla tutè durans talis est.
- Omnis principatus rebus benè gestis partus talis est.
- Omnis nova rerum inventio talis est.
- Omnis ad prospera æquè ac adversa sustinenda promptus talis est.
- Omnis laudabilis conatus talis est.
- Omnes scientiæ & disciplinæ tales sunt.
- Omnia novem universalia subjecta iisque adnexa talia sunt.
- Omne vivens tale est.
- Universa natura, quæ pro fine habet esse sui fruitionem & conservationem, talis est.

Conclusio.

Ergo Gloriosa sunt.

Omnes denique, quibus alacritas est in facie, in mente lætitia, jubilatio in Corde, in ratiocinativa solatium, in anima gaudium, jucunditas in spiritu est, vera gloriæ laude potiuntur.

Axiomata.

1. Omnis felicitas & beatitudo melior, sufficientior, durabilior, potentior, notior, desiderabilior, virtuosior, verior & gloriosior delectatione & gaudio; quia felicitas est perfectiòr quàm delectatio, cum hæc quiddam sit ad felicitatem consequens.

PARS III.

Definitio, Diviſio, Applicatio Principiorum Reſpectivorum.

CAPUT I.

De Differentia Principio generaliſſimo.

EXpoſitis principiis abſolutis, procedimus ad principiorum Reſpectivorum expoſitionem, ut quid ex iis in Arte noſtra emolumenti nobis emanare poſſit cognoſcatur.

Lullus hæc diſtinxit in tres triangulos, nos iis tricis potius quàm methodicis traditionibus neglectis ea quæ & Artem ſine confuſione promovere, & ad majorem facilitatem deducere poſſunt, hoc loco docebimus. Sunt itaque novem Principia Reſpectiva, ut ex præcedentibus apparuit: *Differentia*, *Concordantia*, *Oppoſitio*, *Principium*, *Medium*, *Finis*, *Majoritas*, *Æqualitas*, *Minoritas*, quæ hiſce ſignis exhibemus: =. ♡. •o. α. ⊙. ω. M. Æ. Min. Vocantur Reſpectiva, quia intrinſecè reſpectu ſui relationem dicunt ad aliud, & pluralitatem quandam important. Sed hæc omnia luculentius patebunt in ſequentibus Expoſitionibus.

Principia Reſpectiva.	*Alphabetum.*
Differentia.	=
Concordantia.	♡
Oppoſitio ſeu Contrarietas.	•o
Principium.	α
Medium.	⊙
Finis.	ω
Majoritas.	M
Æqualitas.	Æ
Minoritas.	Min.

Differentia primum principium reſpectivum generaliſſimum, ſubſtantiale, primitivum & neceſſarium eſt, omnes differentias includens, quia ſine hac omnia eſſent idem, omnia unum, omnia indiſtincta, quod eſt impoſſibile: ſiquidem non ad conceptuum tantùm Metaphyſicorum varietatem à confuſione vindicandam, ſed & ſubſtantiam à ſubſtantia, genera à ſpeciebus, & à ſpeciebus individua, rerumque naturalium claſſes, unum ab alio, & ſingula à ſingulis ritè diſtinguenda, differentia ordinata eſt. Habent autem ſe diſtinctio & differentia, ſicuti ſuperius ad inferior; Nam ubicunque eſt differentia, ibi eſt diſtinctio, non contrà: Nam inter conceptus quidditativos datur diſtinctio, differentia tamen ibi locum non habet. Unde in Arte definitur claritas abſque omni confuſione conceptuum; hâc enim bonitas à magnitudine, duratione, potentia, & quæcunque ad ea revocantur, diſtinguuntur.

Sunt autem tres ſpecies Differentiæ. Prima inter *Corporeum* & *Corporeum*, uti inter hominem & equum; inter *Plantam*, & *Lapidem*, inter Cœlum & Terram. Secunda inter *Corporeum* & *Intellectuale*; ut inter hominem & Angelum, inter animam & corpus, inter formam & materiam, inter ſenſus exteriores & interiores. Tertia inter *Intellectuale* & *Intellectuale*; ut inter animam & animam, Angelum & Angelum, inter Angelum & animam, inter Deum, Angelum, hominis animam. 3. Species differentiæ.

Quæ quidem ſpecies ad omnem confuſionem vitandam novemplici diſtinctionum ſerie explanandæ ſunt; quas antequam aſſignemus, duo præſupponenda ſunt: Quorum prius eſt, quod omnis diſtinctio vel differentia ab extremis denominationis ſeu ſpecificationis exordium ſumit: Nam ſi Extrema, entia rationis fuerint, tunc diſtinctionem rationis intervenire neceſſe eſt; ſi formaliter verò inter Extrema occurrerit, inde mox diſtinctio naſcetur formalis; & ſi Extrema realia fuerint, realis; & ſic de reliquis diſtinctionum gradibus idem ſtatuendum eſt. Origo differentiarum.

Alterum præſupponendum eſt, quod Differentiæ ſeu diſtinctioni non poteſt adjungi major aliqua differentia, quin mox quoque ipſa varietur diſtinctio; ſiquidem ex Ariſtotele conſtat, ſpecies definitionis & formas rerum numero comparari, cui ſicuti non poteſt addi unitas, ſine eſſentiali numeri variatione; ita quoque differentiæ, & diſtinctioni nulla vel major vel minor differentia addi poteſt, ſine variatione Extremorum, uti poſtea ex praxi patebit. Differentia non jungitur alteri ſine mutatione totius.

Termini

Termini ad Differentiam reducibiles.

Simplices Termini.

1. Aliud Aleitas.	8. Diſtinctio.
2. Alterum alteritas.	9. Diſſimilitudo.
3. Conferentia.	10. Diverſitas.
4. Confuſio ex pluribus.	11. Diviſio.
5. Diſcordia.	12. Remotio.
6. Diſcretio.	13. Tranſpoſitio.
7. Diſparitas.	

Termini Compoſiti ad Differentiam reducibiles, forma ſyllogiſtica expreſſi.

Major.				Minor.		Concluſio.
Omne quod reſpectum dicit ad aliud.		Ratiocinante. vel Ratiocinata.				
Omne quod tendentiam ad alterum dicit.						
Omne quod per diſpares gradus in unum coaleſcit.		Formali.				
Omne mixtum ex pluribus.						
Omnis Antipathia & Sympathia rerum.		Modali.				
Omne quod re vel ratione ab alio ſeparatur.		Reali.				
Omne diſparatum ſive quoad ſe, ſive quoad aliud.	Diſtinctione differt, vel	Numerica.	Sed		Talia ſunt	Ergo.
Omne quod re vel ratione diſtinguitur.		Specifica. ſeu Eſſentiali.				
Omne quod comparationem involvit.						
Omne quod diſſimile ſive quoad ſe, ſive quoad aliud comparatum eſt.		Generica.				
Omne quod diverſitatem admittit.		Se, totis ſubjectiva.				
Omne diviſioni ſubſtans.						
Omne quod re vel ratione ab alio removeri poteſt.		Se totis objectiva.				
Omne compoſitum.						

EXPLICATIO
Novem Diſtinctionum.

Diſtinctio rationis. 1. *Diſtinctio Rationis ratiocinantis* eſt, quando V. G. intellectus de intellectu identicè prædicatur; In hac enim propoſitione: Intellectus Divinus eſt intellectus; intellectus in ſubjecto, ab intellectu in prædicato diſtinguitur purâ intellectus operatione, qui eſt primus gradus diſtinctionis.

Formalis. 2. *Diſtinctio Formalis* tum datur, quando additum alteri variat rationem conſtituti, & reſultat, quando aliquid dicitur de uno, & negatur de altero; & talis contradictio in eodem non eſt nominis tantùm, ſed nominis & rei: in divinis enim dicitur aliquid de intellectu, quod non dicitur de Voluntate; ut Pater formaliter generat filium intellectu, non voluntate; ratio bonitatis formaliter diſtinguitur à ratione magnitudinis, durationis, potentiæ &c. Et hujuſmodi diſtinctio non tantum inter formalitates reperitur, ſed & inter conceptus intrinſecos, videl. inter eſſentiam, materiam, quidditatem, ſimplicitatem & exiſtentiam.

3. *Diſtinctio Modalis* eſt, quando unum ſuperadditum alteri non variat rationem conſtituti; ut finitudo, excellentia, contingentia; homines enim dicuntur finiti quidem, ſed non differunt per finitudinem; dicuntur excellentes, non tamen per excellentiam diſtinguuntur. Modalis.

Realis. 4. *Diſtinctio Realis* eſt etiam in Divinis, quia perſonæ verè & realiter diſtinguuntur inter ſe; Pater enim operatur reſpectu Filii, & Filius reſpectu Spiritus Sancti; has enim actiones ſuppoſuimus.

Numerica. 5. *Diſtinctio Numerica* eſt reſpectu individuorum; in Divinis hæc Diſtinctio locum non habet, cùm in iis non niſi tres diſcretionis numeri ſint, qua numerum ternarium conſtituunt, & ſic differt ab omni alio numero ad extra. Individua vero alicujus ſpeciei non differunt ſpecie, ſed numero.

Specifica. 6. *Diſtinctio Specifica* ſeu eſſentialis, quæ intervenit inter diverſa ſpeciei animalia; ut inter Socratem & Bovem major eſt differentia, quàm inter Socratem & Platonem; Nam illa dicuntur habere diverſam eſſentiam, quorum ſpecies ſunt diverſæ.

Generica. 7. *Diſtinctio Generica* vocatur, quando diſtinctio cadit inter illa, quæ genere ſubalterno differunt; nam plus differt Angelus & Leo, quàm Leo & aſinus. Sed Leo & aſinus differunt ſpecie, Ergo Angelus & Leo differunt genere non generaliſſimo, ſed ſubalterno, in quantum tum Angelus, tum Leo ſubſtantia eſt.

Se totis ſubjectiva. 8. *Diſtinctio ſe totis ſubjectiva* eſt, quando diſtinguitur res genere generaliſſimo tantum, uti decem prædicamenta, quæ diſtinguuntur genere generaliſſimo, ſecundùm totam eorum ſubjectionem, quia quæcunque differunt genere ſubalterno, conveniunt in genere generaliſſimo, videlicet in ſubſtantia; quæ verò differunt genere generaliſſimo ſeu ſe totis ſubjectiva, non conveniunt in aliquo limitato, ſed ſolùm in ente tranſcendentali.

Se totis objectiva. 9. *Diſtinctio ſe totis objectiva* eſt inter differentias individuatas; omnia enim extra prædicationem entis eam admittunt præter illa, quæ ens formaliter non includunt; uti ſunt differentiæ ultimæ individuales, quæ in omnibus individuis ſpecierum non inveniuntur, ut ſunt Petreitas, Pauleitas &c. quæ uti tantum non identitatem dicunt, ita in aliquo tertio ſubjici non poſſunt; ſi enim ens in ſuis rationibus includerent, illæ neceſſariò ſuis propriis rationibus diſtinguerentur, & ſic daretur progreſſus in infinitum, quod abſurdum eſt.

Atque hæ ſunt diſtinctiones, quæ totam differentium rerum latitudinem menſurant, ita ut nihil in rerum natura ſit, quòd non ſub unam vel plures harum diſtinctionem cadat; ſunt tamen eo ordine hîc collectæ, ut prima ſit omnium minima, ſecunda major primâ; tertia major ſecundâ; quarta major tertiâ; quinta major quartâ; ſexta major quintâ, ſeptima major ſextâ; octava major ſeptimâ; nona major octavâ.

EXEMPLUM I.

De Diſtinctione Rationis.

Ubicunque inter Extrema interveniunt entia rationis, ibi datur diſtinctio rationis.
Sed in Deo interveniunt entia rationis quo ad nos, ut in hac propoſitione; Intellectus Dei eſt intellectus, & ſimilia.
Ergo. in Deo datur diſtinctio rationis, quoad nos.
Datur enim diſtinctio ſubjecti à prædicato etiam in propoſitionibus identicis, teſte Ariſtotele.

EXEMPLUM II.

De Diſtinctione formali.

Ubicunque dantur diverſæ formalitates, ibi datur diſtinctio formalis.
Sed in Deo dantur diverſæ formalitates.
Ergo, &c. Major certa eſt. Minor probatur.
Ubicunque dantur conceptus formaliter differentes, ibi dantur formalitates differentes.
Sed in intellectu & voluntate Dei dantur diverſi conceptus formales: Pater enim non voluntate ſed intellectu generat; Bonitas non eſt formaliter magnitudo, Duratio, Potentia, & ſic de cæteris.
Ergo.

EXEMPLUM III.

De Diſtinctione Modali.

Quandocunque aliquod ſuperadditum alteri non variat rationem conſtituti quo ad partes in recto, tunc datur diſtinctio modalis.
Sed quando v.g. unio ſuperadditur partibus, tunc illa non variat rationem conſtituti, ut ſupra.
Ergo datur diſtinctio modalis.

EXEMPLUM IV.

De Diſtinctione Reali.

Ubicunque dantur plures res ratæ & incommunicabiles, ibi datur diſtinctio realis.
Sed in Deo dantur tres res ratæ & incommunicabiles, Pater, Filius & Spiritus Sanctus.
Ergo.

Atque hæc quadruplex diſtinctionis ratio non creatis tantùm rebus, ſed & Deo convenit; Cæteræ verò quinque diſtinctiones, Numerica, Generica, Specifica, ſe totis ſub- Quæ diſtinctiones Deo conveniant.

jectiva

jectiva, & se totis objectiva, Deo non conveniunt, sed talia prædicamentis competunt.

EXEMPLUM V.

De Distinctione se totis subjectiva.

Ubicunque divisio fit entis in sua inferiora, ibi datur distinctio realis se totis subjectiva.
Sed quandocunque ens dividitur in substantiam & Accidens, ibi Ens dividitur in sua inferiora.
Ergo.

EXEMPLUM VI.

De Distinctione Generica.

Ubicunque datur Divisio generis generalissimi in sua genera subalterna, ibi datur distinctio realis generica.
Sed quandocunque dividitur substantia in corpus animatum & inanimatum, in vivens sensibile & insensibile, in animal rationale & irrationale, Divisio fit generis generalissimi in sua genera subalterna.
Ergo etiam datur distinctio realis generica.

EXEMPLUM VII.

De Distinctione Specifica.

Quandocunque divisio fit specierum in individua, ibi necessariò resultat Distinctio realis specifica.
Sed quandocunque homo dividitur in Petrum & Paulum, ibi fit divisio speciei in individua.
Ergo.

Ubi vides, tantò esse majorem differentiam inter has distinctiones propositas, quantò ab Ente rationis magis recesserint, uti paulò ante docuimus. Nota quoque prædicatum semper latius patere debere subjecto, vel saltem eidem æquipollere, ad constituendam propositionem definitivam & apodicticam.

Positis Universalibus Distinctionum rationibus nihil restat, nisi ut paulò magis ad particularia descendentes, & varios quoque Distinctionum terminos in Scholis usitatos Arti nostræ applicare doceamus; quos si quis probè calluerit, ei nihil in qui- N. B. buscunque quæstionibus etiam difficillimis dissolvendis denegatum esse, dicere ausim, memor illius passim in Scholis triti: qui benè distinguit, benè docet. Primò itaque de distinctionibus, postea quoque de divisione dicemus, omnia, formâ syllogistica, prosecuturi, ut Tyro ingentem argumentandi sylvam præparatam inveniat.

Triplex in Scholis datur Distinctio: Realis, Modalis, Rationis; & hæc iterum duplex est: Rationis ratiocinantis, vel Rationis ratiocinatæ. Singulas definiamus.

EXEMPLUM I.

Distinctionis Realis.

Quandocunque extrema ita constituta sunt, ut unum sine altero esse possit, & unum ab altero separari, illa utique distinguuntur realiter. Distinctio realis quando unum sine altero esse potest.
Sed Anima & corpus; Petrus & Paulus; Substantia & Accidentia communia ita sunt constituta, ut unum sine alio esse possit, & unum ab altero separari.
Ergo distinguuntur realiter.

EXEMPLUM II.

Distinctionis Modalis.

Quandocunque intelligitur proxima quædam Entitas ultimò determinans subjectum, sine quo esse non possit, tum datur distinctio Modalis. Modalis distinctionis exemplum.
Sed Sessio respectu sedentis est talis Entitas ultima determinativa subjecti, sine quo esse non potest, in quantum sub tali situ est.
Ergo inter sedentem & sessionem datur distinctio Modalis.

EXEMPLUM III.

Distinctionis Rationis Ratiocinantis.

Quandocunque intellectus dividit in plura rem simplicissimam sine fundamento fingendi distinctionem, ibi datur distinctio Rationis ratiocinantis, sive puræ rationis, ut Scholæ loquuntur.
Sed quando intelligitur idem esse distinctum à se ipso res simplicissima dividitur in plura sine fundamento.
Ergo. quando idem esse distinctum à se ipso intelligitur, tum datur distinctio Rationis ratiocinantis.

EXEMPLUM IV.

Distinctionis Rationis Ratiocinatæ sive formalis.

Quandocunque intellectus rem simplicissimam distinguit in plures cum fundamento, tunc datur distinctio Rationis ratiocinatæ, sive ut Scoto placet, formalis.

Sed quando in Deo diſtinguimus Bonitatem, Magnitudinem, Sapientiam, Potentiam, Durationem, intellectum, diſtinguimus rem ſimpliciſſimam in plures cum fundamento.

Ergo. inter Bonitatem, Magnitudinem, Durationem, Potentiam, Sapientiam & Intellectum in Divinis datur diſtinctio Rationis ratiocinatæ ſive formalis.

Ex hiſce naſcuntur in Scholis varii diſtinctionum termini, ſine quorum notitia nemo quidquam in ſtudio Philoſophico præſtiterit. Ne itaque quidquam Arti noſtro deſit, illos paucis exponam. Neceſſarium eſt, in omni ſcientia, ut data quadam propoſitione, quæ duplicem ſenſum habet, illam per ſequentes terminos enodemus.

Diſtinguitur aliquid primò
- *Materialiter.* Cum Prædicatum aliquod dicitur convenire alicui ratione ſubjecti per comparationem ad materiam; ut album eſt dulce.
- *Formaliter.* Cum Prædicatum aliquod convenit alicui formæ, aut per modum formæ, aut per figuram; ut album diſgregat viſum.

Diſtinguitur aliquid 2.
- *Reduplicativè.* Quandò in propoſitione reſpicitur forma tantùm.
- *Specificativè.* Quandò materia tantùm reſpicitur; ut Muſicus eſt faber. Nam Muſicus in quantum Muſicus, ſive ſpecificativè ſive materialiter, eſt faber, verum eſt. Reduplicativè ſive formaliter, falſum: quia faber poteſt eſſe ſine Muſica.

Diſtinguitur aliquid 3.
- *Formaliter.* Quando aliquid afficit aliud per ſuam entitatem; uti facit calidum calore ſuo informando ſubjectum.
- *Efficienter.* Quando non per entitatem immediatè, ſed mediante alio afficit ſubjectum; uti ignis efficit manum calidam, non per entitatis ſuæ poſitionem in manu, ſed per calorem productum in manu.

Diſtinguitur aliquid 4.
- *Formaliter.* Quando Ens continet eandem formam, quæ eſt in effectu à ſe producto; ut fit in cauſis Univocis.
- *Eminenter*, Vel Virtualiter. Quando Agens non habet in ſe formam, quæ eſt in aliquo producto, ſed virtute eam continet; uti piper calefacit ſtomachum, in quo tamen nulla caloris forma proditur.

Diſtinguitur aliquid 5.
- *In actu ſignato.* Quando ſignificatur tantùm terminus actionis; ut fit, quando definio diviſionem alicujus rei, dicitur diviſio in actu ſignato.
- *In actu exercito.* Quando ad praxin proceditur; ut cum divido aliquod totum, tunc dicitur in actu exercito; & ſic de omnibus aliis.

Diſtinguitur aliquid 6.
- *Actu.* Quando res actu exiſtit & ſimpliciter.
- *Potentia.* Quando eſt in fieri, ideſt, poteſt eſſe.

Diſtinguitur aliquid 7.
- *Adæquatè.* Quando ſecundùm omnia, quæ res quæpiam continet, diſtinguitur: ita Deus eſt adæquatum objectum Theologiæ.
- *Inadæquatè.* Quando partialiter tantùm; uti Incarnatio Chriſti inadæquatum objectum eſt Theologiæ.

Diſtinguitur aliquid 8.
- *Collectivè.* Quando accipiuntur partes ſimul.
- *Diſtributivè.* Quando ſingillatim accipiuntur.

Ut: Materia & forma dicuntur cauſare tantùm diſtributivè non collectivè.

Diſtinguitur aliquid 9.
- *Directè.*
- *Indirectè.*

Uti: Intellectus cognoſcit ens directè, negationes indirectè. In Moralibus voluntas vult delectationem actus mali directè, malitiam indirectè.

- *Extenſivè.*
- *Intenſive.*

Uti: Si quis ſtudeat ſine magno conatu per horam, & alius per quadrantem cum magno conatu; hic intenſivè plus ſtudet; ille extenſivè.

Multa

Multa hoc loco dici poſſent de aliis terminis; cujuſmodi ſunt:

Quo, & Quod.	Immediatione ſuppoſiti, & immediatione Virtutis.
Per ſe, & per accidens.	Redicaliter proximè, ſeu formaliter.
Ordine intentionis, ordine executionis.	Prior prioritate temporis, prioritate naturæ, ordinis, originis, nobilitatis.
Prædicamentaliter & prædicabiliter.	Neceſſariò ſimpliciter, & ſecundùm quid.
Primariò & ſecundariò.	Principaliter, & inſtrumentaliter.
Habitualiter, actualiter.	Eſſentialiter, accidentaliter vel integraliter.
Implicitè & explicitè.	Adhæſivè, intenſivè, informativè, demonſtrativè.

Quos quidem, omnes terminos hoc loco fuſiùs explicare poſſemus; Verùm quia illi paſſim noti ſunt, eoſque Logicæ Combinatæ reſervamus, iis explicandis non immorabor.

Et quoniam omnis diſtinctio naſcitur ex diviſione rerum: Primò Diviſiones rerum examinandæ ſunt, ut integram habeas Differentiarum realium notitiam, quas hîc apponimus: ſine harum enim exacta cognitione fruſtrà in Philoſophia laboraveris.

Schema totalis diviſionis rerum.

Omnis itaque Diviſio eſt,

- Generis in ſpecies. — Ut Animal in hominem & brutum.
- Specierum in individua. — Ut Homo in Petrum & Paulum.
- Totius in partes. — Ut Corpus humanum in caput, manus, pedes.
- Cauſæ in effectus. — Ut Efficiens homo in filios & filias quas generat.
- Subjecti in accidentia.
- Virtutis in operationes.
- Subſtantiæ in ſuas potentias.
- Abſoluti in ſua comparata.
- Unius in attributiones varias.
- Mixti in ea ex quibus fit.
- Compoſiti in ea ex quibus componitur.
- Continui in continuantia,
- Diſcernentis in ſua diſcreta.
- Suppoſiti ſeu ſubjecti in materiam & formam.
- Termini in ea quæ ad eum concurrunt.
- Stirpis ſeu familiæ in ſuos affines & cognatos.
- Artis in inſtrumenta, in ſubjectas ſibi materias & partes.

Exempla argumentandi ex Diviſione rerum.

I.

Diviſio generis in ſpecies realis eſt.

Quandocunque fit diviſio generis in ſpecies, tunc neceſſariò reſultat differentia realis.

Sed quandocunque animal dividitur in Rationale & Irrationale, diviſio fit generis in ſpecies.

Ergo quandocunque animal dividitur in Rationale & Irrationale, neceſſariò reſultat differentia realis.

II.

Specierum in individua realis.

Quandocunque fit diviſio ſpecierum in individua, tunc neceſſariò reſultat differentia realis.

Sed quandocunque homo dividitur in Joannem & Paulum, fit diviſio ſpeciei in individua.

Ergo quandocunque homo dividitur in Paulum & Joannem, illic neceſſariò reſultat differentia realis.

III.

III.

Totius in partes, realis.

Quandocunque fit diviſio totius in partes, tunc neceſſariò reſultat differentia realis.

Sed quandocunque corpus v. g. humanum dividitur in caput, collum, brachia, manus, pedes, fit diviſio totius in partes.

Ergo quandocunque corpus v. g. humanum dividitur in caput, collum &c. tunc neceſſariò inter partes reſultat differentia realis.

IV.

Cauſæ in ſuos effectus, realis.

Quandocunque diviſio fit cauſæ Efficientis in ſuos effectus, tunc neceſſariò reſultat differentia realis.

Sed quandocunque varii, Dei, Angeli, Hominis, Solis, Elementorum effectus cognoſcuntur, tunc fit diviſio cauſæ Efficientis in ſuos effectus.

Ergo quandocunque varii, Dei, Angeli, Hominis &c. effectus cognoſcuntur, tunc neceſſariò reſultat inter illos differentia realis.

V.

Quandocunque fit diviſio Mixti in ea, ex quibus fit, ibi neceſſariò reſultat differentia realis. Mixti in Elementa, realis.

Sed quandocunque planta quæpiam reſolvitur in quatuor elementa, ibi datur diviſio Mixti in ea, ex quibus fit.

Ergo quandocunque planta quæpiam aut Minerale reſolvitur in quatuor elementa, neceſſariò inter illa reſultat differentia realis.

Sed hæc Tyroni ad methodi notitiam ſufficiant. Siquidem pari paſſu in reliqua diviſionum ſerie progredieris, quod Exemplis hiſce præmiſſis minimè difficile futurum ſpero; ubi nota, duo ſemper in unaquaque diviſione membra occurrere, quorum prius ſubjicitur ſemper in Majori, alterum in Minori, uti ex quinque his Exemplis patet.

CAPUT II.

De Principio Reſpectivo Concordantiæ.

Concordantia eſt Principium Reſpectivum omninò generale in ſua coördinatione, primitivum & neceſſarium; quia ſine illa omnia eſſent diſcordia, diſſoluta, inconvenientia, quod dici non poteſt; cùm nihil in natura rerum inveniatur, quod non cum aliquo in aliquo concordet. Eſt primò Concordantia in Deo per Divinarum Perſonarum in unitate Eſſentiæ Concordantiam; eſt in Angelis per diverſas operationes in una eſſentia concordantes; eſt & in homine, in brutis, in plantis, elementis, Cœlo, Mineralibus, artificialibus, ut poſteà videbitur.

Dividitur autem Concordantia eàdem diviſione, quâ Differentiam diviſimus; contrariâ tamen ratione; quemadmodum enim unum, vel totum dividitur in partes diſtinctas; ita diſtinctæ partes iterum reducuntur ad unum vel totum, in quo concordare dicuntur; ita ut quemadmodum unum diviſum diſtinguitur in partes diviſas, ita diviſæ partes concordant in uno vel toto diviſo; ut in ſequenti typo videre eſt. Concordantia contraria via incedit ad differentiam.

Concordant itaque

1. Species in Genere.
2. Individua in ſpecie.
3. Partes in toto.
4. Potentiæ in ſubſtantia.
5. Comparata in abſolutis.
6. Attributiones variæ in uno.
7. Simplicia in Mixto.
8. Effectus in cauſis.
9. Accidentia in ſubjecto.
10. Operationes in Virtute.
11. Simplicia in Compoſito.
12. Continuantia in Continuo.
13. Componentia in Compoſito, &c.

Unde ſic argumentandum.

I.

Concordantiæ ſpecierum in genere.

Quandocunque eſt Coadunatio ſpecierum in genere aliquo, tunc neceſſariò reſultat concordantia diverſorum in uno.

Sed quandocunque homo, & brutum revocantur ad animal, ibi eſt concordantia ſpecierum in genere.

Ergo quandocunque homo, & brutum revocantur ad animal, tunc neceſſariò reſultat concordantia diverſorum in uno.

II.

Quandocunque convenire cognoſcuntur individua in una ſpecie, tunc neceſſariò reſultat concordantia diverſorum individuorum in uno. Specierum in individuis.

Sed

Sed quandocunque Petrus & Paulus convenire cognoſcuntur in homine, ſivè humana natura, tunc convenire cognoſcuntur individua in una ſpecie.

Ergo quandocunque Petrus & Paulus convenire cogitantur in homine, tunc neceſſariò reſultat concordantia diverſorum individuorum in uno.

III.

Partium in toto. Quandocunque partes diverſæ in toto convenire cogitantur, tunc neceſſariò reſultat Concordantia diverſarum partium in uno.

Sed quandocunque manus, pedes, caput, integro ſeu toti coadunantur, tunc partes conveniunt in toto.

Ergo quandocunque manus, pedes, caput, integro ſeu toti coadunantur, tunc neceſſariò reſultat Concordantia partium in toto, integro, ſeu uno integrato.

Haud ſecus procedes in reliquis ordine Concordantiæ ſpeciebus.

Termini Compoſiti reducibiles ad Concordantiam ſub forma ſyllogiſtica.

I.

Idem. Ubicunque eſt Concordantia ſpecifica vel generica, ibi eſt identitas generica vel ſpecifica.

Sed quandocunque plura individua in una ſpecie vel plures ſpecies in uno genere conveniunt, ibi datur Concordantia vel generica vel ſpecifica.

Ergo quandocunque plura individua in una ſpecie vel plures ſpecies in uno genere conveniunt, ibi datur identitas vel generica vel ſpecifica.

Termini ſimplices.

Idem.
Simile.
Æquale.
Propinquum.
Proportionatum.
Par.
Conjunctum.
Unum.
Conveniens.
Conſonum.

II.

Simile. Ubicunque intervenit Concordantia inter aliquos, ibi datur neceſſariò aliqua ſimilitudo morum, aut temperamenti.

Sed hoc fit in Amicitia, quâ ſimilis ſimili gaudet.

Ergo in Amicitia datur ſimilitudo morum, aut temperamenti. Ergo Concordantia.

III.

Ab Æquali. Ubicunque eſt Concordantia congrua, ibi eſt æqualitas & paritas.

Sed in Democratico Statu eſt Concordantia congrua, quâ omnia communibus votis & ſuffragiis peraguntur.

Ergo in Democratico Statu eſt æqualitas & paritas.

IV.

Ab Harmonia. Ubicunque Conſona diſſonis aptè & peritè miſcentur, ibi eſt Concordantia harmonica.

Sed in omni harmonica proportione ſive vera, ſive analoga, conſona diſſonis aptè miſcentur.

Ergo in omni harmonica proportione ſive vera, ſive analoga, eſt Concordantia harmonica.

Ad hæc revocantur omnia, quæ unionem dicunt, ut Matrimonia; quæ convenientiam dicunt, ut pacta & contractus; quæ paritatem dicunt, ut amicitia, pax; omnia Abſtracta, univoca, univerſalia; omnes propoſitiones univerſales; omnes unitates ſeu congregationes; uti Conventus, Urbs, populus, plebs.

Unde ſic argumentaberis.

1.

Ubicunque eſt unio duorum individua; ibi eſt concordantia.

Matrimonium eſt unio maris & fœminæ in Societate individua. A matrimonio.

Ergo eſt concordantia.

2.

Ubicunque eſt mutua convenientia, ibi eſt concordantia.

In pactis & contractibus eſt mutua convenientia. A Contractibus.

Ergo eſt concordantia.

3.

Ubicunque eſt paritas, ibi eſt concordantia.

In amicitia eſt paritas reciprocæ benevolentiæ. Ab amicitia.

Ergo in amicitia eſt concordantia.

4.

Ubicunque fit abſtractio per intellectum ab inferioribus, ibi eſt concordantia. Ab abſtractis.

Sed hoc fit in univerſalibus.

Ergo in omnibus univerſalibus eſt concordantia inferiorum cum ſuperiori.

CAPUT III.

De Principio Respectivo Contrarietatis seu Oppositionis.



Ontrarietas est principium omninò generale primitivum & necessarium, ad quam omnes contrarietates reducuntur; sine qua omnia uniformia essent, omnia eadem, quod dici non potest; Constat enim totius Mundi Machina ex contrariis, ex lite & amicitia, ex pace & discordia, ex dissonis & consonis, quam quidem contrarietatem nulla res in natura rerum effugere potest. Dicuntur & opposita, quasi contra se posita; quæ subinde substantiâ, interdum re sola & ratione, nonnunquam sola ratione distincta sunt, de quibus suprà dictum est. Ubi notandum, omnia à natura in identitate facta esse, in oppositione verò nulla; quodlibet à natura factum & constitutum est in seipso, nihil autem in opposito. Deus unumquodque in proprio naturalique loco condidit, in quo stabilitum & esse *natum* est; quod autem naturale est, idem est; quod verò violentum & contra naturam, oppositum esse censetur. Exempli gratia; Igni sursum tendere ei est naturale, deorsum tendere violentum: Contrà Terræ deorsum tendere, est ei naturale, sursum verò, violentum, & contra naturam; Naturale autem & violentum opposita sunt: Unde fit, ut omnia à natura in identitate, pace, amore, & concordia sint sita, nihil verò oppositum; Si verò à natura sint, nulla est oppositio, ut proinde oppositio omnis sit ab intellectu; quod enim rebus ipsis naturale est, earum est identitas; quod verò istis vim infert, quodque præter naturam est, earum est oppositio: At Natura cunctis est naturalis, singula in appropriato loco constituit, nullis est violenta, neque res ipsas è sedibus suis transfert: Intellectus autem solus vim cunctis infert rebus, rerum omnium è sedibus suis translator; omnia siquidem quæ extra intellectum subsistunt, ab invicem distant, suntque separata, atque hæc eorum pax & identitas est; ubi verò ab intellectu hauriuntur, conjuncta in eo sunt & simul fiunt; hæc autem conjunctio simulque oppositio eorum est differentia & oppositio, ut vel hoc ipso ex indivisibili intellectus natura ejusdem immortalitas concludatur. Intellectus itaque res omnes dirimit, distinguit, unum ab altero separat, rerum chaos confusum & indistinctum pulchrè explicat, rerum omnium discrimen, totiusque differentiæ & oppositionis judex, universæ Naturæ lux; In intellectu enim dum duo simul ob impatientem ejus naturam recipi nequeunt, rerum omnium distinctio, differentia & numerus nascitur; Nam multitudinem non apprehendit ut multitudinem unam, id est simul totam, sed uti multas unitates: Alia quippe est unitas unius multitudinis, alia multarum unitatum ratio; & postquam per intellectum transierunt omnia in memoriam condita, tunc in pristinum revocantur naturæ per conceptas species, chaos.

Oppositio est ab intellectu.

Immortalitas intellectus.

Dialectici quatuor tantùm statuunt oppositorum species: Contrariorum, contradicentium, subcontrariorum & subalternatorum; Nos verò in hac Arte ad omnia generale totius oppositionis nomen extendimus; ad ea, inquam, cuncta, quæ quovis modo contra sese, aut contra naturam, intellectumve statuuntur, quæque quomodolibet ad alterutrum referuntur, quæ origine sua adversum se collocantur; Nam tametsi pleraque entium nullam naturæ aut contrarietatem aut pugnantiam sortita esse videantur, opposita tamen ad invicem comparata mutuæ relationis causa vocantur; unitas enim & numerus neque contraria neque pugnantia sunt; est enim unitas pars omnis numeri; nullum autem contrarium sui contrarii aut initium est, aut pars est; dicuntur tamen & unitas & numerus duo invicem opposita veluti extrema quædam conversa in semet, seque spectantia. Idem de intellectu & natura, de actu & potentia & ejus objecto, de principio & fine, de materia & forma, & similibus sentiendum esse scias, uti in sequenti schemate patet.

Oppositorum ratio quotuplex.

Tabula Oppositionis.

Opposita		Opposita	
Perfecta.	*Imperfecta.*	*Perfecta.*	*Imperfecta.*
Lux.	Tenebræ.	Veritas.	Falsitas.
Actus.	Potentia.	Albedo,	Nigredo.
Forma.	Materia.	Unitas.	Divisio.
Dies.	Nox.	Propinquitas.	Distantia.

Quicunque noverit artem oppositorum, is per analogiam quandam facilè universam Oppositorum rationem ad duo tantùm reduxerit. Est enim duorum quorumcunque oppositorum aliud perfectius, aliud minus perfectum. Omnia igitur quæ perfectionem quandam præ se ferunt, in una parte statuenda sunt, uti Lux, Actus, forma, dies,

Ars oppositorum utilissima.

Veritas,

Veritas, Albedo, Unitas, Propinquitas; Ex adverso verò imperfecta; uti Tenebræ, Potentia, Materia, Nox, Falsitas &c. Hoc pacto perfecta omnia sub unius oppositi ratione, imperfecta verò pariter sub unius oppositi ratione consideranda sunt; sic enim universa opposita sub duobus tantùm oppositis spectantur. Exempli gratia, Lux & tenebræ sibi invicem opponuntur; & lux quidem ex perfectiori genere, tenebræ verò perfectæ lucis privatio, ex imperfectiorum numero existunt, ad quæ omnia revocari possunt secundùm analogiam quandam. Quemadmodum enim Lux actus est, & tenebræ potentia, ita omnis forma Lux quædam & actus est, omnis verò materia, tenebræ & potentia quædam est. Hoc pacto dies & Lux, & actus & forma dici possunt; cujus oppositum est nox, quæ sub ratione tenebrarum, potentiæ & materiæ considerari possit. Haud secus Veritas lux quædam est, & actus & forma, & dies, cujus oppositum est falsitas, quæ tenebrarum, potentiæ, materiæ, noctis, falsitatis rationem habet. Haud secus de innumeris aliis ratiocinari licet, uti in schemate suprà posito patet.

CONSECTARIUM.

Ex hisce oppositorum rationibus nascitur Tetragonismus Logicus, quo opposita singula quadruplici affirmationis vel negationis genere enumerantur; adeoque affirmatio per negationem, negatio per affirmationem dici queant; quæ est pulchra in Logicis propositionibus variè enunciandis inventio; quam proinde nonnullis Exemplis, (præpositis primò axiomatis) dilucidandam censuimus. 1. Quæcunque dici possunt de uno oppositorum, & de altero, dici possunt, opposità ratione.

2. Quæcunque substantià diversa sunt, & re & ratione variantur.
3. Quorumcunque res est varia, horum est & ratio diversa.
4. Quorumcunque ratio est unica, horum res & substantia est una.
5. Quæcunque reipsa conjuncta sunt, & substantià conjuncta esse oportet.
6. Quorum substantiæ conjunctæ sunt, per unionem modalem, ea & re & ratione distincta sunt.

Exemplum ex Moralibus.

Singula legenda sunt ordine transversali juxta 4. Columnas.

1. Omne laudabile, laude dignum est.	1. Et vituperio indignum.	1. Omne verò vituperabile laude indignum.	1. Et vituperio dignum est.
2. Virtus, bonis & studiosis Virtus est.	2. Malis verò vitium.	2. Sed vitium malis Virtus est.	2. Bonis autem vitium.
3. Eligunt studiosi & probi virtutem.	3. Et vitia fugiunt.	3. Reprobi autem virtutem vitant.	3. Et vitium prosequuntur.
4. Scientia, Doctis est amica.	4. Indoctis inimica.	4. Ignorantia, ignaris est amica.	4. Doctis inimica.

Haud secus in omnibus quacunque ratione oppositis procedere poteris. Verùm ut luculentius hujus rei specimen videas, hìc oppositorum propriorum schemata unicuique scientiæ propria ponere visum est, ut quomodo ea deinde in Universali rerum notitia acquirenda applicari possint; elucescat.

Oppoſita unicuique Scientiæ propria tum latè tum ſtrictè ſumpta.

Oppoſita

In Dialectica.

Univerſale.	Particulare.
Affirmativum.	Negativum.
Verum.	Falſum.
Poſſibile.	Impoſſibile.
Neceſſarium.	Contingens.
Cathegoricum.	Hypotheticum.
Cathegorema.	Syncathegorema.
Terminus.	Propoſitio.
Subjectum.	Prædicatum.
Diviſio.	Definitio.
Suppoſitio.	Demonſtratio.
Major.	Minor.
Extremum.	Medium.
Contraria.	Subcontraria.
Contradictoria.	Subalterna.
Convertibile.	Inconvertibile.
Genus.	Species.
Differentia.	Proprium.
Subjectum.	Accidens.
Commune.	Singulare.
Scientia.	Opinio.
Scientia.	Ignorantia.
Fides.	Ratio.

Oppoſita

In Rhetorica.

Orator.	Auditor.
Suaſio.	Diſſuaſio.
Lex.	Uſus.
Conſilium.	Temeritas.
Conſultus.	Inconſultus.
Judex.	Judicandus.
Accuſatio.	Defenſio.
Diſpoſitio.	Indiſpoſitio,
Inventio.	Mentis hebetudo.
Elegantia Concinnitas.	Inconcinnitas.
Memoria.	Oblivio.
Venuſtas.	Invenuſtas.
Exordium.	Narratio.
Confirmatio.	Confutatio.
Diviſio.	Concluſio.
Conventio.	Controverſia.
Conveniens.	Inconveniens.
Honeſtum.	Turpe.
Benevolum.	Malevolum.
Beneficum.	Maleficum.
Dociles	Indociles.
Attenti.	Inattenti.

Oppoſia

In Ethica.

Virtus.	Vitium.
Medium.	Extremum.
Abundans.	Deficiens
Æquum.	Iniquum.
Juſtum.	Injuſtum.
Bonum.	Malum.
Utile.	Inutile.
Delectabile.	Abominabile.
Honeſtum.	Inhoneſtum.
Eligendum.	Fugiendum.
Laudabile.	Vituperabile.
Amabile.	Odibile.
Pulchrum.	Deforme.
Decorum.	Indecorum.
Rationabile.	Irrationabile.
Humanum.	Inhumanum.
Voluntarium.	Invitum.
Societas.	Solitudo.
Gratia.	Inurbanitas.
Continentia.	Incontinentia.
Conſtantia.	Inconſtantia.
Honor.	Vituperium.
Felix.	Infelix.

Oppoſitorum ratio
in
Mathematica, Arithmetica.

Unitas.	Numerus.
Par.	Impar.
Perfectum.	Imperfectum.
Æquale.	Inæquale.
Primum.	Compoſitum.
Unum.	Multa.
Additio.	Subtractio.
Diviſio.	Multiplicatio.

In Geometria.

Magnitudo.	Terminus.
Rectum.	Curvum.
Circumferentia.	Centrum.
Linea.	Punctum.
Corpus.	Superficies.
Diviſibile.	Indiviſibile.
Æquidiſtans.	Coincidens.
Perpendiculum.	Obliquum.

In Muſica.

Conſonantia.	Diſſonantia.
Proportio.	Diſproportio.
Grave.	Acutum.
Aſcenſus.	Deſcenſus.
Iſophonum.	Polyphonum.
Vox inferior.	Vox ſuperior.

Oppoſitorum ratio
in
Aſtronomia.

Polus Arcticus.	Polus Antarcticus,
Cœlum.	Terra.
Radius.	Umbra.
Æquinoctialis.	Zodiacus.
Horizontalis.	Verticalis.
Hemiſpheriũ ſuperius.	Hemiſpheriũ inferius.
Longitudo.	Latitudo.
Elevatio.	Depreſſio.
Æquinoctiũ.	Solſtitium.
Stellæ errantes.	Stellæ inerrantes.
Directio.	Retrogradatio.
Concentricum.	Excentricum.
Æſtas.	Hyems.
Sol.	Tenebræ.
Ver.	Autumnus.
Oriens.	Occidens.
Meridies.	Septentrio.
Prope.	Diſtans.
Lux.	Tenebræ.
Dies.	Nox.
Ecclipſis Solis.	Ecclipſis Lunæ.
Nodus aſcendens.	Nodus deſcendens.

Oppoſitorum ratio
in
Medicina.

Sanum.	Ægrum.
Calor.	Frigus.
Humor.	Siccitas.
Cor.	Cerebrum.
Digeſtio.	Indigeſtio.
Cholera.	Phlegma.
Sanguis.	Melancholia.
Spiritus.	Caro.
Nervus.	Os.
Diſtributio.	Indiſtributio.
Appetitiva.	Attractiva.
Retentiva.	Expulſiva.
Subtile.	Groſſum.
Alens.	Non alens.
Impinguans.	Macerans.
Dulce.	Amarum.
Sapidum.	Inſipidum.
Suave.	Fætidum.
Rarum.	Spiſſum.
Leve.	Grave.
Album.	Nigrum.
Clarum.	Confuſum.

Oppoſitorum ratio *In Phyſica.*

Forma.	Materia.
Efficiens.	Finis.
Cauſa.	Effectus.
Prius.	Poſterius.
Immobile.	Mobile.
Quies.	Motus.
Simplex.	Compoſitum.
Simile.	Diſſimile.
Surſum.	Deorſum.
Dextrum.	Siniſtrum.
Ante.	Poſt.
Leve.	Grave.
Rarum.	Spiſſum.
Actio.	Paſſio.
Intellectus.	Senſus.
Homo.	Brutum.
Præſens.	Præteritum.
Naturale.	Violentum.
Simplicia.	Elementa.
Ignis.	Aqua.
Aër.	Terra.
Generatio.	Corruptio.
Augmentatio.	Diminutio.
Latio.	Alteratio.
Anima.	Corpus.
Intellectus.	Memoria.
Actus.	Potentia.
Vis.	Operatio.
Somnus.	Vigilia.
Vita.	Mors.

Oppoſitorum ratio *In Metaphyſica.*

Ens.	Non Ens.
Unum.	Multa.
Infinitum.	Finitum.
Potens.	Impotens.
Immateriale.	Materiale.
Abſtractum.	Concretum.
Exemplar.	Effigiatum.
Veritas.	Imago.
Quidditas.	Quod, quid eſt.
Idem.	Hoc aliquid.
Tranſcendens.	Individuum.
Per ſe.	In alio.
Propter ſe.	Propter aliud.
Principium.	Finis
Supramundanum.	Mundanum.
Mens.	Abſtractio.
Æquale.	Inæquale.
Bonum naturæ.	Malum naturæ.
Verum.	Falſum.
Magnum.	Parvum.
Idem.	Diverſum.
Diſtinctum.	Indiſtinctum.
Præciſum.	Non præciſum.
Angelus.	Dæmon.
Principium.	Principiatum.
Eſſe.	Non eſſe.

Oppoſitorum ratio *In Theologia.*

Unum indiſtinctum.	Multa.
Æternum.	Temporale.
Increatum.	Creatum.
Infinitum.	Finitum.
Omnium cauſa.	Effectus.
Bonitas.	Malitia.
Pax.	Diſcordia.
Amor.	Odium.
Status.	Prolapſio.
Lux.	Tenebræ.
Fœcunditas.	Infœcunditas.
Pietas.	Impietas.
Sui communicatio.	Sui negatio.
Gratia.	Peccatum.
A nullo.	Ab aliquo.
A quo omnia.	A quo nihil.
Miſericordia.	Juſtitia.
Neceſſitas.	Contingentia.
Unitas.	Trinitas.
Gignens.	Genitum.
Spirans.	Procedens.
Creator.	Creatura.
Ubique.	Alicubi.
Immenſum.	Terminatum.
Semper & nunc.	Ante, nunc poſt.

Atque in his novem Columnis veluti in Chao quodam omnia ſcientiarum ſemina continentur, innumerorum ratiociniorum fætura, quæ probè exculta in ingentes fructus in omni ſcientia conſequendos pulluleſcat. Verùm ne quicquam ſine Exemplis expoſuiſſe videamur, huc nonnulla apponam, ut Tyro in Arte noſtra ſine impedimento & offendiculo progredi poſſit.

Exem-

Exempla Oppoſitorum in Metaphyſica, & primò,

De Ente, & non Ente, ſeu nihilo.

Omne quod concipi poteſt intellectu, eſt, vel non eſt; Ens igitur primum omnium notiſſimum, non ens verò ignotiſſimum; Ens autem intellectui notiſſimum ita probatur.

Ens. 1. Illud concipitur primò ab intellectu tanquam notiſſimum, quo nil prius nil ſimplicius eſt.
Sed Ente nihil prius & ſimplicius eſt.
Ergo Ens primò concipitur ab intellectu tanquam notiſſimum.
Majorem probabis per oppoſitum, *Non Ens*, hoc pacto:
Non Ens. Si quid prius & ſimplicius ab intellectu conciperetur tanquam notiſſimum, illud aliud non eſſet, quàm non ens.
Sed impoſſibile eſt, id eſſe prius & ſimplicius, quod non eſt.
Ergo illud quod prius & ſimplicius ab intellectu concipitur tanquam notiſſimum aliud eſſe non poteſt, quàm Ens, minime autem, non Ens.

Aliter.

Illud primum concipitur ab intellectu, quod eſt principium primum operationum & proprietatum, & actum eſſendi habet.
Sed talis eſt eſſentia unicuique rei propria.
Ergo.
Majorem probabis per oppoſitum ejus, *Non eſſentiam*, ſic:
Si primum quod concipitur ab intellectu, non eſt primum principium operationum & proprietatum, illud neceſſariò erit quiddam nullum eſſendi actum habens.
Sed hoc eſt abſurdum.
Ergo. Neque erit poſterius quid actum eſſendi conſequens; quia fieri non poteſt, ut quod conſequitur actum eſſendi, primum principium ſit operationum, cùm id ſemper rem actuale eſſe habentem præſupponat.

Vides itaque, quomodo per oppoſitum negativum, oppoſitum affirmativum, per imperfectum verò perfectum probari poſſit modo quodam univerſali & demonſtrativo. Jam videamus, quomodo Ens unum demonſtrare valeamus. Sic itaque perge.

Unum. 2. Omne indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio unum eſt.
Omne Ens ſubſtantiale eſt indiviſum à ſe, & diviſum à quolibet alio.
Ergo omne Ens ſubſtantiale unum eſt.
Majorem per oppoſitum ita probabis.
Si omne indiviſum in ſe, & à quolibet alio non eſt unum, ergo id erit ſimul & unum & multa. Multa.
Sed hoc eſt abſurdum. Eſſet enim in ſeipſo diviſum, quod in Ente ſubſtantiali impoſſibile eſt.
Et probatur.
Ubicunque eſt eſſendi indiviſibilitas, ibi eſt quidditas unius.
Sed in Ente ſubſtantiali eſt eſſendi indiviſibilitas.
Ergo quidditas unius. Ergo unum neceſſariò indiviſibilitas. (loquimur autem ſemſemper de Ente & uno tranſcendentali) Unitas enim nihil ſupra Ens, niſi ſolam negationem diviſionis ponit.

3. Aliud per *Infinitum* & *Finitum*.
Omne quod infinitum eſt, omni termino caret. Infinitum.
Deus omni termino caret.
Ergo eſt infinitus.
Minor probatur per oppoſitum *(Finitum)*. Finitum.
Si Deus omni termino non careret, ergo foret limitatus.
Sed hoc eſt impoſſibile.
Ergo quod infinitum eſt omni termino caret.

4. Aliud per *Potentiam* & *Impotentiam*.
Omne potens, potentiam habet ad actum eſſendi. Potens.
Sed omne Ens habet potentiam ad actum eſſendi; quæ eſt actualis exiſtentia ejus.
Ergo omne Ens potentiam habet ad actum.
Major probatur per oppoſitum *(Impotens)*.
Si omne potens potentiam non habet ad actum, Ergo fruſtranea erit potentia, quæ non reducitur in actum, ergo impotens. Impotens.
Sed hoc abſurdum eſt in Philoſophia.
Ergo omne potens potentiam habet ad actum. Ergo minime impotens.
Sed hæc ex multis pauca ſufficiant; in reliquis enim oppoſitis idem procedendi modus eſt.

Exemplum Oppoſitorum

In Theologia.

Unum. Multa. Quidquid eſt neceſſariò & eſſentialiter unum, id eſſe multa non poteſt.
Sed Deus eſt neceſſariò & eſſentialiter unus.
Ergo multa eſſe non poteſt.

Æter-

Æternum. Temporale. Quidquid eſt æternum, id temporale eſſe non poteſt.
Sed Deus eſt æternus.
Ergo.

Increatum. Creatum. Quidquid eſt increatum, id creatum eſſe non poteſt.
Sed Deus eſt increatus.
Ergo.

Infinitum. Finitum. Quidquid eſt infinitum, id finitum eſſe non poteſt.
Sed Deus eſt infinitus.
Ergo.

Majorem ſemper probabis per unum ex iis, quæ abſolutis terminis opponuntur, uti in præcedentibus Exemplis Metaphyſicis patuit, & paulò inferius patebit.

Vel aliter.

Omnium Cauſa. Omnium cauſa à nullo eſt.
Sed Deus eſt omnium cauſa.
Ergo.

Major Probatur.

Si omnium cauſa non eſt à nullo, ergo ab aliquo.
Effectus. Ergo effectus alterius cauſæ, quod eſt impoſſibile.

Sed hæc omnia fuſius proſequemur in Theologia Combinata; Quare modum procedendi in paucis oſtendiſſe ſufficiat.

Exemplum Oppoſitorum

In Ethica.

Virtus. Vitium. Omnis Virtus eſt appetibilis.
Nullum vitium eſt appetibile.
Ergo nullum vitium eſt virtus.

Aliter.

Omnis virtus eſt laudabilis.
Juſtitia eſt virtus.
Ergo eſt laudabilis.

Probatur Major.

Si virtus non eſt laudabilis, ergo illaudabilis, ergo fugienda, ergo vitium.
Sed hoc eſt abſurdum.
Ergo.

Mediocre. Extremum. Omne mediocre eſt virtuoſum.
Liberalitas eſt mediocris inter avaritiam & prodigalitatem.
Ergo liberalitas eſt virtuoſa; quia virtus in medio conſiſtit.

Abundans. Deficiens. Omnia Extrema ſunt vitioſa.
Omne abundans & deficiens ſunt extrema.
Ergo vitioſa.
Omne bonum amplexandum.
Ergo omne malum fugiendum. Et ſic de cæteris.

Haud ſecus in reliquis oppoſitis tibi procedendum eſſe ſtatuas.

Exempla Oppoſitorum

In Arithmetica & Geometria.

Unitas. Numerus. Omnis unitas denotat indiviſibilitatem in multa.
Nullus numerus denotat indiviſibilitatē in multa.
Ergo nullus numerus ut multitudo eſt unitas.

Impar. Par. Omne impar inæqualitatem ſignat.
Omnis ſeptenarius eſt impar.
Ergo omnis ſeptenarius inæqualitatem ſignat.
Si non. Ergo impar erit par; quod eſt impoſſibile.

Perpendiculare. Obliquum. Omnis linea conſtituens in plano quopiam duos angulos rectos, non eſt obliqua.
Linea quædam ſuper aliam normaliter incidens eſt perpendicularis conſtituens duos anlos rectos.
Ergo non eſt obliqua.

Æquidiſtans. Angulare. Omnis linea recta non inclinata ad alteram eſt æquidiſtans ab altera æquidiſtante.
Omnis linea recta angulum rectum conſtituens cum altera non eſt inclinata.
Ergo omnis linea recta angularis eſt æquidiſtans.

Curvum.

Curvum. Rectum. Omnis linea non ex æquo sua interjacens puncta, est curva.
Omnis linea circularis non ex æquo sua interjacet puncta.
Ergo omnis linea circularis est curva.

Innumera hisce similia ex Arithmetica demonstrativè deduci possent. Sed hæc sufficiant. Reliqua Lector videat in Arithmetica & Geometria Combinata.

Ex Musica.

Consonantia. Dissonantia. Omnis consonantia est proportionata & concors diversarum vocum unio jucundè auribus accidens.
Nulla dissonantia ut sic est proportionata & concors vocum unio.
Ergo nulla dissonantia est consonantia.

Grave. Acutum. Omne grave seu barytonum remittit.
Omne acutum seu oxytonum intendit.
Ergo oxytonum non potest esse barytonum; sive acutum non potest esse grave.

Aliter.

Omne Barytonum est remissivum soni.
Omnis Vox hypate est barytona.
Ergo omis Vox hypate est remissiva soni. Si non; esset simul barytona & oxytona; quod est impossibile.

Eadem prorsus ratione in Astronomicis, Medicis, Dialecticis, & Rhetoricis procedendum tibi esse scias. Verùm hæc omnia suo tempore & loco innumeris Exemplis, dante Deo, demonstrabuntur.

Habes hîc Lector modum & rationem paucis descriptam, qua ex Oppositorum Arte, innumeris argumentis ad ratiocinandum instrueris; tanta quippe varietate incedit hæc Oppositorum Ars, ut non incongruè Proteus quidam Dialecticus audire mereatur; adeoque nihil illi, qui eam callet, in omnibus rationalis scientiæ dogmatis rectè comprobandis denegatum videatur.

CAPUT IV.

De Principio Respectivo Causæ.

Causa principium est generalissimum, primitivum, necessarium, sine quo nullus in rerum natura effectus foret, & est, id à quo aliquid fit, & in eo implicitè continentur omnia principia generica, specifica & particularia in partibus substantiæ diffusa; ut ordinem naturæ examinanti patebit; & ad ipsum reducuntur omnes termini, A Quo; uti Agens, Potentia, & omnis ratio causalis: ut Efficiens, Formalis, Materialis & Finalis; omnes actus originis, ut inchoare, incipere, & omne antecedens, præcedens, denique omnia prædicamenta.

Notandum autem hoc loco, omnes causas esse principia, sed non contrà, uti in novem prædicamentis patet, quæ principia quædam sunt, sed Causarum ratio ipsis non competit, nisi ratione substantiæ cui insunt. Unde resultant hæ Regulæ.

1. De causa respectu sui principii simpliciter dicti semper respondetur affirmativè sub ratione majoris perfectionis; Contrà semper negativè sub ratione minoris perfectionis. V. G. Omnis Substantia melior, major, durabilior, potentior, perfectior &c. est omni accidente, eò quòd sit causa omnium accidentium in triplici genere causæ; Videlicet; Efficientis, Materialis & Finalis, uti patet de Efficiente, in Deo, & Creatura; de Formali, in Anima respectu corporis.

2. Omnis causa Finalis, & Efficiens est nobilior, & perfectior effectu, quia est independens, Effectus verò dependens & subordinatus.

3. Omnis causa est prior suo effectu; subaudi fundamentaliter, non formaliter, cum sit relativa.

4. Omne principium est primum in suo genere.

Dividitur itaque primò omnis Causa in *Increatam* & *Creatam*; illa Deus Opt. Max. est omnium causa, vel effectivè vel permissivè, in quo omnes causæ Causarum, & primordialia Causarum genera complicantur. Creata iterum multiplex est: Efficiens, Formalis, Materialis, Finalis, aut Exemplaris.

Efficiens eſt, ad cujus actionem ſequitur effectus; ut ignis calefaciendo aquam, eam reddit calidam.

Efficiens Creata iterum vel Univerſalis, vel Particularis; Illa eſt Sol unà cum Planetis inferiorum omnium productrix cauſa. *Particularis* verò eſt, quæ unum tantùm effectum producit, ut homo generando hominem, Leo Leonem, arbor arborem, quæ iterum eſt ſubordinata vel eſſentialiter vel accidentaliter. *Subordinata eſſentialiter* eſt, quæ ſine alia cauſa agere non poteſt; uti Luna ſine reliquis Planetis, homo ſine Sole. *Subordinata accidentaliter* eſt; ut motus lapidis per baculum.

Formalis cauſa eſt, quæ dat eſſe rei intrinſecum per ſe ipſam; uti anima rei animatæ cauſa eſt, & diſtinguitur ab Efficiente & Finali, quæ dant extrinſecè eſſe rei; eſtque vel eſſentialis, vel accidentalis: Illa omnibus formis ſubſtantialibus; hæc accidentalibus, uti qualitatibus activis competit.

Materialis cauſa eſt, quæ recipit formam & conſervat eam, quia præter animam rationalem nulla res habet eſſe in ſe, ſed in alio, videlicet in materia; ſiquidem corrupto materiali ſubjecto deſtruuntur & formæ, durantque tam diu, quàm diu durant in recepta materia: quod idem de accidentibus dicendum eſt, quæ nec eſſe, nec conſervari naturaliter poſſunt ſine materia ſecunda cui inhærent.

Finalis cauſa eſt, quæ incitat & movet agens ad agendum, nempe alicujus gratia: Sic Sanitas infirmum movet ad ſumendam medicinam, tanquam Sanitatis cauſativam: ſic finis ædificii eſt bona & commoda habitatio.

Cauſa verò finalis, judicii, omniumque Magiſtratuum, eſt Juſtitia. Eſtque iterum vel Impulſiva; &, ut bona inde reſultent, intenditur: vel ſubordinata; uti in mendico, qui intendit pecuniam, & per pecuniam panem.

Exemplaris ſecundùm Platonicos, eſt idea in mente divina: dicitur & cauſa finalis impropria & metaphorica.

Sunt & aliæ cauſarum ſubdiviſiones: In cauſam proximam, uti Sol: In remotam, uti homo in ordine ad generationem. Eſt & cauſa per ſe, & per accidens. Cauſa per ſe propriâ virtute producit effectum; per accidens, alteri conjuncta: uti inſtrumentum in manu Artificis: Quæ iterum multiplex eſt: aut à caſu vel à fortuna: vel ab occaſione, vel exemplo. Alia cauſa in actu, alia in potentia, quæ cauſare poteſt, etiamſi actu non cauſet: uti Doctor eſſe poteſt, etiamſi non doceat, & ſic de reliquis.

Sùnt itaque eſſentialia principia quatuor dictæ cauſæ.

Efficiens cauſa, à Qua.
Formalis cauſa, per quam.
Materialis cauſa, in qua.
Finalis cauſa, propter quam, & cujus gratia.

Termini

Termini reducibiles ad Principium ſeu Cauſalitatem in formam ſyllogiſticam diſpoſiti & combinati.

	Principia.		Principiata.		Subjecta.		
Omnis Omne Omnia	Bonificans.	Principium eſt reſpectu	Bonificati.	Sed		Talia ſunt	Ergo.
	Magnificans.		Magnificati.				
	Durare faciens.		Durabilis.				
	Potentificans.		Potentificati.				
	Cognoſcens.		Cognoſcibilis.				
	Volens.		Volibilis.				
	Virtutem præſtans.		Virtutem accipientis.				
	Verificans.		Verificati.				
	Glorificans.		Glorificati.				
	Eſſe.		Exiſtentis.				
	Subſtantia.		Accidentium.				
	Producens.		Producti.				
	Agens.		Paſſi.				
	Initians.		Initiati.				
	Genus.		Specierum.				
	Species.		Individuorum.				
	Cauſans.		Effectuum.				
	Imprimens.		Impreſſi.				
	Impellens.		Impulſi.				
	Generans.		Generati.				
	Influens.		Influxi.				
	Eligens.		Electi.				
	Origo.		Originati.				
	Obligans.		Debiti.				
	Prius.		Poſterioris.				
	Antecedens.		Conſequentis.				
	Abſolutum.		Relativi.				
	Acquirens.		Acquiſibilis.				
	Prædicamenta.		Reſpectu eorum quæ in eis continentur.				
	Dominans.		Subditorum.				
	Elementa.		Elementatorum.				

In hoc Combinatorio Abaco ea ſolum eligenda ſunt, quæ ſingulis ſubjectis propriè competunt: Genus enim & Species in quantum principia ſunt phyſica, Deo non competunt, uti nec Angelis, quod in ſubjectis aliis pariter tibi obſervandum eſſe ſcias.

Habes ergo hîc 270. Syllogiſmos, qui de Principio reſpectivo concludunt demonſtrativè; quos quidem innumeris aliis modis per enneadem quæſtionariam variare poteris, uti ſuo loco patebit; ut vel hinc hujus Artis Combinatoriæ immenſam fæcunditatem colligas. De principiorum verò varietate & diviſione vide uberius tractatum in ſequenti libro de Theologia Combinata.

CAPUT V.

De Principio Reſpectivo Medii.

VIa ad finem medium eſt. Eſt ergo Medium id, quod eſt principio & fini interjectum, & utriuſque naturam redolet; dici quippe poteſt antecedentium finis, & conſequentium principium: Eſt principium reſpectivum, generale, primitivum, neceſſarium, ſine quo nulla rerum daretur conjunctio, nullus nexus, aut unio, ſed omnia vacua, quod foret abſurdum: Eſt enim Medium ſubjectum, per quod finis in principium, & principium, in finem reciproca quadam actione influit. Eſtque triplex.

Medium triplex.

Primò. *Medium Conjunctionis*, quod extrema inter se nectit: Estque vel substantiale, vel Accidentale, vel Rationis. Prius inter substantias duas reperitur; ut inter Creaturam & Deum; Christus Θεάνθρωπος medium est inter Deum & hominem. Secundum, inter omnes compositiones rerum, quarum unio materiæ & formæ medium est. Tertium est rationis, uti medium est, medium in qualibet propositione inter extremos terminos.

Secundò. *Medium Relationis:* ut dilectio est medium inter diligentem & dilectum; & complectitur (.are.) medium inter (.tivum.) & (.bile.) uti beneficare inter beneficatum & beneficabile, & sic de cæteris.

Tertiò. *Medium Extremorum:* ut Liberalitas est medium inter prodigalitatem & avaritiam in Moralibus: Medium in quantitate, punctum inter extrema. Ordinis, ut binarius medium est inter 1. & 3. Dignitatis, uti Cherubini inter Seraphin & Thronos. Principatus, inter Dominationes & Potestates. Archangeli, inter Virtutes & Angelos. Angelus, inter Deum, & Hominem. Analogum medium, est Simia inter hominem & aliud quodlibet brutum. Zoophytum, inter animal & plantam. Spongia, inter plantam & inanimatum. Generica Substantia, inter corporeum & incorporeum. Corpus inter animatum & inanimatum. Vivens, inter sensitivum & insensitivum. Animal, inter hominem & brutum. Species, inter individua; & sic de innumeris aliis, ut in Schemate patet.

Scala Mediorum.

Extremum.	Medium.	Extremum.
	Supernaturale.	
Deus.	Christus.	Homo.
	Substantiæ Creatæ.	
Deus.	Angelus.	Homo.
Seraphin.	Cherubin.	Throni.
Dominationes.	Principatus.	Potestates.
Virtutes.	Archangeli.	Angeli.
	Genericum.	
Spirituale.	Substantia.	Corporeum.
Vivens.	Corpus.	Inanime.
	Vivens.	
Sensitivum.	Planta.	Insensitivum.
Homo.	Animal.	Brutum.
	Analogum.	
Homo.	Simia.	Brutum.
Animal.	Zoophytum.	Planta.
Planta.	Spongia.	Inanime.
	Accidentale.	
Color albus.	Viridis.	Niger.
	Logicum.	
Terminus major.	Medius.	Minor.

Extremum.	Medium.	Extremum.
	Physicum.	
Forma.	Unio.	Materia.
	Morale.	
Avaritia.	Liberalitas.	Prodigalitas.
Præteritum.	Præsens.	Futurum.
Potentia.	Actus.	Potentia.
Non esse.	In fieri.	Esse.
Generatio.	Generatum.	Corruptio.
	Geometricum.	
Extremum.	Medium.	Extremum.
Circum-	Centrum.	-ferentia.
Cœ-	Terra.	-lum.
	Astronomicum.	
Polus Arcticus.	Æquinoctialis.	Antarcticus.
Luna. Venus. Mercurius.	Sol.	Mars. Juppiter. Saturnus.
	Geographicum.	
Zona frigida & temperata Borealis.	Torrida.	Temperata & frigida Australis.
	Medicum.	
Salubria.	Alexipharmaca.	Deleteria.

Revocantur autem ad Medium omnia instrumenta: Omnia Moralia: Omnia intelligibilia: Omnis habitus positivus & privativus: Omnia membra corporis: Omnes operationes: Omnes mensuræ: Omnia Sacramenta & Præcepta Legis.

Termini

Termini reducibiles ad Medium ex præcedenti Schemate in formam ſyllogiſticam redacti & inter ſe combinati.

Medium Supernaturale.

1. Ubicunque dantur duo extrema, ibi datur & medium conjunctionis utraque connectens.
Sed inter Deum & hominem datur Christus utrâque naturâ, Divinâ & humanâ ſubſiſtens.
Ergo Chriſtus eſt medium Conjunctionis connectens & continens in ſe Divinam & humanam naturam.

Medium Angelicum.

2. Quandocunque datur tranſitus ab actu puriſſimo increato ad potentiam paſſivam, ibi neceſſariò eſt medius actus purus creatus.
Sed talis medius actus eſt intellectus Angelicus.
Ergo intellectus Angelicus eſt medium inter intellectum Divinum, actum puriſſimum, & humanam potentiam paſſivam.

3. Ubicunque datur illuminatio activa & paſſiva, ibi datur & medium.
Sed in Cherubinis, Principatibus & Archangelis datur illuminatio activa & paſſiva; ſuperiores enim illuminant medios, & hi ſibi ſubditos.
Ergo Cherubini, Principatus & Archangeli ſunt media trium Hierarchiarum.

Medium Genericum.

Quandocunque dantur differentiæ Genericæ, inter illas datur quoque medium.
Sed inter Subſtantiam, Corpus, Vivens, Animal, dantur differentiæ genericæ: ſcilicet Spirituale & corporeum: animatum, inanimatum: ſenſitivum, inſentivum: rationale, irrationale.
Ergo Spirituale, Corpus, Vivens, Animal, ſunt media.

Medium Logicum.

Ubicunque dantur duo termini extremi, ibi datur & medium.
In omni propoſitione dantur duo termini extremi.
Ergo in omni propoſitione datur medium.

Phyſicum.

In omni generatione quando ab eo quod fuit, ad id, quod eſt, datur tranſitus, ibi neceſſario quoque datur medium.
Sed privatio eſt tranſitus ab eo quod fuit, ad id, quod eſt.
Ergo privatio inter tria principia eſt medium, id eſt, inter materiam & formam.

Medium Morale.

Ubicunque eſt exceſſus & defectus, inter illa datur & medium.
Inter liberalitatem dantur exceſſus prodigalitatis, & defectus avaritiæ.
Ergo liberalitas eſt medium inter prodigalitem & avaritiam.

Medium Arithmeticum.

Ubicunque ſunt duo numeri impares proximi, ibi datur inter illos medius par.
Sed 1. & 3. 3. & 5. &c. ſunt numeri impares proximi.
Ergo dantur inter illos medii numeri pares, videlicet 2. & 4.

Geometricum.

Ubicunque dantur extrema, ibi datur medium.
In Circulo dantur extrema.
Ergo in circulo datur medium, videlicet centrum.

Aſtronomicum ab eventu.

Ubicunque datur oppoſitio Aſtronomica, ibi datur medium.
Sed in omni Ecclypſi datur oppoſitio Aſtronomica, nimirum Solis & Lunæ mediante terra, vel Solis & terræ mediante Lunâ.
Ergo in omni Ecclypſi datur medium.

Quod argumentum idem quoque valet in omni oppoſitione Planetarum.

Habes hîc Lector nonnulla Exempla, ut ex iis, quomodò in reliquis procedendum ſit, videas. Datur enim in omni æquatione, connexione, concluſione, menſuratione, participatione, actione, perfectione Medium. Quæ omnia fuſiùs ſuo tempore & loco demonſtrabuntur.

CAPUT VI.

De Principio Respectivo Finis.



Inis est generale principium primitivum & necessarium, sine quo nullus in natura rerum esset appetitus, nihil bonum, nulla actio, nullus volitæ rei ad terminum consequendum impulsus. Est igitur Finis id, in quo principium quiescit; quiescunt autem principia in fine, propter quem sunt, & est finis ultimus Deus benedictus in sæcula, cujus gratiâ omnia sunt; Sub hoc autem fine sunt alii innumerabiles fines, in quibus principia substantiæ quiescunt, quando attingunt illud propter quod sunt. Est itaque Finis quadruplex.

Sine principio finis nullus foret appetitus.

Primò. *Finis perfectionis*, ut Beatitudo, est finis vitæ humanæ, ad quam revocantur omnia, quæ perfectionem, bonitatem, magnitudinem &c. respiciunt.

Secundò. *Finis terminationis*, est quies adepta in loco naturali; siquidem locus, ad quem movetur res, est finis illius motus, ut lapis deorsum cadens. Ad hunc revocantur omnes terminatæ res, omnes appetitus naturales, qui tendunt ad quietem tanquam ad finem. Ad hunc revocatur finis extremi, qui est vel substantiæ, ut generationis finis est homo : vel accidentis, ut finis corporis quanti est extensio partium extra partes : vel temporis; sic temporis finis est motus successivus rerum : vel loci; sic loci finis est, esse alicubi : vel qualitatis; sic caloris & frigioris finis est alterare subjecta.

Tertiò. *Finis privationis* est destructio rerum; ut mors est finis vitæ. Huc revocantur omnes corruptiones & privationes tam naturales, quàm morales, & artificiales.

Quartò. *Finis intentionis*, est id, ad quod quidpiam dirigitur; ut finis Medicinæ est sanitas; finis Juris Justitia.

Sunt & fines secundarii, qui naturaliter in suis principiis quiescunt. Hoc pacto metalla quietem habent in suo fine, qui est sub fine hominis; quoniam si non esset homo, principia illa finem non haberent, in quo quiescerent : Sic totus Mundus in hominis gratiam conditus est. Pari pacto homo, qui est finis substantialis animæ & corporis, est Substantia, qui est finis Substantialis formæ & Materiæ.

Fines accidentales sunt hujusmodi; ut meritum est finis virtutum acquisitarum; & gratia Dei finis virtutum gratuitò datarum.

Termini Compositi reducibiles ad Finem forma syllogistica propositi, & inter se combinati.

Termini simplices.
Cognoscibile.
Appetibile.
Acceptabile.
Consumabile.
Consumptibile.
Extremum.
Complebibile.
Oblectabile.
Perfectibile.
Terminabile.
Proponibile.
Quies.
Status.
Scopus.
Sententia judicialis.

1. Omne quod sub cognitionem cadit, finis rationem habet.
   Omnis scientia sub cognitionem cadit.
   Ergo finis rationem habet.
2. Id ad quod omnia tendunt, is rerum omnium ultimus finis est.
   Deus est, ad quem omnia tendunt.
   Ergo Deus finis est rerum omnium.
3. Quod ab omnibus appetitur, finis est voluntatis nostræ.
   Bonum est quod appetitur ab omnibus.
   Ergo finis est voluntatis nostræ.
4. Omnis terminus in quem intrinsecè tendimus, finem aliquem respicit.
   Omnes actiones humanæ tales sunt.
   Ergo omnes actiones humanæ ad finem aliquem tendunt; cum nulla actio sit sine termino.
5. Omne quod complementum habet, finis rationem habet.
   Omnis perfectio complementum habet.
   Ergo omnis perfectio finis rationem habet.
6. Omne quod extremi rationem habet, id finis rationem habet.
   Omne terminabile extremi rationem habet.
   Ergo omne terminabile finis rationem habet. Quod & de omni consumptibili & consumabili dici potest.
7. Omne quod nascitur, finem habet, scilicet per corruptionem.
   Omnia generabilia talia sunt.
   Ergo finem habent.

8. Omne

8. Omne cujus gratia aliquid fit, finis rationem habet.
Omnia in natura rerum alicujus gratia fiunt: Nihil enim fruſtra fit, aut factum eſt.
Ergo omnia finis rationem habent.

9. Si non eſſet finis in rebus conſtitutus, daretur proceſſus in infinitum; ergo nulla quies, nullus ſtatus, nullus determinatus ſcopus rerum.
Sed hæc omnia abſurda ſunt.
Ergo neceſſariò in rebus finis eſt.

10. Omne objectum cognoſcibile, finis eſt cognoſcitivi, ſive cognoſcentis.
Omne quod intelligitur, eſt objectum cognoſcibile.
Ergo omne quod intelligitur, eſt finis cognoſcitivi, ſive cognoſcentis.

Omnis potentia ſive (*tivum*) pro fine habet objectum *.bile.*	Sed Omne	Bonificativum. Magnificativum. Durare factivum. Potentificativum. Intellectivum. Volitivum. Virtutificativum. Verificativum. Glorificativum.	Eſt agens, ſive, ſunt agentia ſub ratione potentiæ.	Ergo pro fine habent objectum *.bile.*	Id eſt,	Bonificabile. Magnificabile. Durificabile. Potentificabile. Intelligibile. Volibile. Virtutificabile. Verificabile. Glorificabile.

Quæ Lulliano more ad unum Syllogiſmum reducuntur hoc pacto.
Omne, *tivum*, pro objecto finali habet, *bile*.
Omne Agens ſub ratione potentiæ eſt, *tivum*.
Ergo omne Agens ſub ratione potentiæ pro objecto finali habet, *bile*.

CAPUT VII.

De Principio Reſpectivo Majoritatis.

DIſtinguitur Majoritas à Magnitudine, quod hæc ſit principium abſolutum omnium Entium magnitudines in ſe complicans ſine ullo reſpectu; illa verò ſit principium Reſpectivum, in quantum in ordine ad alia inferiora comparativè deſcendit; & uti id omnium Entium ordinibus convenit, ita ad omnia inferiora Majoritatis rationem habet; ac proinde generale & neceſſarium, utpote ſine quo omnia æqualia forent, quod eſt impoſſibile.

Majoritas duplex. Eſt autem Majoritas primò duplex: *Subſtantialis* & *Accidentalis*: Illa eſt, ſubſtantialis pars ſubſtantiæ: Hæc communicata quædam imago & ſimilitudo ſubſtantialis Majoritatis. Quemadmodum enim Bonitas major eſt per ſuum effectum, quàm per ſimilitudinem & extra communicatam magnitudinem; ita Majoritas per ſuam eſſentiam ſimpliciter eſt pars ſubſtantialis; ſicuti Bonitas communicata pars accidentalis; unde ſi Majoritas non eſſet pars ſubſtantialis ſubſtantiæ, Bonitas non eſſet major per eſſentiam, quàm Bonitas per accidens, cùm non haberet, de quo ſuam ſimilitudinem ſubſtantialem reciperet.

His ita præmiſſis ita Majoritatem hanc per omnium rerum genera, Entiumque gradus deducemus, ut magna, quæ inde pullulat argumentorum fætura luculentius pateſiat.

Omne Ens, non Ente.	Majus aut Major eſt	Quia melius eſt eſſe, quàm non eſſe; quia eſſe, bonum eſt; non eſſe, malum.
Omne Poſitivum, Negativo.		Quia poſitivum affirmat aliquam bonitatem, quam negat negativum.
Omnis eſſentialis proprietas, accidente communi.		Quia proprietas perficit eſſentialiter, Accidens verò omninò accidentaliter.
Omne Accidens reale, intentionali.		Quia illud realem exiſtentiam habet, hoc objectivam tantùm, & ſine intellectu non exiſtit.
Omne genus generaliſſimum, genere ſubalterno.		Quia illud latiùs ſeſe extendit, quàm hòc.
Omne genus, ſpecie ſua.		Quia ad plura ſe extendit, & quia eſſentialiter perficit ſpecies ſuas.
Omnis ſpecies, ſuis individuis.		Quia individuis perfectam eſſentiæ rationem confert.

Omnis

Omnis Efficiens Causa, suo effectu.	Major aut Majus est.	Quia ratióne originis prior est; ita Causa finalis major est materiali, & major Finalis Efficiente in creatis Formali, Materiali.
Omnis finis, mediis.		Quia finis est propter se, medium verò ad finem, scilicet ad aliud.
Omnis Forma, Materiâ.		Quia forma perficit essentialiter materiam, Materiâ passivè tantùm se habente.
Omnis qualitas activa, passivâ.		Quia activa dominatur, passiva subjicitur.
Omnis actus, habitu.		Quia excellentia virtutis in operatione consistit, non in habitu.
Omnis actus, potentiâ.		Quia actus actu est, potentia verò in fieri.
Omne necessarium, contingente.		Quia illud ita est, ut non esse non possit, hoc verò potest esse & non esse.
Omne possibile, impossibili.		Quia illud habet potentiam ad esse, minimè verò impossibile.
Omne Deo Vicinius, quàm remotius.		Quia illud excellentius, quàm hoc.
Omnis perfectio Deo similior, quàm dissimilior.		Quia illud majorem bonitatem habet, quàm hoc.
Omnis Virtus Theologica, Morali.		Quia illud nobilius objectum habet, quàm hoc.

Ex his necessariò concluditur.

Deus.

1. Deum Optimum Maximum sine ulla comparatione majorem esse omnibus Entibus in universitate rerum contentis, cujus comparatione omnia nihil sunt.

Ordo rerum.

Angelus verò major homine.
Homo major bruto.
Brutum majus plantâ.
Planta major Minerali.
Minerale quodvis, majus materiâ primâ, quæ propè nihilum.

Angelus.

2. Seraphini majores sunt Cherubinis.
Cherubini Thronis.
Throni, Dominationibus.
Dominationes, principatibus.
Principatus, Potestatibus.
Potestates, Virtutibus.
Virtutes, Archangelis.
Archangeli, Angelis.
Angeli, Hominibus.

Cælum.

3. Cœlum continens majus contentis.
Firmamentum, sive Cœlum fixarum, majus Saturnino.
Saturninum, majus Jovio.
Jovium, majus Martio.
Martium, majus Solari.
Solare, majus Venereo, Mercuriali, Lunari.
Lunare, majus Cœlo Elementari.
Elementare, majus Terreno globo.

Elementa quoad Virtutes.

4. Ignis major humido, quia activior.
Humidum majus sicco, quia perficit siccum ut subsistat.

Homo quoad Dignitatem.

5. Homo unus altero major est virtute, dignitate, scientiâ, sapientiâ.
Rex, major Principe.
Princeps, major Comite.
Comes, major Barone.
Baro, major nobili.
Nobilis, major rustico.
Dives, Paupere.

Ratione verò Scientiæ & Virtutum, quæ sunt bona eorum.

Sapiens omnibus præstat.
Theologus, major Philosopho.
Philosophus, major Philologo.
Philologus, major Grammatico.
Ethicus, major Philosopho, & Philologo.
Architectus, Murario.
} Ratione Objecti.

Monarchia, major Aristocratiâ.
Aristocratia, Democratiâ.
Democratia, Oeconomiâ.
His omnibus major est vir quà Theologicis, quà moralibus virtutibus quàm optimè instructus.
Contrà unus homo vitiosus altero, oppositis modis.

Ratione bonorum corporis.

Unus homo major est altero, pulchritudine, proportione, robore, sanitate, talentis naturalibus, voce, pectore.

Quoad bonum fortunæ.

Unus homo major altero, Honore, dignitate, famâ, & celebritate nominis, favore Magnatum, & similibus: Est enim in his omnibus Majoritas comparata ad alias Majoritates.

Animalia bruta juxta species, quoad quantitatem.

6. Quadrupedia majora volatilibus, quoad quantitatem molis.
Natatilia majora quadrupedibus & volatilibus.
Omnia hæc majora insectis præter dracones.

Quoad dotes naturales sive qualitates.

Leo, fortitudine.
Elephas, ingenio.
Equus, alacritate.
Tygris, velocitate.
Canis, fidelitate.
Vulpes, astutiâ.
Bos, tolerantiâ laborum.
Pecus, simplicitate.
Capra, salacitate.
Asinus, segnitie.
} Major est reliquis animantibus.

Volatile unum altero majus est.

Uti.

Aquila, volatu & fortitudine.
Accipiter, rapacitate.
Gallina, fæcunditate.
Gallus, salacitate.
Columba, simplicitate.
Hirundo, prænotione temporum.
Ciconia, philostorgiâ.
Luscinia, cantu.
Regulus, astutiâ.
Pavo, pulchritudine & varietate pennarum.
Upupa, cristæ varietate.
Anser, stoliditate; & sic de cæteris.

Natatilium unum altero majus est.

Uti.

Balæna, Corporis mole.
Delphinus, amore hominum.
Lucius, rapacitate.
Rana piscatoria, dolosâ industriâ.
Sepia, malignitate.
Polypus, mirâ transformatione; & sic de reliquis naturis & proprietatibus procedendum tibi esse putes.

Insectorum pariter unum altero majus est. Uti.

Vipera, astutiâ.
Aspis, mirâ industriâ.
Serpentum, vermiumque miræ virtutes, & proprietates.

Vegetativa natura.

7. Una Plantarum major est altera, vel mole, vel figurâ, vel virtute.

Sic.

Arbores, majores plantis.
Frutices, herbis.
Herbæ, graminibus.
Plantæ Salutiferæ, insalutiferis majores.
Plantæ fructiferæ, sterilibus.
Floridæ, majores infloridis.
Altæ, majores humilibus.
Ramosæ, majores iis, quæ sine ramis.
Specificæ qualitates plantarum, majores elementaribus.
Calidæ, majores frigidis.
Calido-humidæ, majores frigido-siccis.
Sunt & aliæ plantæ majores aliis.

Facultate {
Calefactivâ.
Rarefactivâ.
Condensativâ.
Humectativâ.
Laxativâ.
Stipativâ.
Mollificativâ.
Indurativâ.
Purgativâ.
Siccativâ.
Incisivâ.
Penetrativâ.
Conglutinativâ.
Sanativâ &c.

Mineralia.

Mineralium aliud majus altero.

Aurum,	Argento.
Argentum,	Cupro.
Cuprum,	Stanno,
Stannum.	Ferro.
Ferrum,	Plumbo.
Plumbum,	Hydrargyro.

Hydrargyrum, reliquis lapidibus.

Hoc pacto lapides varias inter se Majoritatis differentias habent, uti & varii ſucci minerales.

Eodem pacto procedes in materialibus, & instrumentalibus, artificialibus, ſive aggregatis per accidens, & in omnibus majoritatem reperies comparativè ſumptam.

Datur & Majoritas reſpectu principiorum abſolutorum.

Uti.

Omnis { Bonitas. Ma. Du. Po. Sa. Vo. Ve. Vi. Gl. } In ſuo genere major eſt alterâ in ſuo genere: uti, { Increata, Creatâ. Angelica, Humanâ. Humana, Senſitivâ, Senſitiva, Plantali. Plantalis, Minerali. Subſtantialis, Accidentali. Ergo. }

Atque hæc de Majoritate Sufficiant.

CAPUT VIII.

De Principio Reſpectivo Æqualitatis.



Eſt Æqualitas Principium Subſtantiale generaliſſimum, primitivum & neceſſarium; utpote ſine quo nulla daretur concordantia, eſtque ſubſtantialis; utpote in qua ſuſtentantur æqualitates accidentales, & in qua fines concordantiæ, bonitatis & magnitudinis quieſcunt, & ſunt partes eſſentiales Subſtantiæ. Ita homo ſub æqualitatis principio generat hominem bonum & magnum; Accidentaliter verò ſumitur, cum exceſſus & defectus diverſarum qualitatum ad æqualitatem reducitur, ut quando Medicus graduat medicamenta anaticè ſive ad pondus æquale.

Principium ſine quo nil foret æquale alteri.

Dividitur autem in *Increatam* & *Creatam*. *Increata* invenitur in Sacroſancta Triade, in qua perſonarum eſt ſumma æqualitas, reſpectu perfectionum Divinarum, in natura & eſſentia ſumma conſubſtantialitas.

Creata iterum eſt multiplex: *Subſtantialis*, & *accidentalis*. *Subſtantialis*, eſt fundata in ipſa eſſentia totius ſubſtantiæ reſpectu perfectionis; uti in Angelo, eſt perfecta voluntatis & intellectus in eſſendo æqualitas; Et in corporeis, omnes partes, reſpectu, ſubſtantiæ, æquales ſunt in eſſendo. *Accidentalis æqualitas*, eſt vel intenſionis, vel extenſionis, vel menſurationis; vel ratione temporis, loci, finis, habitus, qualitatis, numeri, ætatis, conſiderantur. Quemadmodum enim ſe habent principium, & finis, ad Medium; ita Majoritas, & Minoritas, ad Æqualitatem.

Termini compoſiti reducibiles ad Æqualitatem in formam ſyllogiſticam redacti & combinati.

Termini Simplices.

Æquale, Æquum.
Juſtum.
Simile.
Proportionatum.
Menſuratum.
Ponderatum.
Par.

Quandocunque unicuique datur, quod ſuum eſt, in eo ibi datur æqualitas.
Juſtitia commutativa dat unicuique quod ſuum eſt.
Ergo in Juſtitia datur æqualitas.
Quandocunque menſuratur aut ponderatur quidpiam ſub æqualitate proportionis, ibi datur æqualitas.
Hoc fit in Medicinalibus.
Ergo.
Omnia quæ ſunt ſine exceſſu & defectu, æqualia ſunt.
Hoc fit in omni menſura, & pondere.
Ergo in iis eſt æqualitas.

Eodem modo argumentare de æqualitate intenſionis qualitatum, temporum, locorum, ſituum, habituum, proportionum, ætatum, aliorumque, quæ uſus docebit; Quæcunque enim ad concordantiam reducuntur, reducuntur & ad æqualitatem.

CAPUT IX.

De ultimo Principio Reſpectivo Minoritatis.

Princi-pium ſine quo nil minus altero, neque privatio.

MInoritas eſt generale principium & neceſſarium, quia ſine illa nulla accideret privatio, nihil daretur minus altero, nullum malum aut imperfectum, dicitque omnem defectum à bonitate, magnitudine, duratione, potentia &c. & in omnibus creatis locum habet, Deo ſolo minoritatis omnis experte: quot enim modis dicitur majoritas, tot & minoritas.

Termini ſimplices.

Termini compoſiti reducibiles ad Minoritatem.

Parvitas ſeu exiguitas. Omnis defectus à Majoritate, Magnitudine, bonitate, eſt minoritatis effectus.

Inferioritas. Omne inferius reſpectu ſuperioris minus quid eſt. Ergo.

Indigentia. Omnis neceſſariarum rerum defectus minoritati ſubjacet.
Sed Indigentia omnis, & inopia, talis eſt.
Ergo.

Miſeria. Omnis boni deficientia minoritatem habet.
Sed tales ſunt omnes afflictiones, calamitates, & miſeriæ.
Ergo.

Servitus. Omne quod alterius dominio ſubjicitur, minoritatis rationem habet.
Talis eſt omnis ſervitus.
Ergo.

Inopia. Omne rerum neceſſitate preſſum minoritatis rationem habet.
Omnis inops, & pauper, talis eſt.
Ergo.

Subjicibilitas. Omne quod alteri ſive ethicè, ſive phyſicè, ſive logicè ſubjicitur, minoritatis rationem habet.
Sed talis eſt ſervitus, ſubjecta Logica.
Ergo.

Obligatio. Omne quod obligatur ad aliquid præſtandum eſt minoritas.
Tale eſt debitum, æs alienum & cætera.
Ergo.

Omne quod à debito ordine recedit, minoritatem habet. Defectus.
Omnis defectus, tum in genere naturæ, tum moris, talis eſt.
Ergo.

Omnis virium defectus minoritatis rationem habet. Infirmitas.
Omnis infirmitas, morbus, & ſanitati contraria, talia ſunt.
Ergo.

Omne malè connexum, compactumque minoritatis rationem habet. Fragilitas.
Talis eſt omnis res fragilis.
Ergo.

Omne ad agendum ineptum minoritatis rationem habet. Impotentia.
Talis eſt omnis impotentia.
Ergo.

Omne à perfectione debita declinans minoritatis rationem habet. Imperfectio.
Tale eſt omne imperfectum.
Ergo.

Omnis locus carens corpore, minoritatis rationem habet. Vacuitas.
Tale eſt omne vacuum.
Ergo.

Omne quod facultate ad operandum deſtituitur, minoritatis rationem habet. Inſufficientia.
Talis eſt omnis inſufficientia.
Ergo.

Omne quod bono aliquo orbatur per tranſitum unius ad aliud, minoritatem habet. Omnes privationes.
Omnes privationes tales ſunt.
Ergo.

Atque hæc ſunt, quæ de octodecim, tum abſolutis, tum reſpectivis principiis, eo ordine, quo ea Lullus deſcripſit, dicenda putavi: Ex quibus Lector innumeras ex omni ſcibili reperiet argumentorum ſedes, adituſque paulatim ad veram Artis methodum aperitur, uti ex ſequentibus patebit.

PARS IV.

De novem Subjectis Universalibus, quæ sunt :

Deus.  *Angelus.*  *Mundus, Cœlum.*  *Elementa.*  *Homo.*  *Natura sentiva.*  *Vegetativa.*  *Inanimata.*  *Accidentia.* 

PRÆFATIO.



Ntequam ad subjectorum Universalium, quæ in Arte nostra Combinatoria considerantur, expositionem calamum convertamus, totius prius corporei incorporeique Entis sive substantiæ divisionem subdivisionemque hîc ob oculos Curiosi Lectoris ponendam duxi, ut veluti in speculo quodam omnium Entium naturali serie propullulantium ordines, quos fusissimè in secuturis scientiarum Syntagmatis descripturi sumus, unico intuitu expositos sibi contemplaretur. Quod quidem scitiùs pulchriùsque haud quaquam fieri posse arbitratus sum, quàm per arborei typi similitudinem, tum ad methodum tradendam, tum ad firmioris memoriæ subsidium accommodatam. Quemadmodum enim Arbor per radices è terra veluti ex spermaticæ facultatis abysso exorta paulatim in truncum, deinde in innumerorum ramorum identidem subdivisorum fœturam expansa, mirum in modum vividæ indolis lætitiam uberrimo fructuum proventu exhibet; ita universum Naturæ ambitum, sive rerum creatarum complexum haud incongruè Arbori comparaverim, quæ ex nihilo per omnipotentis Dei creativam Virtutem emergens primò in chaoticum Ens, hinc in varias entium differentium gradus expansa, atque in varios generum specierumque velut ramos quosdam divisa, ab infimo per medios usque ad summum, atque adeo sapientissimi Conditoris supramundanæ mentis verticem, ex ordine rerum creatarum ascendendo, quam Philosophi satis mirari non possunt, pertingit.

Sed ejus explicemus ramos. Scopus sive truncus recto tramite in altum tendens verticem ita disponitur, ut à radice incipiens, ab Ente inquam transcendentali rerum principio, per genus generalissimum, ut cum Logicis loquar, ad genera subalterna, & hinc ad species & individua, per ramorum divisionem expanderetur, eo artificio disposita, ut à summo ad unum usque laterali ordine descendentes generum specierumque differentiæ reciproca quadam prædicatione, nunc subjecti, modò prædicati rationem haberent; dextræ quidem per propositiones universales affirmativas, quas particula, Omne, *indicat; oppositæ verò hisce in altero latere differentiæ reciproca quadam prædicatione de se dicerentur, sed per propositiones universales negativas, quas particula,* Nullum, *indicat; adeoque ex singulis innumeri rerum demonstrandarum Syllogismi oriantur, quibus universa Naturæ series ex entium subdivisione subordinationeque rectà demonstretur; pulchra proinde totius Dialecticæ Epitome & Anacephaleosis. Verùm cum hæc luce meridiana clariùs in ipsa Arbore elucescant, supervacaneum esse ratus sum, iis diutius immorari; cum Lector uberrimos ejus fructus faciliori negotio ipsa praxi, sit percepturus, quàm ego copiosis verborum ambagibus non facilè descripserim. Propositum itaque nobis scopum prosequamur.*

CAPUT

CAPUT I.

De primo Subjecto univerſali, qui Deus eſt.

PRimum Artis noſtræ Combinatoriæ ſubjectum eſt Deus Opt. Max. objectum, inquam, adæquatum, circa quod intenta mentis acie, quantum humani ingenii imbecillitati licet, exponendum, totum verſatur Theologorum ſtudium & induſtria. Verùm de hoc ſubjecto omnium digniſſimo in ſequenti libro, quæ Theologia Combinata inſcribitur, uberrimè ſumus pertractaturi. In quo Lector omnia ea quæ ad id quovis modo revocari poterunt, expoſita reperiet.

CAPUT II.

De ſecundo Subjecto univerſali, qui eſt Angelus.

Subjectum II. de Angelica natura.

SEcundum Subjectum *Angelus* eſt, cujus operationes & proprietates quomodo per Artis noſtræ applicationem innoteſcant, tum dicemus, ubi priùs Angelicæ actionis rationem per varias ſubdiviſiones præmiſerimus.

Primò itaque quoad Angelos, conſiderantur in iis proprietates, quæ ſunt vel negativæ vel affirmativæ.

Negativæ ſunt, quæ compoſitionem materialem, locum omnem & tempus, quibus res corporeæ omnes & componuntur & menſurantur, amovent; uti ſunt ſimplicitas in Angelis, ſed limitata; æviternitas & illocalitas.

Affirmativæ ſunt, limitatio ſpiritualis, qua à Deo illimitato diſtinguuntur, motus celeritas, ſumma vis intellectus, ſumma vis voluntatis.

Angelorum ſtatus.

In ſpecie Angeli dividuntur in bonos & malos. In Angelis bonis conſiderantur cauſæ, effectus, proprietates & diſtinctio. Cauſa efficiens bonitatis Angelorum, gratioſa Dei electio, tum eidem ſubordinatur ſemper voluntas & conſenſus permanendi in ſanctitate & juſtitia; Propria ſunt, bonum virtutis & bonum conditionis. Bonum virtutis reſpectu intellectus & voluntatis; reſpectu intellectus eſt ſumma claritas & veritas notitiæ; reſpectu voluntatis ſummus appetitus & impetus in ſummum bonum, & conſequenter boni à primo deſcendentis. Bonum conditionis eſt felicitas, quæ eſt gloria & gaudium.

Effectus Angelorum.

Effectus bonorum Angelorum ſunt vel reſpectu Dei vel Creaturarum; illi glorificationem & executionem juſſorum Divinorum pro fine habent; hi omnium rerum curam, ſuntque vel Generales vel Speciales.

Officia Angelorum.

Generales ſunt, primò ordines Entium ſine confuſione conſervare; Elementorum temperamenta curare; uti inundationes, ventorum impetum, peſtiferas exhalationes cohibere.

Speciales ſunt, vel ex parte hominum bonorum vel malorum. Ex parte hominum bonorum curant bona vel animi, vel corporis, vel fortunæ.

Animi bona, quibus promovendis invigilant, ſunt, illuſtrare intellectum, inſpirare bona, à tentationibus diaboli liberare, voluntatem ad actiones bonas movere, virtutis ſtudium implantare, Deum amare, conſenſum in peccatum impedire.

Bona corporis, quibus conſervandis aſſiſtunt, ſunt, totius vitæ ſtatum moderari, ab omni periculo vitæ defendere, in morte diabolum repellere, & poſt mortem in paradiſum introducere.

Bona fortunæ, quæ promovent, ſunt, temporalium rerum copiam promovere, contra noxas defendere, pericula amovere.

Effectus verò reſpectu malorum hominum ſunt; peccata illorum punire, juſtitiam Dei per peccata irritatam exequi, vel temporali vel æterna pœna.

Diſtinctio Angelorum ſumitur primò ex gradibus ſuperiorum & inferiorum, qui novem ſunt Chori Angelorum.

Novem Chori Angelorum dividuntur in tres Hierarchias: & ſunt, — Quorum officium eſt

Hierarchia	Chori	Officium	
1.	Seraphin.	Illuminare & inflammare inferiora.	Deo perpetuò adſiſtere.
	Cherubin.	Scientiam infundere.	
	Throni.	Tranquillitatem curare.	
2.	Dominationes.	Dominari omnibus poteſtatibus adverſis.	Naturam univerſalibus legibus & dictaminibus diſponere & gubernare.
	Poteſtates.	Modum tradere exactionis boni & legitimi.	
	Principatus.	Notionem indere ducendi & gubernandi.	
3.	Virtutes.	Virtutibus animi invigilare.	Particularium rerum hominumque cuſtodiæ curam habere.
	Archangeli.	Nunciare.	
	Angeli.	Cuſtodire.	

Hi omnes ratione præſidii diſtinguuntur: dum alii,
- Cœlorum globis verſandis, conſervandis, influxibus promovendis in Mundi bonum impendunt operam.
- Elementorum virtutibus præſunt.
- Terreno Globo. / Singulis Entium gradibus. / Regnis. / Provinciis. / Urbibus. / Hominibus. — Præſident & adſiſtunt.

De Dæmonum Effectibus.

Pari ratione conſiderantur in Dæmonibus Cauſa, effectus, propria, diſtinctio.

Conditiones dæmonum. Cauſa efficiens malitiæ; ſunt contemptus Dei, & ſummus honoris vertex, quem à primo inſtanti creationis ſuæ ambibant.

Propria ſunt: depravatio intellectus & voluntatis; intellectu quidem perpetuò confuſi perplexique, de Deo diviniſque judiciis dubitant. Voluntate verò, irrevocabili odio & livore erga Deum, Angelos, & omnes creaturas, maximè Electos, & tandem erga ſe ipſos feruntur, cum extrema infelicitate, ignominia & dolore.

Effectus dæmonum. Effectus Dæmonum ſunt, vel veri, vel præſtigioſi. Veri ſunt, erga Deum perpetua de eo calumnia cum divini nominis deteſtatione; erga creaturas omnes tam rationales, quàm irrationales, erga has, dum omnes evertere cuperent, & totum Mundum perdere; erga illos felices homines, animas eorum pervertere, potentiam intellectivam, volitivam & executivam depravare & impedire, corpus humanum mille modis lædere; bona omnia peſſundare, honorique & famæ nocere, obſidere mentes & corpora hominum.

Potiſſimùm autem effectus Dæmonum eluceſcunt erga bonos, electos, & juſtos, quos mille modis tentare ſolent in fide, pœnitentia, bonis operibus; erga reprobos verò, dum illos in incepta malæ vitæ conditione confirmant, ab omni bono abducunt, atque ad mala innumera perducunt, quod innumeris modis præſtant per præſtigiatrices & divinatrices artes: quæ ſunt:

Necromantia.	Qua conſulentibus ſe per mortuorum corpora reſponſa dant.		
Augurium & Sortilegium.	Quo per aves & ſortes futura oſtendunt.		
Pyromantia.	Quibus per elementorum	Ignis.	Diverſa ſigna, reſponſum iis de futuris eventibus eos conſulentibus, exhibent.
Aëromantia.		Aeris.	
Hydromantia.		Aquæ.	
Geomantia.		Terræ.	

Quibus

Quibus accedunt Astrologia Consultoria, qua per cœli inspectionem per signa de re furto sublata responsum dant.

Variæ species divinationum.

Zoomantia, qua volucrum animaliumque moras, motus, nutus Magis signa præbent. Subinde quoque per varia instrumenta, ut cribra, pelves, specula, fumum, futura denuntiant. Verbo; Dæmones nihil non assumunt, ad animas à Deo abducendas; dum per varias Superstitiones, veneficia, collyria, unguenta, philtra, annulos, imagines characteristicas, amuleta, numeros, sonos, Sacrificia, purificationes, solitudines, sortes, ligationes, susurrationes, imaginationes horrendas, animi excessus, consecrationes, devotiones, somnia, cerimonias, miris modis mortalium pectora agitant, possident, & sui juris faciunt; atque adeo per ipsum S S. Altaris Sacramentum in suæ malitiæ executionem Deique contemptum assumunt, in omnibus divinitatis quandam simiam præ se ferentes.

Si quis verò fabulosam de fictitiis Gentilium Diis Theologiam hisce jungere velit, habebit uberrimam de omnibus disputandi materiam.

Termini abstracti reducibiles ad Angelos.

Bonitas.
Magnitudo.
Duratio.
Potentia.
Intellectus sive sapientia summa.
Voluntas sive appetitus boni.
Virtus summa in operando.
Veritas in notitia.
Gloria in felicitatis statu.
Simplicitas.
Non contineri loco.
Æviternitas.
Motus.
Forma.
Effectus ratione Dei.
Effectus ratione Angelorum.
Effectus inter sese.
Effectus erga homines tam bonos quàm malos.
Effectus ratione dæmonum per artes magicas,
Distinctio.

Quæ omnia examinabuntur per quæstiones.

An.	Uti; An Angelus sit, & an Bonus. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.
Quid.	Uti; Quid sit Angelus ejusque Bonitas. M. D. P. S. V. V. V. G.
Cur.	Cur à Deo sit conditus, & in quem finem.
De quo.	An ex nihilo.
Quantum.	Quantus sit Potentiâ. B. M. D. P. S. V. V. V. G.
Qui.	Quomodo operetur, moveatur, loquatur, intelligat, velit, illuminet, se transformet.
Quale.	Qualis sit in Potentia, Bonitate, Voluntate, Virtute, Gloria.
Ubi.	Quis sit locus Angeli, & quomodo in loco sit, agat, operetur.
Quando.	An ab æterno sit, quando operationes ejus potissimùm exerat.
Quibuscum.	Quibus instrumentis utatur, quibus artibus, ad boni persuasionem.

Hisse addi possunt Principia Respectiva: An, quomodo, quare &c. differant, concordent, contrarientur, principient, medient, finiant, majores, æquales, minores sint. Quales sint ratione præsidii orbium cœlestium, elementorum, hominum, animalium, plantarum, mixtorum, metallorum. An plures sint Angeli in diversas Mundi plagas distributi; ubi de Angelis firmamenti, planetarum singulorum; de igneis, aëreis, aqueis, terrestribus, subterrestribus uberrimus disputandi campus.

Quæsituro itaque cuipiam, An Angeli verè existant; Respondebis authoritate & congruentiâ; hoc pacto: & primò quidem authoritate:

An Angeli exitant.

Id verè & indubitatè existit, cujus Sacræ literæ nobis veritatem compluribus locis demonstrant.

Sed Angelos esse, compluribus locis demonstrant S S. literæ.

Ergo Angeli verè & indubitatè existunt.

Congruentiâ sic probabis.

Ubicunque sunt duo extrema, quorum unum spiritualis substantia infinitè perfecta omnium conditrix, alterum corporeo-intellectuale est, ibi datur & media creatura & completa substantia inter purè spirituale infinitum & corporeo-intellectualem.

Sed datur Deus & corporeo-intellectualis creatura Mundo conclusa, videlicet homo ex corpore & anima incompleta substantia compositus.

Ergo & media & completa substantia intellectualis, finita, creata, per se subsistens, qui est Angelus.

Iterum.

Iterum.

In rerum natura datur ſubſtantia purè materialis ſeu corporea, & mixta ex ſpirituali & corporea, id eſt, homo; ergo datur & purè intellectualis creata.

Sed hæc alia eſſe non poteſt, quàm Angelus. Ergo.

Quibus ſuppoſitis, jam nonnulla exempla ponamus eorum terminorum, qui ad Angelos reducuntur.

Quæritur itaque, quid ſit Angelica ſubſtantia? Reſpondeo, eſſe creatam ſubſtantiam intellectualem, incorpoream, completam. Quod ita probo per principia.

Per bonitatem.

1. Omnis *bonitas* incorporea completa per ſe ſubſiſtens & finita, eſt ſubſtantia creata, intellectualis completa.
   Omnis Angelus eſt *bonitas* quædam incorporea per ſe ſubſiſtens & finita.
   Ergo Angelus eſt ſubſtantia intellectualis completa, finita.

Per magnitudinem.

2. Omnis *magnitudo* incorporea ſubſiſtens, & omnis quantitatis extenſivæ expers, eſt ſubſtantia intellectualis creata, completa, finita.
   Sed Angelus talis eſt. Ergo.

Per Durationem.

3. Omne quod ſubſiſtit completè, & *æviternâ* duratione per ſolum eſſe & eſſentiam ſuam durat, eſt ſubſtantia intellectualis, incorporea, creata.
   Angelus talis eſt. Ergo.

Per Potentiam.

4. Quandocunque effectus producitur ſolâ immediatione ſuppoſiti, & ſummâ intellectus & voluntatis vi, ibi neceſſariò ſumma *potentia* agentis.
   Sed in Angelis ſolâ immediatione ſuppoſiti & ſummâ intellectus & voluntatis vi & efficaciâ globi cœleſtes moventur, & omnia corporalia localiter moveri poſſunt, unde & incomprehenſibiles effectus producuntur.
   Ergo iis ineſt ſumma potentia.

Per cognitionem.

5. Omne quod non per ſpecies externas ſed connaturales *intelligit*, eſt ſubſtantia intellectualis, completa, incorporea.
   Angelus talis eſt. Ergo.

Pari pacto Angeli definitionem urgebis per reliqua principia eſſentialia, cæteraque iis annexa attributa; quæ fuſiùs ſuo tempore & loco in Metaphyſica combinata demonſtrabuntur. Reliqua verò ad materiam Angelicam ſpectantia, in reſolutionis typo contenta, per terminos principiorum tam abſolutorum, quàm reſpectivorum, quos ſuprà poſuimus, unicuique principio tum abſoluto, tum reſpectivo propria demonſtrabo.

CAPUT III.

De Mundo & Cœlo.

Subjectum III. de mundo & Cœlo.

Undus eſt corporea moles, Cœlos, elementa, mixta & quidquid tandem rerum eſt, intra ſe perfectione, connexione, ordine abſolutiſſimo complectens, tertium Artis noſtræ ſubjectum, ad quod omnia quæ exiſtunt revocantur, tanquam magnæ machinæ partes integnantes ad totum: cujuſmodi ſunt: magnum illud & prope infinitum expanſum, quod Cœlum dicitur, & in eo innumerabilis globorum multitudo, qui juxta ſtabilitas Dei leges archetypas ope intelligentiarum per motus unicuiq; congruos & appropriatos in bonum totius naturæ agitantur.

Globi ab Angelis moventur.

Dividitur autem Mundus principaliter in tres partes; primò in Cœlum Cœlique globos potiſſimam Mundi partem. Secundò in in Elementa. Tertiò in Mixta, quæ quadruplici Entium ordine, gradu entitativo, vegetativo, ſenſitivo, rationali abſolvitur.

Termini ſeu prædicata eſſentialia ſunt.

B.	Quæ omnia examinabuntur per quæſtiones.	*An.*	An Mundus Cœlumque verè exiſtat? An B. M. D. P. S. V. V. V. G? An ⚌ ♡ ●○ α ⊙ ω M Æ Mi?
M.		*Quid.*	An Cœli ex materia formave compoſiti; An corruptibilis vel incorruptibilis eſſentiæ; an animati?
D.		*Cur.*	Quem in finem Mundus Cœlique conditi ſint? Reſpondeo per B & G.
P.		*Quantum.*	Utrum Mundus cum Cœlis infinitus ſit; an plures Mundi ſint? quot Cœli & Aſtra?
S.		*Quale.*	An incorruptibiles, animati, compoſiti; an ex elementis?
Vo.		*Quomodo.*	An diverſis motibus operentur; an per influxus inferiora gubernent; An propria forma, an per intelligentias moveantur Aſtra? An per excentricos & concentricos circulos?
Vi.		*Ubi.*	An Mundus & Cœli in loco ſint? & an ſit extra eos ſpacium imaginarium?
Ve.		*Quando.*	An in tempore conditus; utrum ab æterno exſtiterit?
G.		*Quibuscum.*	Quibus modis, inſtrumentis & rationibus inferiorem creaturam gubernet? An Cœli differant, concordent, contrarientur, principient, medient, finiant? majoritatem, Æ. Min. admittant? Denique An, quomodo, quantum, qualiter, cur, ubi, quomodo differant Cœli, & quem reſpectum ad ſe dicant? hoc pacto.

1. An

= 1. An differant inter se Astra.
♡ 2. In quo concordent.
●○ 3. In quo contrarientur; & an qualitatibus corruptivis Astræa corpora sint imbuta.
α 4. Quodnam & qualenam sit principium Astrorum activitatis in inferiora.
⊙ 5. Quomodo & utrum unum Astrum agat in alterum per influxus & virtutes specificas singulis inditas.
ω 6. Quis sit finis omnium harum actionum.
M 7. An unum altero majus sit, in B. M. P. S. Vo. Vi. Ve. G.
Æ 8. An æqualitas constituatur inter ea, & qualisnam illa sit.
Min. 9. An Minoritas concedatur in Astris.

Deinde hæc omnia examinabis per motus unicuique proprios, circa axin, in excentrico, circulari, diurno, annuo, obliquo, spirali, progressus, retrogressus, & cætera, & quem ob finem tanta diversitas naturæ iis sit indita.

Sed jam omnium dictorum paradigma quoddam proponamus; ex quo Lector Curiosus facilè intelligat, quomodo principiis Artis nostræ, aliarum propositarum quæstionũ status examinari & comprobari possint.

Quæsituro itaque, utrum Mundus sit æternus: sic negativam sententiam per omnia Artis nostræ principia confirmabis.

1. Solus Deus æternus. Ergo nihil aliud ex creatis rebus æternum esse potest. Coincideret enim quoad bonitatem durationis infinitæ cum Deo, quod est impossibile.

Per B. 2. Omnis *bonitas* participativè bona est limitata.
Mundus est *bonitas* participativè bona.
Ergo est limitatus. Ergo non æternus.

3. Omnis effectus, qui à bono essentiali ad extra profluxit, æternus esse non potest.
Sed Mundus est effectus, qui à bonitate Dei ad extra profluxit.
Ergo Mundus æternus esse non potest.

Probatur Major.
Solus Deus æternus est. Ergo nihil aliud ex creatis rebus æternum esse potest. Coincideret enim quoad bonitatem durationis infinitæ cum Deo, quod est impossibile.

P. B. Omne *participativè bonum*, æternum esse non potest.
Mundus est *bonum quoddam participativè*.
Ergo æternus esse non potest.

Ratio Majoris est. Quia bonitas participata est finita; æternitas autem essentialis est infinita; Nullum autem finitum potest esse æternum: Ergo & Mundus non potest esse infinitus, nec æternus.

Per M. Omne quod habet *partes quantitativas* & *rationes compositionis*, id æternum esse non potest.
Mundus habet partes quantitativas, & compositus est. Ergo æternus esse non potest.

Omne quod implicat *tempus*, æternum esse non potest. Est enim æternitas negatio temporis. Per D.
Sed mundus implicat *tempus*.
Ergo æternus esse non potest.

Omne quod *variis mutationibus obnoxium* est, æternum esse non potest. Per D.
Mundus variis mutationibus obnoxius est.
Ergo. Est enim æternitas interminabilis totius vitæ simul & perfecta possessio, quæ in mundum non cadunt.

Omne quod habet *potentiam limitatam*, æternum esse non potest. Per P.
Mundus habet *potentiam limitatam*.
Ergo æternus esse non potest. Quia æternitas est ipsa Dei omnipotentia.

Nullum quod *intellectus* & *cognitionis* est expers, id æternum esse potest. Foret enim ex seipso, sine præcognito fine. Per S.
Sed Mundus est *intellectus* & *cognitionis* expers. Ergo æternus esse non potest.
Quia æternitas est ipsa Dei omniscientia.

Omne quod implicat contradictionem, id æternum esse non potest. Per Vo.
Sed Mundum Dei *voluntate* ab æterno constitutum implicat contradictionẽ.
Ergo æternus esse non potest. Quia bonitas Dei, quæ est perfectio voluntatis infinita, est ipsa æternitas, cum qua creaturam coincidere impossibile est.

Si Mundus esset æternus, multò magis *virtutes* essent æternæ. Per Vi.
Sed nulla *virtus* creata est æterna, nec esse potest.
Ergo nec illud, quod inde sequitur. Quia æternitatis efficacia est major mundo.

Si Mundus est æternus, æternitas non est æternitas. Per Ve.
Sed hoc est absurdum.
Ergo & id, quod inde sequitur.

Si Mundus æternus foret, omnia in eo *gloriarentur* tanquam in ultimo fine. Per Gl.
Sed non omnia in mundo gloriantur tanquam in ultimo fine.
Ergo Mundus æternus non est.

Per Principia Respectiva sic institutum assumptum probabis.

1. Omne quod dependens est & temporale, id æternum esse non potest. Per =
Mundi forma est dependens & tempori subjecta.
Ergo Mundus non est æternus.

Vel aliter.
Æternitas *differt* à Mundo.
Ergo mundus non est æternus. Si enim non differt, vel est æqualis, vel inæqualis. Non æqualis, quia alias Mundus esset ipse Deus, quod est absurdum. Ergo inæqualis; ergo non æternus.

Per ♡ 2. Omne quod *concordat* cum corruptibilibus, æternum esse non potest.
Mundus concordat cum corruptibilibus.
Ergo non est æternus. Quia æternitas & immensitas simul sunt & unum.

Per ●○ 3. Omne quod è *contrariis* compositum est, æternum non est.
Mundus compositus est ex *contrariis*.
Ergo non est æternus. Quia nihil quod æternum, compositum esse potest.

Per α 4. Omne *principiatum* æternum esse non potest.
Mundus est *principiatus*.
Ergo æternus esse non potest. Quia æternitas omni caret principio.

Per ⊙ 5. Ubicunque non est *medium* participationis inter finitum & infinitum, ibi æternum esse non potest.
Mundus inter finitum & infinitum *medium* participationis esse non potest.
Ergo. Quia æternitas non admittit successionem.

Per ω 6. Ubicunque est *finis* & consumatio, ibi æternum esse non potest.
Mundus teste S. Scriptura finem habebit & consumationem.
Ergo Mundus æternus esse non potest. Quia æternitas caret fine

Per M 7. Omne quod definitum suæ magnitudinis esse habet, id æternum esse non potest.
Mundus definitum magnitudinis suæ esse habet.
Ergo æternus esse non potest.

Per Æ. 8. Omne quod non habet constantem & firmam æqualitatis suæ statum, sed continuæ mutabilitati substat, id æternum esse non potest.
Mundus non habet constantem & firmam æqualitatis suæ statum propter continuam rerum mutabilitatem.
Ergo æternus esse non potest. Quia sola æternitas est æqualis semper sibi in immutabilitate.

Per Min. 9. Omne *minus* Deo æternũ esse non potest.
Mundus est *minor* Deo.
Ergo æternus esse non potest.

Vides igitur, quanta facilitate per octodecim principia nostra universalia, æternitatis Mundi impossibilitas demonstretur. Verùm ut & Lector videat, quomodò amplius hæc eadem propositio per novem subjecta universalia probari possit, exempla supponimus.

Æternitatis Mundi impossibilitas demonstratur per novem subjecta universalia.

Per △ 1. Omnis effectus *Dei* ad extra æternus esse non potest.
Mundus est effectus *Dei* ad extra.
Ergo æternus esse non potest. Quia solus Deus est æternus.

2. Omne quod Mundo continetur, æternum esse non potest. Per ♔
Angelus continetur Mundo, ejusque incola est.
Ergo *Angelus* non est æternus.

3. Quod est pars Mundi, id æternum esse non potest. Per ◎
Cælum est pars Mundi.
Ergo *Cælum* æternum esse non potest.

4. Nulla principia, æterna esse possunt. Per □
Omnia *Elementa* sunt principia Mundi.
Ergo nulla *Elementa* æterna esse possunt.

5. Omnis pars Mundi limitata & sensibilis æterna esse non potest, Per 🚶
Homo est pars Mundi limitata & sensibilis.
Ergo non est æternus.

6. Nullum *sensitivum* æternum esse potest. Per 🐎
Omne animal est *sensitivum*.
Ergo nullum animal æternum esse potest.

7. Nullum *vegetabile* æternum esse potest, cum sit pars Mundi. Per ✤
Omnis arbor est *vegetabilis* & pars Mundi.
Ergo nulla arbor æterna esse potest.

8. Nullum *minerale* seu mixtum tam perfectum, quam imperfectum æternum esse potest. Per ⚒
Omnia metalla sunt *mineralia*.
Ergo æterna esse non possunt, propter innumeras, quas habent, transmutationes.

9. Nullum *accidens* æternum esse potest. Per ⁝⁝⁝
Sed novem prædicamenta sunt *accidentia*, quæ substantiam perficiunt.
Ergo æterna esse non possunt.

Si porrò æternitatis Mundi impossibilitatem per novem prædicamenta, aut per EnneademErotematicam adstruere velis, facies hoc pacto.

1. Omnis *Substantia* Mundo contenta æterna esse non potest, quia est limitata. Per Substantiam.
Omnia Entia sive sint, vivant, sentiant, intelligant, sunt Mundo contenta. Ergo.

2. Quodcunque profluit à subjecto quopiam limitato, aut illud *perficit*, id esse æternum non potest. Per Qualitates.
Omnes *qualitates* sive intrinsecæ sive extrinsecæ profluunt, aut perficiunt subjectum limitatum.
Ergo æternæ esse non possunt.

3. Nullum per *extensionem quantitativam* terminatum æternum esse potest. Per Quantitatem.
Omne corpus per extensionem quantitativam est limitatum. Ergo.

4. Nullum quod *ad aliud* respectũ dicit prædicamentalem, æternum esse potest. Per Relationem.
Omnes *Relationes* prædicamentales tales sunt.
Ergo. Quia correlativa sunt singularium rerum mutuæ affectiones. Quæ æternæ esse non possunt.

5. Omne

Per actionem. 5. Omne quod habet ſuum *terminum*, æternum eſſe non poteſt.
Omnis *actio* habet ſuum *terminum*.
Ergo.

Per paſſionem. 6. Omne quod ab alio *patitur*, æternum eſſe non poteſt.
Omnes *paſſiones* tales ſunt.
Ergo.

Per ubi. 7. Omne *locatum* ſeu loco contentum, æternum eſſe non poteſt.
Omnia *corpora* locata ſunt, ſive loco contenta. Ergo.

Per quando. 8. Omne quod *temporis mutationibus* ſubjacet, æternum eſſe non poteſt.
Omnia quæ in Mundo ſunt *temporis mutationibus* ſubſunt. Ergo.

Per ſitum. 9. Omne quod certam rationem *ſituationis* habet, æternum eſſe non poteſt.
Omnia Mundi corpora, & actiones extrinſecæ, uti ſedere, ſtare, jacere, certam *ſituationis rationem* habent.
Ergo.

Per habitum. Omne quod *vetuſtate conſumitur*, æternum eſſe non poteſt.
Omnis habitus vetuſtate conſumitur. Omnia ſiquidem ſicut veſtimenta veteraſcent.
Ergo æterna eſſe non poſſunt.

Si itaque Mundus foret æternus, foret & infinitus; quod eſt contra fidem; & ſi foret infinitus, omnes partes Mundi pariter eſſent infinitæ; cum omnes partes infiniti ſub ratione infiniti concipiantur, uti ſcholæ docent. Sed hoc quàm abſurdum ſit, quis non videt? Mundus itaque æternus eſſe non poteſt.

Habes hîc Lector Exemplum ſeu Paradigma, quo æternitatis Mundi impoſſibilitas per 18 principia noſtra, & per novem ſubjecta univerſalia 36 ſyllogiſmis comprobatur; ut vel ex hoc exiguo ſpecimine, Artis noſtræ in inveniendis mediis fæcunditatem luculenter intuearis. Quod itaque de una hac quæſtione dictum fuit, de innumeris aliis quibuſcunque dici poteſt.

Quæſtiones de Cœlo.

Quod de Mundo Paradigma dedimus, id pari ratione de Cœlorum natura & proprietate dari poteſt. Conſtat autem Cœlum Expanſo illo æthero & Aſtris, quæ in eo ad leges ab Authore conſtitutas ope intelligentiarum circa Terram circumvolvuntur.

Ex quo deducimus primò Cœlum triplex tantum eſſe, ſublunare, ſiderium, empyreum. Secundò Cœlum minimè ſolidum eſſe, ſed inſtar auræ lenis, quem Ætherem vocant. Tertiò Cœlum & Aſtra corruptioni & alterationi eſſe obnoxia. Quartò Aſtra non diſtingui à materia ſublunari radicaliter. Quintò, Aſtra præter primas & ſecundas qualitates ſpecificis quoque qualitatibus quibus in inferiora agunt, prædita eſſe. Sextò omnia Aſtra Athmoſphæras proprias habere ex liquido & ſolido conſtituta, & quælibet ſuo proprio centro gaudere. Septimò omnia partim propriâ, partim alienâ luce gaudere. Octavò Aſtra omnia quantumvis innumerabilia, ſpecie tamen, qualitatibuſque inter ſe ſpecificis diſtingui. Nonò Aſtra & in inferiora & in ſe invicem influere ad bonum univerſi. Decimò Terram in medio fixam omnium influxibus ſubjectam eſſe. Quæ omnia per Artis noſtræ Combinatoriæ principia, maxima Argumentorum varietate, in noſtra Coſmographia & Aſtronomia Combinatoria Deo dante nos oſtenſuros pollicemur. Natura Cœli.

CAPUT IV.

De natura Elementari, quod eſt quartum ſubjectum univerſale.

Principium, ſeu ſubjectum naturæ elementorum. ELementa ſunt principia componentia omnem corpoream naturam, ſive Cœlum & Aſtra, ſive ſublunarem Mundum ſpectes; omnia ſiquidem ex prima illa chaotica maſſa, in qua involuta jacebant, omnipotentis Dei virtute in diſtinctos rerum ordines entiumque gradus prodierunt; ut proinde gratis Cœlum quintum quoddam elementum fingamus.

Elementorum qualitates. Sunt autem ſecundùm omnium philoſophorum ſententiam quatuor Elementa: Ignis, Aër, Aqua, Terra. Differunt tamen inter ſe, quod ignis ſe habeat per modum principii activi. Aqua per modum principii paſſivi. Reliqua duo, Terra & Aër, per modum reſultantiæ. In Arte noſtra Generali, pro Igne ſumitur omnis calor ſive formalis, ſive virtualis, ſive analogicus quovis modo ſumtus. Pro Aqua omne quod liquidum eſt. Pro Aëre omnis tenuis & ſubtilis ſubſtantia, quæ ad aquæ liquorem ſimilitudinem & analogiam quandam obtinet. Pro Terra, omne ſolidum, durum, molle non liquidum quacunque ratione conſideratur. Agitur autem primò de Elementis in genere, deinde in particulari.

Elementa ſunt principia, quæ ad omnium rerum materialem compoſitionem concurrunt: ſiquidem fieri non poteſt, ut mixto dato, id non ſit conſtitutum ex calido, humido, frigido, ſicco: quemadmodum enim Compoſitio elementorum.

unum elementum sine alio esse non potest, ita nullum mixtum assignari potest, non mutua elementorum conspiratione constitutum. Imprimis verò in Elementis considerari debent: qualitas, motus, figura, locus, proprietas, forma, effectus, immutatio, alteratio, contrarietas, mixtio; qualitates deinde singulis propriæ, & sunt calor, humiditas, frigiditas, siccitas, & quæ ex his primis nascuntur, secundæ. ut sequitur.

Primæ.		*Secundæ.*	
Calor.	Frigus.	Densitas.	Raritas.
Humiditas.	Siccitas.	Durities.	Mollities.
		Grossities.	Subtilitas.
		Ariditas.	Lubricitas.
		Lentor.	Friabilitas.
		Asperitas.	Lenitas.

Porrò Elementorum naturam & proprietatem per Artis nostræ principia hoc pacto demonstrabis.

Per principia Absoluta.

Per B. 1. Omne sine quo corporea natura esse non potest, id est necessariò magnum *bonum*, in natura.
Elementa sunt talia.
Ergo sunt magnum *bonum* in natura.

Per M. 2 Omne quod per omnem corpoream substantiam sese *extendit*, illud est summè magnum.
Elementa sunt talia.
Ergo elementa sunt magna; Quia complicant totam substantiam corpoream. Quæ deinde per inductionem probanda sunt: Sunt enim in Cœlis, Astris, homine, brutis, plantis, Mineralibus.

Per D. 3. Omne sine quo Corporea natura subsistere non potest, est necessariò maximè *durabile*.
Talia sunt Elementa.
Ergo. Quia sine elementis non haberent res corporeæ permanentiam.

Per P. 4. Illud est summæ *potentiæ*, sine quo corporea natura operari non potest.
Elementa sunt talia.
Ergo elementa sunt summæ *potentiæ*.

Per S. 5. Omne illud, quod ad compositionem corporum concurrit, concurrere non potest sine *instinctiva quadam cognitione*: id est appetitu innato & naturali quod semper intelligo in similibus.
Talia sunt Elementa. Quia gravitas Terræ mixta figit ut subsistant; ignis calore præstat, ut conserventur; &c.
Ergo ad compositionem corporum sine *instinctiva cognitione* concurrere non possunt.

6. Omne quod disponit ad optimum finem naturæ, id *appetitum naturalem* habet ad id præstandum. Per Vo.
Elementa sunt talia. Quia naturalem locum ipsis debitum appetunt. Uti lapis fertur deorsum in Terram, ignis sursum. Ergo.

7. Illud summa *virtute* pollet, sine quo nihil corporeum agere potest. Per Vi.
Sine Elementis nihil corporeum agere potest.
Ergo Elementa magna *virtute* pollent.

8. Illud sine quo nihil corporeum existere & operari potest illud summæ *veritatis* rationes habet. Per Ve.
Sine Elementis nihil corporeum existere & operari potest.
Ergo Elementa summæ *veritatis* rationes habent.

9. Illud quod in operibus suis *quietem* invenit, illud ejus est summa *gloria*. Per Gl.
Elementa in mixtis quietem suam inveniunt.
Ergo in mixtis gloriantur.

Per Principia Respectiva.

1. Illa inter se differunt, quorum unum ab altero *separari* potest. Per =
Sed unum Elementum ab altero *separari* potest.
Ergo inter se differunt. Minor probatur per experimenta chymica.

2. Illa quæ *convenientiam* quandam ad invicem habent, illa *concordare* quoque dicuntur. Per ♡
Sed elementum aqueum partim cum aëre, partim cum terra; ignis partim cum aëre, partim cum terra, qualitatibus *conveniunt*: Aqua enim humiditate cum aëre & frigiditate cum terra; ignis caliditate cum aëre & siccitate cum terra convenit.
Ergo *concordant*.

3. Omnia quæ in uno & eodem subjecto simul existere non possunt, sub eodem gradu intensissimo *contraria* sunt. Per •○
Calor ignis & humiditas aquæ, aëris præterea humiditas & siccitas terræ simul esse non possunt. Ergo.

4. Omnia *principiantia* necessariò habent principiata, quæ sunt corpora mixta. Per α
Elementa sunt *principiantia*,
Ergo habent principiata, quæ sunt mixta.

5. Omnia quæ ab extremis æquè participant, *mediantia* sunt. Per ⊙
Inter elementa Aër ab igne calorem, ab aqua humiditatem; Terra ab igne siccitatem, ab aqua humiditatem æquè participant.
Ergo *Media* sunt inter ignem est aquam.

6. Omnia

Per ω 6. Omnia quæ bonum naturæ in omnibus *appetunt*, illa optimi finis rationem habent.

Elementa bonum naturæ in omnibus appetunt, in mixtorum compoſitione.

Ergo.

Per M & Mi. 7. Omnia quæ per *exceſſum* & *defectum* ſe habent ad invicem, *majoritatem* aut *minoritatem* habent.

Elementa talia ſunt.

Ergo. Quia ignis calor excedit calorem aëris, & calor aëris deficit à calore ignis. Item humiditas aquæ excedit humiditatem aëris; & frigiditas Terræ, & ſiccitas ignis ſiccitatem Terræ.

Ergo unum reſpectu alterius majus aut minus eſt.

Per Æ. 8. Ubicunque datur *medium* inter exceſſum & defectum, ibi datur *æqualitas.*

Sed in mixtione Elementari dari poteſt *medium,*

Ergo æqualitas. Quia in nonnullis mixtis poſſunt eſſe tot caloris gradus, ſi ultimum gradum excipias, quot frigiditatis; & tot ſiccitatis, quot humiditatis. Quæ omnia per inductionem temperamentorum oſtendi poſſunt. Et luculenter oſtenditur in argenti vivi mirabili natura.

Si quis verò jam ulterius hæc omnia diſcutere cupiat, is id nullo pænè negotio præſtiterit per Enneadem Erotematicam.

1. Unde ſint Elementa. An ex aliis præviis componantur. Quid propriè ſint Elementa. — Compoſitio elementorum.
2. Quomodo operentur. Quomodo in ſe invicem agant. — Operatio.
3. Cur à natura, & in quem finem conſtituta. — Finis.
4. Quanta & quota ſint; quibus ſingula qualitatibus imbuta. — Quantitas.
5. Qualia ſint Elementa quoad naturam, eſſentiam, proprietates. — Qualitas.
6. Quiſnam proprius ſit elementorum locus & ſitus. — Locus & ſitus.
7. Quando potiſſimum vires ſuas exerant. — Virium communicatio.
8. Quibus modis & rationibus effectus ſuos in omnibus rebus præſtent. — Modus & ratio communicandi ſe.

Quæ omnia denuò per octodecim principia eſſentialia; & novem naturæ ſubjecta, nec non novem prædicamenta deduci poſſunt. Verbi gratiâ.

1. Utrum in Deo & Angelis nonnulla elementorum ratio concipi poſſit, tropicè contra veteres nonnullos. — An Deus componi poſſit.
2. Utrum Cœleſtia omnia, ſtellæ omnes & ſingulæ ex quatuor elementis ſint conſtitutæ. — Cœlum.
3. Utrum ipſa elementa ſimplicia corpora ſint; utrum elementata. — Elementa.
4. Quomodo humanum corpus ex elementis conſtitutum ſit; ubi de temperamentorum diverſitate & varietate. — Homo.
5. Qualem ſingula animalia temperamenti, ex elementorum conſtitutione, rationem habeant. — Animalia.
6. Qualis herbarum plantarumque conſtitutio elementaris. — Plantæ.
7. Qualis Mineralium metallorumque compoſitio. — Mineralia.
8. Quænam ſit forma ſingulorum elementorum, & an detur forma mixti. — Forma elementorum.
9. Quomodo qualitates elementorum in mixto inexiſtant. An formaliter, an virtute; an actu, an potentia; an fractè, an irrefractè? — Qualitates in mixtis.
10. Quomodo in ſe invicem transmutentur elementa.

Verùm cum hæc omnia demonſtrare non ſit hujus loci; ea oportunius Phyſicæ noſtræ Combinatoriæ reſervavimus: in qua, quæcunque ad hanc materiam quovis modo revocari poſſunt, mirifica quadam methodo demonſtrata reperies. Sufficiat interim hic modum tantùm applicationis demonſtraſſe.

CAPUT V.

De Homine, ejusque natura, proprietate, eſſentia, & eſt quintum ſubjectum univerſale.

Subjectum V. naturæ rationalis.

QUemadmodum homo finis rerum omnium, Mundi majoris epitome & compendium, digniſſimumque totius corporeæ creaturæ objectum eſt, itá ampliſſimum quoque de ſe philoſophandi campum in hac Arte aperit; ut proinde non ſine ratione medium inter ſubjecta locum obtinuiſſe videatur, ab omnibus utrimque ſubjectis participans. Conſideratur autem potiſſimum homo, vel Theologicè, vel Metaphiſicè, vel Phyſicè, vel Ethicè, vel Politicè. Theologia in homine conſiderat primò finem in creatione & redemptione elucéſcentem. Secundò habitus ſupernaturales, in quantum videlicet, per fidem, ſpem, charitatem, & cætera Spiritus Sancti chariſmata, Sacramentorumque uſum capax eſt æternæ felicitatis, quæ in æterna Dei viſione conſiſtit, ad quam & conditus eſt. Metaphyſica & Logica hominem

Homo Medium inter ſubjecta & univerſali.

Varia conſideratio hominis I. Theologicè conſideratur.

Logicè conſideratur.

nem considerant in quantum animam habet intellectu & voluntate præditam, sive in quantum est animal rationale immortale, dum per varias operationes intellectus discursusque definit, dividit, distinguit, dijudicat, quæ in Mundo sunt omnia. Physica verò eum, in quantum compositum naturale est ex materia & forma, considerat. Est enim homo subjectum, cui data sunt principia interna & externa tum essendi tum cognoscendi. Interna sunt facultates superiores, intellectus, memoria, voluntas; inferiores, id est, principia subintelligendi, sensus tam interni, quàm externi, & denique subserviendi, cujusmodi sunt appetitus & voluntas; cujus objectum est liber naturæ, cujus lectione per intellectum omnia fiunt. Considerat & physiologia in homine ingenium, ætatem, valetudinem, institutionem, in quantum omnis scientiæ capax est, imò & earundum inventor; ubi de gradibus cognitionis, scientiarumque encyclopedia ingens datur philosophandi materia. Medicus hominem potissimum considerat, in quantum sanabilis est; in cujus finem omnia ei, quæ in quadruplici entium genere continentur, subserviunt.

Physicè consideratus homo.

Quæ constituant hominem?

Physiologicè consideratur.

Medicè consideratur.

Ethicè consideratur.

Politicè consideratur.

Ethica hominem considerat in quantum virtutum capax est per actus morales à voluntate elicitos & rectæ rationi corformes, quibus ad felicitatem pertingat. Politica hominis, tum in publica, tum privata rerum administatione, prudentiam, leges, constitutiones publico salutiferas, sub consideratione Monarchica, Aristocratica, Democratica, Oeconomica, considerat. Quæ omnia suo tempore & loco, Deo adspirante per mirificos Combinatoriæ Artis contextus in nostra Anthropologia Combinata demonstrabuntur. Verùm jam exempla subjungamus, ut applicatio nostrorum principiorum luculentius patefiat.

Diximus Suprà, Hominem vel Theologicè, vel physicè vel Ethicè considerari posse; in quantum per habitus supernaturales capax est felicitatis æternæ; meritò quispiam quærere hoc loco posset, quomodo v. g. homo per habitum supernaturalem fidei, eidem infusum, salutem consequatur; & quomodò id per nostræ Artis principia ostendi possit. Sit itaque.

Exemplum primum Combinatorium.

Per fidem salvari hominem, de fide est, quia sine fide impossibile est, placere Deo; atque id ipsum per octodecim principia nostra hoc pacto demonstramus.

Per B. Ubicunque est habitus supernaturalis infusus divinitus, ibi est ingens *bonum*, quo salvari homo potest.

Fides est *habitus supernaturalis* divinitus homini infusus.

Ergo est ingens *bonum*, quo salvari potest homo.

Ubicunque est *sufficientia* ad vitam æternam consequendam, ibi est *magnam* quid, quo homo salvari potest. Per M.

In fide viva & vera est *sufficientia* &c.

Ergo.

Ubicunque est habitus supernaturalis *permanentiæ*, ibi est spes salutis æternæ. Per D.

In fide *perseverantibus* usque ad finem, est habitus supernaturalis *permanentiæ* saltem in iis qui non desperant.

Ergo iis est spes firma salutis æternæ.

Ubicunque est confidentia in Deum dilectioni Dei & proximi juncta, ibi est *potestas* vitæ æternæ. Per P.

In vera fide talia sunt.

Ergo.

Ubicunque est lumen *intellectus* supernaturale, ibi est *cognitio* deducens ad consecutionem æternæ felicitatis. Per S.

In fide est *lumen intellectus* supernaturale.

Ergo in fide est *cognitio* deducens ad consecutionem æternæ felicitatis.

Ubicunque est *appetitus summi boni*, ejusque fruendi voluntas, ibi est cognitio ad boni summi fruitionem deducens. Per Vo.

In fide viva & vera est talis appetitus.

Ergo.

Ubicunque est *virtus* supernaturalis infusa, ibi est virtus salutifera. Per Vi.

Fides est *virtus* supernaturalis infusa.

Ergo salutifera.

Ubicunque est substantia rerum *sperandarum* & argumentum non apparentium, ibi est summa *veritas* salutifera. Per Ve.

Fides est substantia &c.

Ergo summa veritas salutifera.

Ubicunque est *gloria* fidelium, ibi est spes æternæ gloriæ. Per G.

In fide consistit *gloria* fidelium.

Ergo summa spes æternæ gloriæ.

Per Principia Respectiva.

1. Ubicunque est *unitas* indivisa, ibi *differentia* divisiva esse non potest. Per =

In fide est *unitas* indivisa: Est enim unus Deus, una fides, unum baptisma.

Ergo *differentia* in fide esse non potest.

2. Ubicunque est *unio* fidelium per fidem ibi est *concordantia* per fidem. Per ♡

In Ecclesia est *unio* fidelium per fidem.

Ergo ibi est *concordantia*, extra quam nulla salus.

3. Ubicunque est *dissensio* circa veram fidem, ibi est *contrarietas* omnem salutem excludens. Per •o

Inter

Inter paganos, Hæreticos, Schiſmaticos eſt *diſſenſio* circa veram fidem.
Ergo ibi eſt *contrarietas* omnem ſalutem excludens.

Per α 4. Ubicunque eſt *authoritas* revelantis Dei, qua ad credendnm impellimur, ibi ſunt *principia* fidei.
In ſacris literis nobis proponitur revelantis Dei *authoritas*.
Ergo in iis ſunt *principia* fidei.

Per ☉ 5. Illud, ſine quo homo ſalvari non poteſt, illud quoque neceſſarium eſt medium ad ſalutem conſequendam.
Fides talis eſt.
Ergo.

Per ω 6. Illud, ſine quo Deo placare non poſſumus, id medium eſt ad *finem ultimum* conſequendum, quæ eſt vita æterna.
Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.
Ergo.

Per M 7. Ubicunque eſt varia habitus ſupernaturalis *intenſio*, ibi eſt *Majoritas* & Minoritas.
In fidelibus ſunt varii gradus excellentiæ fidei.
Ergo in iis datur fidei majoritas & minoritas.

Per Æ. 8. Ubicunque datur *æqualitas* fidei & charitatis, ibi eſt æqualitas meritorum.
In Electis, licet non omnibus, eſt talis æqualitas.
Ergo.

Hoc de fide ſalutifera paradigma propoſitum, ſi juxta Enneadem Erotematicam diſcutias, inde denuò ingens emanabit diſceptandi materia.

An in Chriſto fides. V.G. 1. An fides fuerit in Chriſto, an in Angelis, dæmonibus, damnatis, in infidelibus.

Quidditas fidei. 2. Quid propriè fides ſit; in quo conſiſtat; quid mereatur; an infuſa, an acquiſita.

Ratio hominem ſalvandi per fidem. 3. Cur Deus per fidem hominem ſalvare voluerit.

Intenſio fidei. 4. Quanta fides eſſe debeat ad ſalvandum hominem.

Qualitas fidei. 5. Qualis eſſe debat fides ſalutifera; an ſola fides juſtificet, contra Hæreticos; an fides informis conducat ad vitam; an fides ſola charitate formata.

Salus per fidem. 6. Quomodò homo per fidem ſalvetur, quam diſpoſitionem requirat.

Eccleſia quænam vera. 7. Ubi ſit vera fides: utrum in una ſola Romana Catholica Eccleſia, an & in aliis infidelium congregationibus; ubi de primatu Eccleſiæ & Pontificis ampla ſuggeritur materia.

8. Quomodo potiſſimum actus fidei exercendi. Exercitium fidei.
Quibus mediis ad veram fidem pertingere infidelis quiſpiam poſſit. Media.

His poſitis procedamus ad alterum Exemplum.

Exemplum ſecundum Phyſicum.

Quærenti itaque, an Anima, pars compoſiti naturalis in homine, ſit verè ſubſtantia incorporea ſpiritualis? ℞. affirmativè contra Veteres nonnullos & Recentiores, & hoc pacto probamus. Diſcurſus de animæ ſpiritualitate.

Omne illud *bonum*, quo vivimus, movemur, intelligimus, volumus, illud corporeum & materiale eſſe non poteſt. B.
Anima talis eſt.
Ergo corporea eſſe non poteſt. Ergo Anima ſubſtantia ſpiritualis eſt.

Omne illud quod definitivum ubi habet, eſtque *totum* in *toto*; & totum in qualibet parte corporis, illud corporeum eſſe non poteſt. M.
Anima talis eſt.
Ergo.

Omne quod ſeparatum à corpore *æviternæ durationis* ſtatum habet, id eſt, compoſito diſſoluto remanet per ſe exiſtens, illud corporeum eſſe non poteſt. D.
Anima talis eſt. Ergo.

Omne id quod *potentiam* habet ad omnes humanas operationes ſeſe extendendi, corporeum eſſe non poteſt. P.
Anima talis eſt.
Ergo.

Omne quod naturali *facultate* ſua *intellectiva*, ab omni materia abſtracta entia indiviſibiliter attingit, id corporeum eſſe non poteſt. S.
Anima talis eſt.
Ergo.

Omne quod perfectæ liberæque *voluntatis arbitrio* gaudet, id corporeum eſſe non poteſt. Vo.
Anima talis eſt.
Ergo.

Illa *vis*, quæ intelligendo omnia fit, & quæ omnia movens ipſa non movetur, corporea eſſe non poteſt. Vi.
Talis eſt *vis* Animæ.
Ergo.

Omne quod *veritatem* rerum definiendo, dividendo, diſtinguendo, indiviſibili mentis facultate ſcrutatur, id corporeum eſſe non poteſt. Ve.
Anima talis eſt. Ergo.

Omne quod pro *gloria* ſua & fine ultimo bonum ſummum appetit, illud corporeum eſſe non poteſt. G.
Anima talis eſt. Ergo.

Omnis

= Omnis anima quæ post separationem, subsistere non potest, ea quoque spiritualis esse non potest.
Sed tales sunt animæ brutorum. Ergo. Quia educuntur ex potentia materiæ: quod non fit in anima rationali, quæ à Deo creata corpori infunditur; ergo sola anima rationalis spiritualis substantiæ est.

♡ Ubicunque est *convenientia* in uno aliquo naturæ gradu, ibi est *concordantia*.
Sed omnes animæ junctæ corporibus, sive in sensitivo & vegetabili naturæ gradu *conveniunt*.
Ergo ibi est *concordantia*.

●○ Illud *contrarietati* subjacet, quod contrariis affectibus & passionibus agitatur.
Anima corpori juncta talis est.
Ergo.

α Illud est formale omnium operationum *principium*, quo omnes actiones tam intrinsecæ quàm extrinsecæ in aliquo subjecto causantur.
Anima omnes in homine sive intrinsecas sive extrinsecas actiones causat.
Ergo Anima est *principium* omnium operationum.

⊙ Illud est *medium*, quod inter spiritualis & corporeæ naturæ confinia principem locum habet.
Anima juncta corpori talis est. Ergo.

ω Illud est *finis*, propter quod omnia condita sunt.
Propter principalem hominis partem, videlicet Animam omnia condita sunt.
Ergo Anima rationalis est *finis* omnium.

M Ubicunque est perfectio *major*, ibi *majoritas* resultare necesse est.
Sed Anima rationalis *perfectior* est animâ sensitiâ, hæc vegetabili.
Ergo & *majoritatem* inter animas resultare necesse est.

Æ. Ubicunque est essentia & proprietas eadem, ibi est *æqualitas*.
Sed omnes animæ rationales eandem essentiam & proprietates habent.
Ergo inter animas rationales datur æqualitas quoad essentiam.

COROLLARIA.

Sententiarum contrariarum de anima reprobatio.

1. Hinc sequitur, hallucinari omnes eos, qui animæ essentiam definiêrunt per motum aut quietem, & Platonem secuti, αὐτοκίνητον se ipsa mobilem dixerunt. Exsibilandi quoque Democritus & Leucippus, qui animam igneæ naturæ esse, & ex igneis atomis conflatam asseverârunt; Si enim igneum corpus est, quomodò spiritualis substantia? Si αὐτοκίνητος sive seipsam movens, minimè distinguetur à brutis, cùm spiritus vitales & animales in utroque sint. Secundò Anima per syncopem vacuato spiritu interiret; Tertiò sequeretur animam nutriri, crescere. Est ergo Anima in corpore principium motus, non mota, uti ex serie moventium & mobilium patet.

2. Perperàm quoque philosophati sunt, qui ad cognitionem & perceptionem rerumque sensum respexerunt, cum arbitrarentur, simile non nisi à simili cognosci & percipi, animam ex iisdem quibus res, quas sensit & cognoscit, principiis constare, arbitrati sunt. Si ergo anima ideo est, quia ex omnibus suum sibi cognatum & simile percipit; Ergo ex quatuor elementis conflatur; quod absurdum, quis non videt?

3. Errarunt pariter omnes, qui cum considerarent, animam per totum diffundi corpus, illam minutissimum quoddam corpus, quod subitò se ab una parte in aliam promovere posset, dixerunt.

4. Erravit Galenus, qui animam κρᾶσιν corporis asserit, sive ex quatuor elementorum contemperatione conflatam, quem plerique hujus temporis Athei sequuntur. Hinc enim sequeretur primò, animam rationalem à brutorum forma non distingui. Secundò plures esse in composito formas substantiales. Tertiò esse accidens, quod adesse & abesse possit. Quartò animam pro ætate crescere, pro loci victusque ratione mutato temperamento mutari; quæ omnia absurda sunt.

Quæ quidem omnia per Erotematicam Enneadem fusius & distinctius deduci possunt, non in genere tantùm, sed in particulari de toto homine, in quantum ex materiali & spirituali constat; Quare hic tantum generalia quædam ad applicationis rationem ostendendam, tradidisse sufficiat. Quæ omnia per Enneadem Erotematicam, ut dixi, deduci fusissimè possunt.

CAPUT VI.

De Sensitiva Natura, quæ Sextum Subjectum in Arte nostra constituit.

Subjectum VI. Naturæ sensitivæ.

SUbjectum sextum est Natura Sensitiva; & definitur Sensitiva Natura omne id, quod vivit & sentit, & loco movetur, & sic comprehendit lato modo omne animal irrationale, sive brutum.

Dividitur autem sensitiva natura in quatuor genera; quorum unumquodque perfectum in suo genere; quorum prius Quadrupedia; alterum Volatilia; tertium Aquatilia; quartum Insecta comprehendit. His nonnulla adjiciunt Zoophyta, sive plantanimalia.

Est autem animal quadrupes omne id, quod quaternis pedibus graditur, sensu & vitâ præditum, & in suo genere perfectum est, quia non ex utri, sed semine similis sibi natum sanguine pollet, & corpore integro, membrisque omnibus ad naturæ munia obeunda necessariis instruitur, & viviparum est; quorum quidem variæ sunt differentiæ, si habitum corporis, sive aliam & aliam membrorum constitutionem spectes.

Et primò quidem si pedes spectes.

Pedes.

Alia enim pedem solidum habent; ut Equus, Asinus, Elephas.

Alia sunt bisulca, id est, quæ ungulam fissam habent; ut bos, cervus, caper.

Alia quæ multifidos pedes habent, & in plures partes dissectos, ut ursus, canis, simia, vulpes, felis, & innumera alia.

Si capitis formam spectes.

Caput.

Sunt alia sine cornibus, sicuti omnia, quæ solidâ ungulâ pollent; Equus, asinus, Elephas.

Alia binis cornibus instructa; ut Bos, cervus, caper, & omnia quæ bifidâ ungulâ gaudent.

Alia quaternis cornibus, uti nonnulli Arietes, alia unico cornu gaudent; ut Rhinoceros, & nonnulla Indiæ animalia, quorum cornua sunt vel curua, retorta, repanda, recta, tortuosa.

Si operationes spectes.

Actiones.

Sunt alia ruminantia, alia non ruminantia. Ruminantia sunt illa omnia, quæ cornibus instruuntur, & illa pariter dentibus carent in superiori parte rictus.

Si fœtus spectes.

Sunt alia multorum fœtuum; uti canes, feles; alia pauciorum, ut Equus, Elephas, & innumera alia. Fœtus.

Si humores spectes.

Sunt alia, quæ bile abundant; ut canis, leo; alia sanguine, ut Equus, bos; alia phlegmate, uti ovillum genus; alia atrâ bile, uti asinus. Humores.

Si cutim spectes.

Omnia pilis vestita sunt, præter Rhinocerotem & huic similia, Elephantumque, qui non nisi rarissimis pilis instruitur. Cutis.

Si colores.

Alia sunt nigri; alia albi; alia fusci, rubri, flavi; alia mixti; alia variegati & in varias maculas distincti coloris. Color.

Si denique inclinationes spectes, tot sunt differentiæ, quot species.

Secunda animalium divisio Volucres continet. Sunt autem aves animalia perfecta in suo genere; binis pedibus multifidis, alis quoque pennis plumisque instructa, quibus volando se promovent, si manucodiatas excipias, quæ eò quod pedibus perperam carere dicantur, Apodes vocantur. Quorum omnium corpora sicuti & quadrupedum, ex iisdem humoribus quatuor, horumque legitima commixtione, ac partibus quoque similaribus & dissimilaribus constant; membra quoque vitalia iis eadem sunt, quæ in quadrupedibus, exceptis renibus & vesica. Volucrum divisio.

Differentia Volucrum primò consideratur ratione partus; Sunt enim omnes oviparæ; ovum verò seclusum incubantium volucrum calore excluditur in animal volatile juxta speciem suam. Partus.

Secundò ratione victus; Sunt aliæ volucres carnivoræ, uti omnia accipitrum, corvorum, milvorumque genera, & hæ omnes, quibus natura dedit ungues fortes ad rapinam exercendam aptos. Aliæ vermiculis insectisque vivunt; aliæ muscis, coeterisque insectis; Aliæ herbis; aliæ frugibus, aliæ seminibus, baccis, uvis, ficubus, coeterisque frugibus. Victus.

Volatus. Tertiò. Ratione volatus: ſunt aliæ alti volatus; aliæ mediocris; aliæ perpetuò terræ vicinis locis affixæ hærent.

Situs. Quartò. Ratione ſitus: ſunt aliæ quæ montibus, quæ planis, quæ ſylvis, quæ deſertis & ſolitudinibus; aliæ quæ aëre, aliæ quæ aquis gaudeant. Si tempus. Sunt aliæ nocturnæ, aliæ diurnæ. Medium quid inter animalia quadrupedia & volucres veſpertilio eſt.

Tempus.

Color. Quintò. Ratione coloris: Sunt aliæ nigri, albi, viridis, flavi, unius coloris; aliæ binorum miſtione colorum ornantur; aliæ innumeris coloribus veſtiuntur, ut pavones, Upupa, pſittacus.

Caput. Sextò. Ratione capitis: Sunt aliæ criſtatæ, ut Alauda & upupa; aliæ ſine criſtis.

Molis corporis. Septimò. Ratione molis, quarum tot ſunt differentiæ quot ſpecies.

Tertia diviſio eſt Aquatilium.

Diviſio Aquatilium. Eſt autem animal aquaticum perfectum in ſuo genere, quod ſenſu & vita præditum eſt, & in aqueo elemento degit, cujus naturam & temperamentum obtinet.

Perfecta. Suntque vel perfecta, vel imperfecta. Perfecta ſunt omnia illa, quæ ſanguine pollent, & branchiis ſquamiſque integuntur, teſtis cruſtiſque carent. Quorum maxima eſt differentia.

Partus. Si enim primò conſiderentur piſces ratione partus; ſunt alii vivipari, ut ceti, balenæ, phocæ; Alii Ovipari, ut reliquæ piſcium ſpecies.

Amphibia. Alii perpetuò ſub aquis degunt; alii amphibii partim terra partim aquis vivunt; uti Hippopotamus, Lutra, Phoca, Rana, Crocodilus &c. & quaternis inter aquatica pedibus conſtant, ſpirant, dormiunt, aliaſque operationes habent ſimiles quadrupedibus.

Cutis. Alii ſunt ſquamati; alii glabri ſine ſquamis.

Sunt & alii ſanguinei, uti omnia perfecta, & propriè dicuntur piſces: Alii exangues, uti omnia quæ exanguia vocant phyſici.

Aquatilia alia ſunt cruſtacea ſeu teſtacea, uti omnia conchylia, cruſtacea, teſtacea, oſtrea. Alia ſine cruſta aut teſta, uti anguillæ, polypi, ſepiæ cæteraque exanguia.

Pleraque ſine pedibus, uti omnes piſces, nonnulla multis pedibus inſtructa; ut cancri, polypi, teſtudines, & ſunt medium quid inter piſces & exanguia.

Sunt & iſchtyophyta medium quid inter plantas & aquatica animalia, uti ſpongiæ, & cætera.

Quarta diviſio inſectorum in ſuas ſpecies.

Imperfectiora animalia, quæ utplurimum inſecta dicuntur nomine generali, ſunt illa, quæ vita & ſenſu pollent, ſanguine carent, Inſecta. & corpus inciſuris diſtinctum habent; tribuſque potiſſimum partibus conſtant, capite, ventre & intermedio aliquo ſpacio; quorum omnium infinitæ ſunt ſpecies; Nullum enim elementum eſt, excepto igne, quod non ſibi particulare aliquod generet; omnia tamen ex putri; vel à calore cœleſti in ambientem aërem diffuſo; vel ex materia mixti, uti cadaveribus; vel à calore mixti putreſcentis originem ſuam trahunt, quæ quidem non vi propria ſed calore inſito, qui materiam diſponit formamque ſubſtantialem producat, concurrente cœleſtis caloris influxu, generantur.

In Inſectorum diviſione primò conſideranda ſunt illa, quæ pennis carent, & continent omnia illa animalia, quæ partim ex putri, partim coitu generantur, uti mures, ranæ, bufones, & caudatæ lacertæ, quæ quadrupedum more quaternis conſtant pedibus; deinde omne ſerpentum vermiumque genus; quæ utplurimum ex terreſtribus mixtis originem habent.

Alia ſunt alis, vel binis, vel quaternis veſtita; quorum aliqua alas habent vaginulâ incluſas, uti ſcarabæi bruchi &c. alia ſine vagina liberas, ut omnia muſcarum genera; Altera differentia eſt, vel à mutatione Origo inſectorum. formæ: ſunt enim, quæ ex vermibus ſeu erucis in volatilia inſecta evadunt, ut bombyx, papilio & ſimilia: Iterum alia à membrorum conſtitutione; ſunt enim alia cruſtata, alia mollia, alia ſine pedibus, alia quaternis ſeniſque pedibus, alia mille pedibus, ut nonnullæ erucæ; alia glabra, alia aſpera: quædam ventricoſa, quædam in longum producto corpore; omnia partim vel reptatione, vel gradu, ſaltuque vel volatu ſe de loco in locum promovent. Atque hæc eſt Epitome; qua totius ſenſitivæ naturæ rationem paucis exponendam duximus.

Si quis verò ſingulorum rationes, proprietates, & admirandas virtutes uberius tractare deſideret, is adeat Zodiologiam noſtram Combinatam ſive XII. Lib. Mundi Subterranei, & inveniet forſan ibidem à nemine huc uſque tradita, utpote novis experimentis comperta. His itaque præmiſſis, ut de omnibus & ſingulis ingentem combinandi materiam acquiras, ſingula ordine per Enneadem Erotematicam examinanda ſunt; deinde omnia ritè juxta octodecim Artis noſtræ principia deduces,

duces, & te ingentem philosophandi campum reperturum nihil dubites. Sed ne exemplo hoc subjectum præteriisse videamur, illud subjungimus.

Sunt non pauci, qui, dum animalia nonnulla mira quadam industria, in nidis construendis, in alendis pullis, in quærendo sibi victum, in affectatione loquelæ, similibusque ingenii dotibus instructa vident; hinc animalia ratione & judicio quodam pollere dicunt; quibus quidem ex nostris principiis facilè contrariam sententiam suadebis, hoc pacto.

Quæritur itaque. An animalia nonnulla ratione prædita sint? Respondetur negativè, Et sic probatur.

Nulla forma substantialis educta è potentia materiæ, ratione uti potest.
Omne animal, excepto homine, habet formam substantialem eductam è potentia materiæ.
Ergo nullum animal irrationale ratione uti potest. Si enim ratione uteretur, illa necessariò formam haberet spiritualem, corruptoque animalis composito, separatim per se subsisteret, & consequenter immortalis foret; quæ omnia absurda sunt.

Nulla forma circumscriptibilis loco, & commensurabilis partibus materialis compositi, ratione uti potest.
Omne brutum tale est.
Ergo.
Nulla forma educta è potentia materiæ, atque quæ unà cum corporis corruptione interit, ratione uti potest,
Sed omne brutum tale est.
Ergo.

Haud secus in aliis procedes, quod facillimè fiet, si argumenta, quæ paullò ante de hominis anima separatum essendi statum obtinente diximus, inverteris. Est itaque in brutis, dum ingeniosè operari videntur, sola instinctiva quædam cognitio, sive instinctus ipse à forma animalis emanans, eidem à natura inditus, tum ad rectè operandum, tum ad conservationem speciei, quæ sine hujusmodi naturæ sensitivæ dotibus conservari non posset. Instinctus in animalibus ratio.

CAPUT VII.

De Natura Vegetativa; quod est Subjectum ex universalibus Septimum.

Subjectum VII. Vegetabilium.

VEgetabile Corpus est perfectè mixtum, anima & vita præditum; duabusque partibus constat; corpore externo & sensibili, & anima quæ vitam subministrat; corpus animatum sensus expers; cujusmodi sunt plantæ, quæ virtute animæ è terra nascuntur, vivunt, virent, aluntur, & augentur, quæ naturæ vegetabilis operationes tales sunt, ut sine anima eæ concipi non possint; generantur autem, uti omnia alia, ita & hæc ex calido & humido, calore in humido tanquam subjecto hærente; quod naturæ suæ maximè convenit, attrahit, alterat, atque in sui substantiam vertit; Calidi verò & humidi defectu corruptio plantarum sequitur, quæ fit vel nimio calore, frigore, siccitate, humiditate tum extrinsecè tum intrinsecè advenientes; Suntque vegetabilis naturæ innumeræ species; vel enim primò aliæ sub arborea, alia sub fruticum, alia sub herbacea substantia considerantur, quarum differentiæ sumuntur vel à loco; sunt enim aliæ terrestres, aliæ aquaticæ. Terrestres iterum dividuntur vel in urbanas & domesticas, quæ hortis aluntur; vel Agrestes, quæ in montibus, vallibus, planitiebus, cryptis, desertis, arenosis & saxosis locis sedem suam fixerunt.

Species vegetabilium innumeræ.

Divisio vegetabilium.

Aquaticæ verò sunt, quarum in aquis, puteis, fontibus, vel in mari minoribusve aquis, vel in mollioribus ripis, aut in stagnanti paludosoque humo, ortus est. Pro diversitate itaque locorum, aliæ iterum vel locis calidis, aliæ frigidis, quædam apricis aut umbrosis locis gaudent; quæ quidem eo fine à natura diversis locis destinatæ sunt, ut unaquæque reperiret in loco sibi proprio alimentum naturæ suæ ex appropriato solo proportionatum. Si tempus consideres, sunt aliæ vernales, quædam æstivæ, nonnullæ autumnales, aliæ denique hybernales, quæ quidem dictis temporibus proveniunt, ob diversam seminis constitutionem naturalem, dum aliæ majori, minori aliæ caloris tum nativi, tum extrinseci cœlestis vigore imbuuntur. Dividuntur quoque in fœcundas & steriles; aliæ in salutiferas & venenosas; in esui aptas, & ineptas; in sympathicas & antipathicas. Figura quoque differre cernuntur; sunt ramosarum arborum innumeræ species, uti & herbarum; quarum aliæ stolonibus instructæ, aliæ serpentes per terram sine ullo thyrsi subsidio. Si porrò folia, flores, fructus singularum ad singulas combinabimus, major iterum inde earum varietas,

rietas, quàm hoc loco eam deſcribere queamus, emerget. Quare qui hæc omnia curioſiùs deſcripta deſiderat, is Phytologiam noſtram Combinatam ſuo tempore, in qua mira quadam arte, omnium & ſingularum differentias, naturas & proprietates, atque in medicina uſum, deſcriptas reperiet, adeat.

Hæc verò omnia juxta octodecim principia univerſalia & novem quæſtionum circumſtantias examinabuntur, modo in præcedentibus indigitato. V.G. Quæſituro an plantæ animatæ ſint, id eſt, vera & reali anima conſtent. Reſpondetur affirmativè; & hoc pacto probabis.

Per {
B. Omne *ens* corporeum & *perfectum* mixtum, quod *vivit, creſcit, alitur*, neceſſariò *animatum* eſt.
M. Omne illud ens corporeum, quod ſecundùm naturæ ſuæ gradum ſeſe *extendit* ad vitales operationes, *animatum* eſt.
D. Omne id, in quo *durant* opera corporum animatorum, id *anima* carere nequit.
P. Omne quod *potentiam* habet ad effectus vitalium operationum, illud neceſſariò *animatum* eſt.
S. Omne quod *inſtinctiva cognitione* naturæ ſuæ conveniente attrahit, alterat, alitumque in ſui ſubſtantiam convertit, id *animam* habere neceſſe eſt. Intelligo vero hic inſtinctivam cognitionem, pro appetitu naturali cujuſcunque rei; quam Lullus impropriè inſtinctivam cognitionem vocat; uti lapidis ad centrum.
Vo. Omne quod *appetitum* innatum habet ad certum locum & ſitum, in quo commodius vivit & alitur, id neceſſariò *animatum* eſt.
Vi. Omne quod *virtute* alitiva cœtera animalia nutrire poteſt, id *animam* habere neceſſe eſt; Siquidem nil aliud nutrire poteſt, niſi id primò vitam habuerit.
Gl. Omne quod *gloriatur* in vitalibus operationibus creſcendoque folia, fructus, flores producit, id *animam* habere neceſſe eſt.
} Plantæ tales ſunt. } Ergo.

Per {
= Omnia quæ ſpecificis formis *vitalibus* differunt, animata ſunt.
♡ Omnia quæ *concordant* in eodem *vegetabili* naturæ gradu, animata ſunt.
●○ Omnia corpora vegetativa, quæ *contrariis* qualitatibus, lite & amicitia, ſympathia & antipathia agitantur, *animata* ſunt.
α Omnia quæ *principia* ſunt & cauſæ vegetabilis facultatis, *animata* ſunt.
⊙ Omnia quæ *medium* naturæ locum tenent, inter naturam ſenſitivam & corpora ſilentia, *animata* ſunt.
ω Omnia quæ animalium per ſui nutrimentum conſervationem pro *fine* habent, *animata* ſunt.
M Ubicunque datur majoritas, æqualitas, & minoritas *vitalium* effectuum, ibi *animam* intervenire neceſſe eſt.
} Plantæ tales ſunt. } Ergo.

Quæſituro verò, utrum Plantæ ſint B. M. D. P. S. Vo. Ve. Vi. G. Reſpondebis affirmativè, & probabis, hoc pacto.

B. Omne quod *vivit*, creſcit, alitur, *bonum* eſt.
M. Omne quod ſecundùm naturæ ſuæ exigentiam creſcendo *perficitur*, *magnum* eſt.
D. Omne quod in virtutis ſuæ perfectione *perſiſtit*, *durabile* eſt.
P. Omne quod mirificis virtutibus pollet, *potens* eſt.
S. Omne quod inclinatione naturali congruum ſibi *alimentum* attrahit, *inſtinctu cognoſcitivo* præditum eſt.
Vo. Omne quod certis locis *gaudet*, alia odit, tanquam naturæ contraria, id appetitivo ſuo modo amore & odio pollet.
Vi. Omne quod *proprietatibus* mirificis inſtruitur, *virtuoſum* eſt.
G. Omne quod florum fructuumque amænitate *afficit*, *glorioſum* eſt.
} Plantæ tales ſunt. } Ergo.

Per

Per Enneadem verò Erotematicam ita assumptum thema urgebis.

1. An planta potius agat specificis an elementaribus qualitatibus?

Specificæ qualitates. 2. Quid sint specificæ qualitates in plantis, quid operentur?

3. Cur à natura constitutæ sint? & cur tanto rerum apparatu instructæ? Cur nonnullæ facilè corrumpantur?

Duratio plantarum. 4. Quanto tempore durent, & quare aliæ aliis brevioris vitæ? Quomodo arbores distinguantur à suffruticibus & herbis?

Alimentum. 5. Quomodo alantur, & ex quibus? quomodo & qualia alimenta attrahant.

Ortus. 6. Unde sint, an spontaneo, an seminali ortu proveniant?

7. Quales sint, quibus virtutibus instructæ, & ad quid conferant in usu humano; ubi de medicis facultatibus.

8. Ubi singulæ crescant, quæ loca potissimum ament, & quare? Loca.

9. Quando vel quo tempore singulæ proveniant: cur aliæ verno, aliæ æstivo, aliæ autumnali, aliæ hyberno tempore oriantur. Tempus proventus.

Quibus facultatibus instructæ operentur, qua corporis constitutione; ubi de foliis, floribus, fructibus, seminibus, eorumque virtute. Facultates.

Habes hic paucis expositum, quidquid de universa plantarum natura proponi potest.

CAPUT VIII.

De Corporibus silentibus sive mixtis perfectis inanimatis seu Fossilibus, quod Octavum subjectum est Artis nostræ.

Subjectum VIII. Mineralium. OMne Fossile sive Minerale est Mixtum perfectum omnis animæ & vitæ expers; unde & silentia & inanimata corpora dicuntur.

Divisio Mineralium. Dividiturque in tres potissimum partes; id est, in Metalla, Lapides, succos terrestresque substantias, uti & ea, quæ coagulata quidem non in duram tamen fixamque substantiam, quæ facilè in pulveres rediguntur; ut sunt Terra Lemnia, Cimolia Melitensis, Terra sigillata, bolus armenia, creta, & omnia illa corpora, quæ coloribus conficiendis inserviunt, de quibus vide VII. librum Mundi subterranei.

Metalla. Metallorum sunt species, aurum, argentum, cuprum, stannum, ferrum, plumbum; Mercurius verò & sulphur omnium dictorum sunt materia, ex qua coagulantur.

Lapides. Lapides distinguuntur in tres Classes, ut in nobiles & pretiosos; cujusmodi sunt Adamas, Beryllus, Cryſtallus, Chalcedonius, Chrysoprasus, Carbunculus & similia; Alii medii ordinis sunt, ut omnia marmorum genera. Tertiò. Lapides communes, quibus in fabricandis ædibus utimur; quibus alii addunt omnes illos lapides magnæ virtutis, qui in animantium corporibus inveniuntur; ut sunt lapis bufonius, Ophites, Lyncurius.

Metallica mixta. Tertii ordinis Mineralia sunt iterum triplicia; Priora solidam quidem substantiam habent, non tamen ita lapideam, quin facilè in pulveres redigi queat: Cujusmodi sunt Arsenicum, Auripigmentum, Sandaraca, Ochra, Antimonium, Calx, Grypsum, Archilla, Terra sigillata, Lemnia, Cimolia similiaque, quæ ex succis fluoribusque metallicis constituuntur. Secundum locum occupant succi minerales, qui duplicis generis sunt; vel concreti, vel liquidi. Concreti succi sunt omnia salium genera; cujusmodi sunt sal naturale sive fossile & artificiale hominum labore decoctum; Sal Ammoniacum, Sal gemmæ, Sal nitrum, Vitrolum, Salpetræ, Alumen, Manna &c. Concretos succos consequuntur ii succi, seu potiùs liquores, quorum alii ex Terræ visceribus profluunt, quales sunt Bitumen, Naphta, Petroleum, Pyssaphaltum; alii tum ex mari, tum ex arboribus emanant, uti succinum, Balsamum, pix, Resina, & omnia reliqua gummacea corpora. Succi. Salia.

Est igitur Minerale corpus perfectè mixtum, quod solida & constanti Elementorum concretione constat, & ideò diutius durat; Omnia autem elementa in mixto esse corpore inde constat, quia mixta corpora feruntur ad locum terræ, indeque plurimum in iis terræ sit oportet; si verò terra inest, ergo & aqua, sine qua terra consistere non potest: Uti nec aqua sine igne, nec aqua & ignis sine aëre. Cum verò omnis generatio consistat in humido & calido, posito uno contrariorum, & alterum poni necesse est; Est itaque Metallum corpus perfectè mixtum & inanimatum, ex sulphure & argento vivo mixtis & temperatis in terræ venis natum. Metallicum corpus quale. Sulphur est Materia metallica ex subtiliori exhalatione pinguis & unctuosa venis terræ conclusa constans. Sulphur. Argentum vivum verò materia metallica constat ex vapore subtiliori aqueo, qui terra conglutinatur, & per calorem sulphuris excoquitur; quæ uti in omnibus metallicis Argentum vivum.

 venis

venis reperiuntur, ita pro temperamenti & mutuæ permiſtionis varietate metalla naſcuntur; quorum cauſa efficiens eſt calor & frigus, locus eſt terræ gremium; Forma eſt vis unicuique propria & peculiaris; quæ & in pura & impura dividuntur. Pura ſunt, quæ perfecta & exquiſita decoctione coaluerunt, ut aurum & argentum. Impura ſunt, quæ impuriori ſulphure & Mercurio conſtant, de quibus omnibus in noſtro Mundo ſubterraneo uberior datur diſputandi campus. Sed quomodò hæc omnia exquiri & inquiri poſſint, videamus; ac primò per Enneadem Erotematicam, tum ad Mineralium omnium in genere, tum in ſpecie, tum quoad individua; uniuſcujuſque naturam demonſtrandam procedemus, de metallis initium facturi.

Virtutes.

1. An metalla vegetativâ facultate polleant; cum metalla ſucceſſu temporis intra terram creſcere de novo videamus; Creſcere autem vegetabilium eſt proprium.
2. Quid ſint metalla propriè, & unde originem ſuam ſortiantur immediatè; An ex ſulphure & Mercurio omnia, & quomodo generentur.
3. Cur, & in quem finem natura ea conſtituerit, & quid ſingula utilitatis adferant.
4. Quanto ſit unum nobilius altero, & utrum unum in alterum perfectè tranſmutari poſſit.
5. Quomodo in terræ viſceribus generentur, & quænam ad eorum generationem concurrant.
6. Qualia ſint, cujus virtutis ſingula, & quiſnam eorum in humanis rebus uſus, & quænam medicæ eorum facultates.
7. Ubi, vel quibuſnam in locis maximè proveniant.
8. Quando, vel quo tempore maximè indagandæ metallicæ venæ.
9. Quibus modis, & inſtrumentis eruenda, depuranda, decoquenda, & in uſum humanum convertenda ſint; ubi de Chimicis operationibus magna philoſophandi materia in mundo ſubterraneo.

Hiſce propoſitis, procedes ad eorum naturam & proprietatem explicandam per octodecim principia Artis noſtræ hoc pacto.

Quæſituro cuipiam, An metalla vitâ, eò quod creſcere videantur, conſtent. Reſp. negativè; idque oſtendes per octodecim principia univerſalia.

B. Nullum corpus perfectè mixtum *inanimatum*, *vitâ* pollere poteſt.
Metallum eſt perfectè mixtum *inanimatum*.
Ergo &c. Quia non vivit, nec nutritur, nec creſcit propriè & vitaliter, ſed per appoſitionem quandam corpuſculorum augetur.

M. Nullum ens corporeum, cujus eſſentia non ſeſe *extendit* ad vitales operationes, vivere poteſt.
Tale Ens eſt Minerale & Metalum.
Ergo.
Quia nec vivit, nec nutritur, nec per generationem propagatur.

D. Illud corpus, quod quaſi perpetuam *durationis* ſuæ *permanentiam* ſortitur, *vivere* non poteſt. Quia omnis vita ſenſitiva & vegetabilis ad breve tempus durat.
Sed metalla maximam & quaſi *perennem permanentiam* habent.
Ergo.
Quod idem de reliquis mineralibus dicendum eſt.

P. Omne illud, quod poteſt tantùm eſſe, id eſt, quod in gradu naturæ tantùm eſſendi & exiſtendi *poteſtatem* habet, id *vivere* non poteſt.
Talia ſunt metalla.
Ergo.

S. & Vo. Omne quod naturalem ad centrum uti quietem, *appetitum* habet, id numero *animatorum* annumerari non poteſt.
Metalla & cœtera mineralia naturalem ad centrum appetitum habent: unde impulſa in altum, centrum ſuum, locumque, unde eruta, repetunt.
Ergo. Vegetabilia enim etiamſi appetitum ad centrum habent, ſurſum tamen quoque naturaliter augmentationis ſuæ vi feruntur.

Vi. Nullum non *vegetabili virtute* præditum *vivere* poteſt.
Talia ſunt Mineralia.
Ergo.

G. Omne quod eſſendi naturæ gradu tantùm *gloriatur*, id *vitam* formaliter non habet.
Talia ſunt mineralia & metallica corpora.
Ergo.

Quærenti vero.

1. An metalla iter ſe differant eſſentialiter. ℞. affirmativè hoc pacto.

= Quæcunque *diſtinguuntur* ab altero, vel ſolo naturæ gradu, vel aliis proprietatibus ſpecificis & eſſentialibus, illa differre inter ſe neceſſe eſt.
Metalla *diſtinguuntur* eſſentialiter tum inter ſe, tum à vegetabilibus, ſpecificis proprietatibus.
Ergo.

2. An

2. An metalla inter ſe concordent? ℞. affirmativè, ſic.

♡ Quæcunque in eodem naturæ gradu *conveniunt*, illa in eodem concordare neceſſe eſt.

Mineralia conveniunt in eodem naturæ gradu, videlicet in gradu eſſendi & exiſtendi tantùm.

Ergo *concordare* in eodem naturæ gradu, neceſſe eſt.

3. An metalla ſibi invicem contrarientur? ℞. affir. ſic.

○● Quæcunque ex pura & ſolida elementorum contemperatione & perfecta commiſtione conſtant; ea neceſſariò *contrariis* qualitatibus imbui neceſſe eſt.

Mineralia ſunt talia. Ergo.

4. An metalla dici poſſint cauſæ & principia ſuarum operationum. ℞. affir.

α Omnes ſubſtantiæ *principia* ſunt & cauſæ ſuarum operationum.

Mineralia ſunt *Subſtantiæ*.

Ergo principia & cauſæ ſuarum operationum.

5. An metalla medium ſint inter viventia & accidentia? ℞. affir.

⊙ Omne quod inter viventia & accidentia interponitur, *medium* eſt inter extrema quæ vivunt & ſunt; & inter ea, quæ ſuum eſſe habent in alio.

Mineralia inter viventia & accidentia interponuntur.

Ergo media ſunt. &c.

6. An metalla finem aliquem reſpiciant? ℞. affir.

ω Omne quod humanum emolumentum potiſſimum reſpicit, illud ipſum pro *fine* habet.

Talia ſunt Mineralia.

Ergo.

7. An unum metallum altero nobilius & majus ſit; & contra. ℞. affir.

M Ubicunque datur comparatio præſtantioris ad minus præſtans, ibi datur *Majoritas* & *Minoritas*.

Inter metalla & lapides ſuccoſque datur comparatio ad *majus* & *minus* præſtans.

Ergo.

Æ Ubicunque fit concordantia in eodem naturæ gradu, ibi datur æqualitas.

Hoc fit in mineralibus.

Ergo.

Pari pacto reliqua omnia juxta Enneadem Erotematicam propoſita dubia per octodecim principiorum applicationem deduci poterunt. De his quoque conſule noſtrum Mundum Subterraneum, in quo quæcunque ad mineralium naturam cognoſcendam, & penetrandam deſiderari poſſunt, uberrimè tractata reperientur.

CAPUT IX.

De Inſtrumentalibus, ſive de Novem Prædicamentis, quæ ſunt veluti inſtrumenta quædam, quibus Subſtantia operationes ſuas perficiat: quæ nonum conſtituunt hujus Artis Subjectum.

Subjectum IX. Inſtrumentorum ſive accidentium. Conſideratis Principiis tranſcendentalibus univerſalibuſque Subjectis Subſtantialibus, de Accidentibus modò tempus eſt, ut nonnihil diſcurramus; ſunt enim ea non exigua hujus Artis noſtræ portio.

Eſt itaque Subſtantia una, Accidentia novem, quæ à pluralitate ad unum, tanquam ad ſubjectum reducuntur: Omnia autem hæc denario clauduntur numero, decemque nominibus & eſſentiis ad quas omnia reducuntur, decem prædicamenta dicunt. Sunt autem, *Subſtantia*, de cujus latitudine
9. Prædicamenta. jam dictum eſt; *Quantitas*, *Relatio*, *Qualitas*, *Actio*, *Paſſio*, *Ubi*, *Quando*, *Situs*, *Habitus*, quæ hiſce binis verſibus exprimuntur:

> *Subſtant, Quanta, Refert, Quale, Actio, Paſſio, Ubique,*
> *Quando, Situſque, Habituſque, ad quæ revocabitur omne.*

Sunt tamen quædam extra prædicamenta, quæ ad aliquod accidentium reduci nequeunt; quæ binis hiſce verſibus memoriæ cauſa continentur.

> *Conceptum, conſignificans, fictum polyſemum*
> *Vox Logicæ, Deus, Excedens, Privatio, Parſque.*

1. Conceptum, id eſt, omnes voces ex pluribus compoſitæ, ut homo juſtus, prædicamentis annumerari non poſſunt, niſi complexum unum ſignificet, uti corpus animatum.

2. Conſignificans nihil aliud eſt, quàm illud, quod niſi alteri junctum, nihil per ſe ſignificat; ut ſunt particulæ, omnis, nullus. Quocirca ex octo partibus orationis, quatuor categoriis continentur tantum; *Nomen*, *Participium*, *Verbum*, *Adverbium*.

3. Fictum, id eſt, quæcunque eſſe tantùm objectivè habent in intellectu, & Entia rationis dicuntur, uti Chimæra, hippocentaurus &c.

4. Poly-

4. Polysimum, id est, quod multa significat, nisi fiat distinctio.
5. Vox Logicæ, uti sunt termini dicti secundæ intentionis; ut nomen, verbum, Oratio, propositio.
6. Deus, id est, omnia nomina infinita actu, ut Deus, Creator, extra prædicamenta sunt, eò quod hæc omnia infinita actu sint.
7. Excedens, seu quod idem est, transcendentalia, uti Unum, Ens, aliquid, & omnia principia nostra transcendentalia; Bonitas, Magnitudo, Duratio &c.
8. Privatio, quæ indicant privationem, ut sunt cœcitas, surditas, mors, ignorantia, & similia.
9. Pars, id est, vox partis principiive materialis significativa, ut forma, materia.

Verùm quoniam eorum pleraque in præcedentibus exposuerimus, hoc loco ea tantùm veluti anacephaleosi quadam exponemus.

§. I.

De Quantitate.

Termini divisivi quantitatis combinati & ad formam syllogisticam reducti.

Quantitas Transcendentalis. Omne quod distinctivum est graduum perfectionis, virtutis & substantiæ secundùm plus & minus, id prædicamentis adnumerari non potest.
Sed quantitas transcendentalis talis est.
Ergo.

Quant. Prædicamentalis. Omne ens divisionem faciens substantiæ, per quod quantus & quotus in ordine quis dicitur, id propriè prædicamentis competit.
Quantitas continua & discreta talis est.
Ergo.

Quant. Continua. Omne continuum cujus partes copulantur in termino aliquo communi, illud quantitas est continua.
Sed talia continua sunt, linea, superficies, corpus, locus, tempus.
Ergo.

Linea. Omnis longitudo est id, cujus essentia est ex fluxu puncti continuato.
Talis est linea.
Ergo.

Superficies. Omne longum & latum solùm est id, quod ex ductu lineæ transversim continuatur.
Talis est superficies.
Ergo.

Corpus. Omne longum, latum & profundum est id, quod ductu superficiei continuatur in omnem partem.
Tale est corpus solidum.
Ergo.

Locus. Omne spacium intra quod aliquid locatur, est terminatum superficie.
Locus est talis.
Ergo.

Tempus. Omne cujus cursus motusque secundùm prius & posterius continuatur, continua quantitas est.
Motus Cœli sive tempus tale est quoad partium Cœli extensionem saltem considerata.
Ergo.

Quantitas Discreta. Omne cujus partes non copulantur ad aliquem terminum communem, id quantitas discreta est.
Numerus, & multitudo talis est.
Ergo. Quia ex multis unitatibus aggregata.

Mensurativa.

Omne quod mensurat, vel	Tempus.	Ad quantitatem pertinet. Sed	Minutum, gradus, hora, dies, hebdomas, mensis, annus, lustrum, sæculum, ævum, mensurant tempus.		
	Liquida.		Cyatho, cochleari, mensurata.	Talia sunt.	Ergo.
	Arida.		Medimno, Chœnice, modio, sacco mensurata.		
	Pondus.		Scrupulo, unciâ, librâ, talento mensurata.		
	Intervalla.		Digito, palmo, pede, passu, perticâ, funiculo, milliari mensurata.		

Omne quod mensurat & distinguit diversos sonos & syllabas, ad quantitatem discretam revocatur.
Tales sunt tum syllabarum, tum dictionum, periodorum, partiumque Orationis mensuræ.
Ergo.

Axiomata.

Omne extenſum, quod { Non habet ſibi contrarium. / Non recipit magis & minus. / Sub æqualitatis & inæqualitatis ratione conſideratur. / Mole inſtructum eſt. } Id propriè rationem quantitatis continuæ habet. { Tales ſunt dictæ quantitatis continuæ ſpecies. Siquidem bicubitum non eſt contrarium tricubito. Ergo.

Aliter per Principia abſoluta.

Per B. Omne ſine quo non datur extenſio, *bonum* eſt.
Sine quantitate non datur extenſio.
Ergo.
M. Omne quod præſtat trinam dimenſionem, *magnum* eſt.
Quantitas talis eſt. Ergo.
D. Quod perſiſtentiam præſtat, *durabile* eſt.
Quantitas perſiſtentiam præſtat.
Ergo.
Omne ſine quo ſenſus objectis frui non poſſunt, *potens* eſt. P.
Mediata quantitate rerum ſenſus attingunt objecta. Ergo.
Et ſic de cæteris, quæ per principia reſpectiva pari ratione deducere lubebit.

Quantitas.
Continua. Diſcreta. { Par. Impar.

Continua.
Permanens. Succeſſiva. { Tempus. { Hora. Dies. Menſis. Annus. / Motus. { Rectus elementorum. Circularis cœli.

Permanens.
Linea. Superficies. Corpus.
Hæc. Iſta.
{ Linea recta, circularis.
Superficies triangula, quadrangula, polygona.
Corpus ſolidum, tetraëdrum, pyramis, cubis, omnia priſmatum & pyramidum genera.

§. II.

De Qualitate.

Complures Argumentorum ſedes, ſive Termini ad qualitatem reducibiles Combinati, & ad formam Syllogiſticam reducti.

Omnis forma accidentalis, eſt ea, ſecundùm quam quodlibet dicitur tale.
Omnis qualitas & forma accidentalis talis eſt.
Ergo omnis qualitas accidentalis eſt ſecundùm quam quodlibet dicitur tale.

Dividitur autem omnis qualitas vel in *intrinſecam*, vel *extrinſecam*. Intrinſeca rurſum eſt vel habitus, vel diſpoſitio, vel naturalis potentia.

Omnis diſpoſitio eſt præparatio quædam, qua quid deinceps facilè fieri poteſt.
Omnis habitus imperfectus & initium ejus eſt diſpoſitio.
Ergo omnis habitus imperfectus eſt præparatio &c.

Iterum Habitus & diſpoſitio eſt vel animæ vel corporis; Animæ, cum ſubjectum eſt in anima, aut in ejus intellectu, vel in voluntate: Ex habitu intellectus oritur ſapientia, ſcientia, prudentia, ars, opinio; Ex voluntate habitus & diſpoſitiones morales ſeu virtutes aut vitia. Corporis habitus ſunt propriè & ſubjectivè in corpore, atque in iſtis corporeis qualitatibus, ultra ea quæ ars addit, aliqua exigitur membrorum exercitatio, ut in habitu pilâ ludendi, ſonandi, ſcribendi &c.

Omnis diſpoſitio habitus imperfecti eſt aſſuefactio & promptitudo quædam facilè mobilis, uno vel pluribus actibus acquiſita. Diſpoſitio.
Omnis qualitas quæ necdum firmas radices egit, & facilè à ſubjecto removeri poteſt, eſt habitus imperfecti diſpoſitio.
Ergo omnis qualitas quæ necdum firmas radices egit & facilè à ſubjecto removeri poteſt, eſt aſſuefactio & promptitudo quædam facilè tamem mobilis, uno vel pluribus actibus acquiſita.

Naturalis potentia intrinfeca.

Naturalis qualitas intrinfeca eft potentia vel impotentia naturalis congenita, qua aliquid naturaliter fit potens vel impotens ad agendum, patiendum, obfiftendum, vel non agendum.

Sed omnes virtutes naturales tam animæ, uti intellectiva, volitiva, memorativa, quàm corporis, uti vegetativa, attractrix, retentrix &c. funt naturalis qualitas intrinfeca.

Ergo omnes virtutes naturales funt potentia, vel impotentia homini congenita, qua naturaliter fit potens vel impotens ad agendum aut patiendum.

Extrinfeca iterum Qualitas aut Paffio aut figura effe poteft; Unde paffio eft paffibilis qualitas, quæ tamen differunt, ut difpofitio ab habitu radicato: fiquidem fubitò v. g. irafci, paffio eft, mediata verò paffio iracundiæ paffibilis eft paffio.

Omne quod ab extrinfeco aliquo agente afficitur immutaturque, paffio eft.


Omnes externorum fenfuum potentiæ ab aliquo extrinfeco agente afficiuntur, immutanturque. Ergo.

Omnis figura eft qualitas formæ extrinfecæ.

Omnia Geometrica linearum, fuperficierum, corporum Schemata: Omnis pulchritudo rei cujufque: Omnes notæ, characteres tam naturales, quàm artificiales rei cujufcunque figuræ rationem habent.

Ergo omnes funt formæ extrinfecæ.

Sumitur autem forma hoc loco tripliciter; primò pro forma fubftantiali compofiti, & fic confiderata prædicamento qualitatis non adnumeratur, ut fuprà diximus. Secundò pro omni re, quæ verè eft accidens, & dat effe accidentaliter fubjecto vel conftituto; & hoc pacto invenitur forma in omnibus novem prædicamentis. Tertiò. Sumitur forma in fpecie five fpecificè pro re accidentali, quæ procedit ex determinatione vel circumfcriptione quantitatis conclufæ lineis, aut aliqua fuperficie, prout quibufque rerum naturis convenit.




§. III.

De Relatione Univerfali tam Categorica, quàm Tranfcendentali.

Natum eft hoc Accidens ex confequentia rerum, eò quod res omnes à fumma Dei fapientia ita colligatæ fint, fimilitudinis aut alterius cujufdam participatione, ut vix res aliqua inveniatur, quæ fi planè vel ex parte fit cognita, ad alterius cognitionem non præbeat aditum fecundùm relationem ad aliud. Cujus divifio illa eft quæ fequitur; quarum aliquæ relationes non ponuntur in prædicamentis, fed tranfcendentalem refpectum ad invicem dicunt, uti fequens Tabula oftendit.

Relatio


Relatio
Realis
Subſiſtens in divinis eſt quadruplex, & non includitur Categoriis.
Paternitas.
Filiatio.
Spiratio.
Proceſſio.
Non ſub-ſiſtens.
Secundùm dici; ut Relationes eſſentiales, accidentales ad ſubſtantiam, omnes tranſcendentium relationes; uti bonificantis ad bonificabile, &c. Materiæ ad formam, non incluſæ Categoriis.
Secun-dùm eſſe
Mutua, quæ divi-ditur.
Ratione termini, in rela-tionem
Æquiparantiæ, ut eſt ſimilitudo, cui ex altera parte reſpondet ſimile ejuſdem ſpeciei, ut albedo ad aliam albedinem.
Diſquiparantiæ, ut inter patrem & fi-lium, dominum & ſervum.
Ratione funda-menti
Proximi, uti
1.
Unitas.
Multitudo.
Diſſimilitudo.
Inæqualitas.
2.
Actio.
Paſſio.
3.
Menſura activa, ut exem-plar ad maginem.
Menſura paſſiva, & contra.
Remoti, eaque Relatio multi-plex, quæ funda-tur in
Subſtantia, ut relatio iden-titatis.
Quantitate, ut relatio æ-qualitatis.
Qualitate, ut relatio ſimili-tudinis.
Relatione, ut relatio pro-portionalitatis.
Actione, ut relatio agentis immanentis ad ſeipſum.
Paſſione, ut relatio patien-tis ad agens.
Loco, ut relatio loci ad lo-catum.
Situ, ut relatio ſitus ad ſi-tuatum,
Et ſic de cæteris.
Non mutua, ut re-latio creatoris ad creaturam.
Rationis, quæ ve-rè non exiſtit, rei ta-men con-venit.
Ante omnem co-gitationem, ut relatio creato-ris ad creaturas.
Poſt aliquam o-perationem in-tellectus, ut re-latio prædicati ad ſubjectum & ſpecies inten-tionales.
Et non annumeran-tur Categoriis.

Eſt itaque Relatio Categorica ea, per quam formaliter aliquid refertur ad aliud, non tanquam ad ſubjectum aut objectum vel finem, ſed tanquam ad terminum; eſtque accidens reale, cujus tota ratiò eſt ad aliud, quibus conditionibus excluduntur relationes rationis, uti eſt relatio rei cognitæ ad cognoſcentem; deinde perſonæ divinæ, quia non ſunt accidentia: tertiò relationes ſecundùm dici, quæ ſunt partes entium abſolutorum & tranſcendentalium, aut eorum latentes differentias exprimunt. Tria autem in qualibet Relatione conſiderari debent. Primò ſubjectum in quo eſt relatio. Secundò fundamentum, propter quod fiat. Terminus ad quem, ſpectatur; uti in paternitate ſubjectum eſt homo qui genuit; fundamentum eſt potentia generativa; terminus verò filius qui genitus eſt. Subjectum, relatum ſeu relativum; terminus, correlativum dicitur; ambo tamen correlata, correlativa & extrema dicuntur, quia inter illa oppoſitæ relationes naſcuntur.

Tria in qualibet relatione conſiderari poſſunt. Subjectum. Fundamentum. Terminus.

Relata contrarietatem admittunt, quod intelligendum eſt non tam relationum quàm fundamentorum, quibus nituntur, aut terminorum, ad quos referuntur ratione; uti fit in candore & nigredine, unde dicuntur relativa contraria. Secundò ſuſcipiunt magis, & minus, intenduntur & remittuntur, quod de qualitatibus intelligendum eſt. Tertiò relata ſunt reciproca, ita ut unum ſine altero concipi non poſſit, non tamen phyſicè ſed relativè conſiderata. Quartò cognito uno relatorum, cognoſcitur & alterum.

Combinatio terminorum ad Relationes qualeſcunque reducibiles.

Et primò quidem de Relationibus divinis ex profeſſo tractabitur in Theologia Combinata.

Porrò cum in omnibus tranſcendentalibus octodecim Artis noſtræ principiis ſtatuantur Relationes, quomodo eæ principiis noſtris applicari poſſint, videamus. Sic ergo operare.

Relationes tranſcendentalium combinatæ ſub forma Syllogiſtica.

				Vel Lulliano more.
Ubicunque eſt	Bonificativum. Magnificativum. Durarefactivum. Potentificativum. Cognoſcitivum. Volitivum. Corroborativum. Verificativum. Glorificativum.	Ibi eſt	Bonificabile. Magnificabile. Durarefactibile. Potentificabile. Cognoſcibile. Volibile. Corroborabile. Verificabile. Glorificabile.	Ubi eſt (tivum) ibi (bile) eſſe neceſſe eſt. Sed ubicunque eſt (tivum) & (bile) ibi neceſſariò reſultat relatio. Ergo (tivum) & (bile) ſunt correlativa. Ergo inter illa Relatio.

Ubicunque eſt	Diſtinctivum. Concordans. Contrarium. Principiativum. Finis. Medium. Majoritas. Majoritas & Minoritas.	Ibi eſt ſunt	Diſtinguibile. Concordabile. Oppoſitum. Principiatum. Terminus. Extrema. Minoritas. Æqualitas.	Sed hæc omnia ſe reſpiciunt, & ad ſe invicem referuntur. Ergo ſunt correlativa. Ergo inter hæc omnia datur relatio.

Termini reducibiles ad prædicamentum Relationis Combinati.

1. Ubicunque eſt ſimilitudo unius ad alterum ejuſdem rationis, ibi reſultat ratione termini relatio æquiparantiæ ſecundùm eſſe.
   Sed hoc fit inter albedinem & albedinem ſimileſque qualitates remiſſionis & intenſionis expertes.
   Ergo inter albedinem & albedinem reſultat ratione termini relatio æquiparantiæ.

2. Ubicunque eſt reſpectus unius ad alterum diverſæ rationis, ibi datur relatio diſquiparantiæ.
   Sed inter patrem & filium eſt reſpectus unius ad alium diverſæ rationis.
   Ergo inter patrem & filium eſt relatio diſquiparantiæ.

3. Quando-

3. Quandocunq; datur reſpectus	Unius ad idem. Æqualis ad æquale vel inæquale. Similis ad ſimile vel diſſimile. Proportionalitatis. Agentis ad Patiens, & contra. Locati ad locum. Situati ad ſitum. Habituati ad habitum.	Ibi datur Relatio ratione fundamenti remoti.	Sed talis reſpectus datur, in	Subſtantia. Quantitate. Qualitate. Relatione ſeu categoria ad aliquid. Actione & Paſſione. Terminis categoricis Loci. Sitûs. Habitûs.	Ergo.

Haud ſecus in aliis procedes. Verùm de hiſce omnibus uberrimus aperietur argumentorum campus in Logica ſeu Dialectica noſtra Combinata, ad quam Lectorem remittimus. Quare hæc ſpeciminis loco ad Artis noſtræ applicationem oſtendendam ſufficiant.

§. IV. & V.

De Actione & Paſſione.

Actio, functio vel operatio rerum eſt motus activus ex agente in patiens, uti Paſſio eſt motus in patiente ab efficiente illi impreſſus, quo pati dicitur aliquid: Agens enim agit, patienſque patitur, vel per medium inſtrumenti ſeparati ab Agente; vel per medium inſtrumenti naturalis conjuncti cum agente. Medium cauſæ formalis habet formam vel permanentem vel tranſeuntem fluentemque. Forma permanens eſt quæ agit per qualitatem ſibi intrinſecam & permanentem; uti ignis agit in aquam per calorem; Sol per lucem in hæc inferiora. Forma fluens agit per actionem cujus principium ipſa eadem eſt qualitas, quæ eſt in agente, & fluere dicitur; eo quod actuali in exercitio ſit. Per medium inſtrumenti naturalis conjuncti agenti actiones fiunt, uti per membra & alia, quæ natura generat & nutrit, per quæ ſuis fungitur actionibus. Per medium inſtrumenti ſeparati ab agente actio vel paſſio fit, ut dum quis ferrâ findit, ſecat ſecuri, polit dolabro, enſe necat.

Agens quando agat & patiatur.

Omnis itaque *Actio* vel *Paſſio* conſideratur vel ratione principii, vel ratione objecti, vel ratione termini. Ratione principii dividitur in *Naturalem*, *Violentam*, *Præternaturalem*, *Artificialem*. *Naturalis* actio ab intrinſeco principio promanans & naturæ cujuſcunque rei conſentanea; uti motus ignis ſurſum, lapidis motus deorſum. *Violenta* actio eſt, quæ fit contra inclinationem naturalem, ut lapidis motus ſurſum, ignis deorſum. *Præternaturalis* eſt, quæ præter naturam contingit, ut fit in generatione monſtrorum. *Artificialis* eſt omnis illa actio, quæ membrorum ope fit, ut pulſatio Cytharæ &c.

Naturalis iterum eſt vel animæ vel corporis. Animæ iterum duplex conſtituitur, Vegetativa & Senſitiva. *Vegetativa* eſt nutritio, cui ſervit alimenti attractio, retentio, concoctio, diſtributio. 2. *Accretio*, nutritioni ſemper juncta. 3. *Generatio*, quæ eſt actio vitalis, qua aliquid de non eſſe ad eſſe producitur. *Senſitiva* verò actio competit potiſſimum brutis, continetque omnes actiones, motuſque vitales & animales. *Rationalis Creaturæ actio eſt* triplex: *appetitûs*, *intellectûs* & *Voluntatis*. *Appetitus* verſatur vel circa bonum, eſtque amor, deſiderium, gaudium, ſpes; aut circa malum, & ſunt odium, fuga, triſtitia, timor, ira, deſperatio. *Intellectus* continet omnes operationes intellectuales, quæ ſunt, intelligere, æſtimare, judicare, diſcernere, numerare, diſtinguere, dividere, definire. *Voluntas* verſatur circa operationes appetitivas, uti ſunt, eligere, conſulere, media quærere proportionata ad finem. *Actiones* verò corporeæ ſunt illæ, quæ exercitationem corporis concernunt, uti *Athletica*, *Luſoria* &c. reliquæque corporis vires.


Diviſio varia actionis & paſſionis.

Iterum Actio conſideratur ratione objecti, vel ſubjecti, eſtque duplex: *Immanens* & *Tranſiens*. Immanens eſt ut intellectio; Tranſiens ut calefactio.

Actio conſiderata ratione ſubjecti.

Ratione termini conſideratur actio vel *ſubſtantialis*, vel *accidentalis*. *Subſtantialis* eſt generatio, corruptio, implicatque tria naturalium rerum principia. *Accidentalis* eſt, accretio & decretio ſecundùm quantitatem; alteratio ſecundùm qualitatem; *Latio* ſecundùm locum ſeu locomotiva eſt vel ſimplex, vel mixta. Simplex eſt duplex; recta vel circularis, hæc Cœlorum illa Elementorum. Quæ omnia in ſequenti epilogiſmo digeſta conſidera.

Epilogiſmus omnium, quæ ad Actionem & Paſſionem ſpectant.



Habes hic Lector diviſionem Actionis: Jam quomodo ea Artis noſtræ Principiis applicari poſſit, videamus.

Appli-

Applicatio Combinatoria.

Termini reducibiles ad prædicamentum Actionis & Passionis.

Omne sine quo quidpiam

B.	Operari impossibile est, id	Bonum est.
M.	Intra determinatam activitatis suæ sphæram operari non posset, id	Magnum est.
D.	Permanentiam non haberet,	Durabile est.
P.	Nullam haberet potentiam,	Potens est.
S.	Nullam vim haberet determinativam ad locum certum,	Cognoscitivum est.
Vo.	Nullum appetitum haberet naturalem,	Appetitivum est.
Vi.	Nulla virtute polleret,	Virtuosum est.
Ve.	Verè non esset,	Verum est.
G.	Gloriari non posset,	Gloriosum est.

Omnes actiones & facultates, sive

- Naturales, sive Violentæ, aut præternaturales.
- Immanentes, sive transeuntes.
- Artificiales, sive Naturales.
- Entitativæ, Vegetativæ, Sensitivæ, Rationalis, } Naturæ sint.
- Substantiales, sive Accidentales.
- Corporeæ, sive Spirituales.
- Locomotivæ, sive Insensatæ.

Tales sunt, Ergo.

Per Principia Respectiva sic operare.

Omnia quæ multis variisque modis

=	Inter se *distinguuntur*, illa differre quoque necesse est.
♡	Inter se *conveniunt*, illa & inter se concordantiam habent.
●○	*Opponuntur*, contraria sunt.
α	*Principiant*, illa verè principia & ipsa sunt.
⊙	Per diversa *media* operantur, & ipsa media sunt.
ω	Ad naturæ bonum consequendum operantur, *finis* rationem habent.
M. Æ. Mi.	Dividuntur atque in diversis gradibus perfectionis consistunt, illa Majoritatis, Æqualitatis Minoritatisque rationem habent.

Tales sunt supra citatæ actiones & facultates. Ergo.

Præmissâ applicatione in genere tantùm peractâ; jam quomodo singulæ operationes in Epilogismo exhibitæ in particulari discuti possint videamus. Fiet id per Enneadem Erotematicam, hoc pacto.

1. An operationes omnibus rebus in quocunque naturæ gradu conveniant.
2. Quid sint propriè actiones immanentes & fluentes: Naturales, Violentæ, & Artificiales. Quænam operationes Animæ vegetantis, sentientis, rationalis.
3. Cur & in quem finem à natura singulæ constitutæ sint.
4. Quantum singulæ præstent.
5. Quomodo omnes inter se distinguantur.
6. Quales ex se, & ex sua natura sint.
7. Ubi potissimum singulæ suam virtutem exerant.
8. Quando cumprimis operentur.
9. Quibus modis & rationibus operentur.

Sed ad meliorem omnium notitiam Exemplum subjungamus.

Quæsituro itaque, An in homine animæ vegetantis, sentientis & rationalis facultates verè & realiter sint distinctæ. Respondebis negativè, & sic probabis per Principia Respectiva.

Si tres animæ Vegetativa, Sensitiva & Rationalis in homine essent realiter *distinctæ*, sequeretur hominem ex tribus formis substantialibus realiter distinctis constitui; quod est absurdum. Per =

Major probatur. Quia sequeretur, hominem simul futurum & plantam & animal & hominem.

Sed hoc fieri non potest; Esset enim homo non una sed triplex substantia, quod pariter absurdum est.

Ergo non realiter sed ratione tantum tres hæ animæ in homine differunt.

Quæcun-

Per ♡ Quæcunque formæ *concordant* in una quadam forma ſubſtantiali nobiliſſima, illæ & ab ea non realiter ſed virtute tantùm ut diſtinguantur, neceſſe eſt.

Anima vegetans & ſentiens concordant cum anima rationali.

Ergo in ea realiter diſtingui non poſſunt; Ergo ratione tantum.

Ratio Majoris eſt, quia ſequerentur dicta abſurda, & quod homo viveret & moreretur primò animâ vegetativâ, deinde ſenſitivâ, & tertiò tandem homo eſſe defineret, atque adeò triplici interitu moreretur; quæ ridicula ſunt.

Per ⊶ Illæ formæ, quæ in aliqua forma ſubſtantiali nullam *contrarietatem* ſuſtinent, illas quoque non realiter, ſed virtute ab ea diſtingui neceſſe eſt.

Tales ſunt vegetans & ſentiens forma in homine.

Ergo. Etiamſi enim ſenſus rationi repugnare videatur; illud tamem locum tantùm habet in diverſis & differentibus ſubjectis, non in uno aliquo ſubjecto, in quo diverſæ facultates, vegetativæ & ſentientes animæ amicè ſibi invicem ſubordinantur. Lucta enim illa non ex natura potentiarum, ſed ex accidente eſt.

Per α Omnes illæ formæ, quæ ſubordinantur formæ alicui principali tanquam *principio* & *cauſæ* illarum, illæ utique ab hac realiter diſtingui non poſſunt.

Tales ſunt anima vegetans & ſentiens in homine.

Ergo.

Per ⊙ Omnes illæ facultates, quæ ſe habent per modum *medii* conducentis ad conſervationem & auctionem, nutritionemque ſubjecti, illæ à toto tanquam formæ ſubſtantiales diſtingui non poſſunt.

Tales ſunt anima vegetans & ſentiens in homine. Ergo.

Per ω Omnes illæ formæ ſeu facultates aut potentiæ, quæ ſunt veluti media quædam ad *finem*, id eſt, ad formam totius compoſiti conſervandam, illæ utique tanquam formæ à toto diſtingui non poſſunt.

Tales ſunt facultates vegetans & ſentiens in homine.

Ergo.

Per M Ab illa forma principali, quæ *majoritatis* rationem habet, illæ formæ quæ continentur ab eâ, ab eadem diſtingui realiter non poſſunt.

Talis eſt anima rationalis, quæ reliquas continet virtute.

Ergo.

Contra verò argumentaturis ex eo, quod cum in homine diverſæ ſint operationes, neceſſariò diverſas formas arguant: Reſpondebis, id verum eſſe in diverſis, & differentibus, uti ſuprà quoque dictum eſt, ſubjectis; etiamſi enim in homine ſint diverſæ operationes vegetandi, ſentiendi, audiendi, videndi &c. ita tamen amicè ſibi ſubordinatæ ſunt, ut una & eadem anima rationalis ſit cauſa omnium; aliàs enim ſequeretur, tot eſſe diſtinctas animas, quot in homine operationes concipi poſſunt, quod perabſurdum foret. Lucta enim illa ſive contrarietas non eſt ex natura potentiarum, ſed ex accidente. Accedit quod formæ genericæ ſeu generales, cujuſmodi in homine eſt vegetans & ſentiens, non ſint propriè formæ, eò quod hominem non conſtituant, ſed ſpecifica forma in homine eſt anima rationalis, quæ uti altioris gradus eſt, ita reliquas virtute in ſe continet, non ſecus ac, ut cum Philoſopho loquar, tetragonus continet in ſe trigonum, aut tanquam binarium ternarius, non quod ſint tres numeri, ſed quod binarius includatur in majori ternario.

Eſt itaque anima vegetans nil aliud, quam actus primus corporis organici phyſici, quo illud vivit, nutritur, augetur, & juxta ſpeciem per generationem propagatur. Qua definitione tres panduntur operationes animæ vegetantis: Nutritiva, Augmentativa, Generativa, quæ inter ſe pari pacto non niſi ratione aut virtualiter diſtinguuntur. Quare hæc ſufficiant.

§. VI.

De Prædicamento. Ubi.


Ubi, eſſe in aliquo loco, vel alicubi eſſe, oſtendit; aliud tamen locus, aliud ubi eſſe ſentiendum eſt. Eſſe ſiquidem in loco eſt replere locum illum. Collocatio rei in loco tripliciter conſiderari poteſt; vel *circumſcriptivè*, vel *definitivè*, vel *contentivè*, quibus nonnulli addunt *Ubi Sacramentale*. *Ubi circumſcriptivum* propriè prædicamentum conſtituitur, & eſt, quando corpus in loco, alio circundatur; atque hoc modo nulla incorporea ſubſtantia in loco eſt, neque illi convenit. Triplex conſideratio ubi.

Ubi definitivum eſt cum determinatione in loco, ut quando virtus incorporei agentis eſt finita & applicatur uni loco in quo operatur, quo tempore cum incorporea illa ſubſtantia finita ſit, illa eadem in alio loco operari non poteſt, neque exiſtere naturaliter. Ita Angeli ſunt & operantur in loco, non autem circumſcriptivè, quia carent quantitate, qua locus repletur.

Ubi

Ubi contentivum sive repletivum illud est, quando agens infinitæ virtutis est & operatur & influit ubique in omni loco per essentiam, præsentiam & potentiam. Uti Deus opt. max. nulli tamen prædicamento inclusus.

Locus multiplex est: *communis*, *proprius*, *naturalis*, *violentus*, *superior*, *inferior*, *lateralis*. Communis est, qui plura immediatè continet; uti civitas locus civium. Proprius est corporis terminus contento immediatus. Naturalis, in quo res naturaliter quiescunt; in eo autem naturaliter quiescunt res, in quo conservantur & conservari possunt, uti terra locus gravium. Violentus in quo contra naturam quiescunt; cæteri situ tantum distinguuntur; quorum omnium diversitates sunt, longum, latum, profundum, vel altitudo. Sed hæc in sequenti Epilogismo distinctiùs comparent.



Applicatio Combinatoria.

Ad varias Argumentorum sedes acquirendas, & primò de Ubi circumscriptivo.

Per B. Omne quod alicubi est, illud esse *bonum* necesse est: cum alicubi esse bonum; non esse vero aut nullibi esse malum sit.
Sed omnia quæ sunt, sunt alicubi.
Ergo omnia quæ sunt alicubi illa bona esse necesse est.

M. Omne quod loco extensum est, sive circumscriptivè in loco est, id *magnum* esse necesse est.
Omnia corpora talia sunt. Ergo.

D. Omne quod alicubi est, id *durare* ibidem quoque necesse est.
Omnia sunt alicubi.
Ergo. Si enim non durarent, neque esse possent; sufficit enim, ut illa vel per instans temporis durent.

P. Omnia mutabilia ratione Ubi *possunt* moveri, imò ea moveri necesse est.
Sed omnia quæ sunt in loco sunt mutabilia.
Ergo.

S. Omnia quæ ad certum locum feruntur naturâ suâ, illud faciunt *instinctu* quodam naturali, sive inclinatione iis insita.
Omnia gravia feruntur ad terram tanquam ad terminum naturæ eorum congruum.
Ergo.

Vo. Omnia quæ feruntur ad locum aliquem naturæ eorum conservandæ proprium, id faciunt *appetitu* quodam innato.
Sed omnia corpora tali ratione feruntur.
Ergo.

Vi. Omne quod illuc fertur, ubi est majus *virtutis* suæ robur, illud virtuosum est in suo loco.

Omnia quæ certam soli, regionis, urbis, constitutionem appetunt, feruntur illuc, ubi est majus bonum, aut virtutis suæ robur.
Ergo.

Per Ve. Quæcunque loco continentur de iis *verum est* dicere, finita esse.
At omnia corpora loco aliquo continentur.
Ergo verum est dicere, ea finita esse.

Per G. Omnia quæ aut sursum aut deorsum, aut lateraliter aut circulariter aut obliquè feruntur, id faciunt, ut *glorientur* seu quiescant in fine suo.
Omnia corpora aliquem ex hisce motibus habent.
Ergo id faciunt ut *glorientur* fine suo.

Secundò de Ubi definitivo sic argumentaberis.

B. Omne id, quo quantò nobilius & excellentius est in loco, tantò majus bonum est.

M. Sed quodcunque est *definitivè in loco*, id nobilius & excellentius est in *loco*, quàm quod circumscriptivè: est enim totum in toto, & totum in qualibet parte.
Ergo majus bonum est. Pari ratione procedes per reliqua principia illud deducendo, quod industriæ Lectoris relinquo.

Tertiò de Ubi contentivo sive Repletivo, ita ratiocinaberis.

B. Omne id quod ubique & in omni loco est, nec à loco continetur, illud consequenter excellentissimum Ubi habet & *summè bonum.*
At Deus Opt.Max. tali ratione in loco est.
Ergo. Sed hæc pluribus prosequemur in Theologia nostra; quare modum tantùm innuisse sufficiat.

Per Principia Respectiva sic procedes.

Per = Quot sunt *ubicationes*, tot sunt Ubi *differentiæ.*
Sed quot sunt entia corporea, tot sunt *ubicationes.*
Ergo quot sunt entia corporea, tot sunt ubi differentiæ.

Quæcunque existunt, *concordant* in eo, quod sint alicubi. Per ♡.
Sed omnia quæ loco circumscribuntur, illa verè & realiter existunt.
Ergo omnia concordant in eo, quod sint alicubi.

Quodcunque non admittit *oppositionem* formalem, hoc non admittit contrarietatem. Per o◆.
Sed Ubi non admmittit *oppositionem* formalem.
Ergo non admittit contrarietatem.

Sine quo operatio nulla in actum deduci potest, illud *principium* statui debet operationum. Per α.
Sine Ubi nulla operatio in actum deduci potest;
Ergo Ubi est *principium* operationum; Quia ubi substantia est, illam alicubi esse: necesse est. Nam ab essentia profluunt operationes, teste Philosopho.

Illud sine quo operationes fieri non possunt, est *medium* per quod operationes perficiuntur. Per ⊙.
Sed sine Ubi nulla operatio fieri potest.
Ergo Ubi est medium. Et sic de cæteris.

§. VII.

De Prædicamento Situs.

Postquam novimus Locum in quo aliquid sit, impellitur mens ad quæstionem de Situ & positione, quâ per Ubi sit relatio, & ratio habetur totius locati, & totius loci, cum circumscriptionis expressione. Nam per positionem exponitur situs partium locati, in partibus loci, quæ singularis & propria situs nota est. Et hoc pacto pro vero prædicamento situs accipitur.

Omnis positio seu Situs, est, quando quidpiam dicitur habere partes certa ratione dispositas. Resolutio situs sequitur.

Poſitio ſeu Situs eſt vel
- *Naturalis* & eſt rerum vel
  - Animatarum. Ut quando membra animalis ordine naturali & ſitu ſibi reſpondent.
  - Inanimatarum vel
    - Mobilium. Uti ſunt quatuor elementa in propriis locis.
    - Immobilium. Uti campi, agri, horti, domus.
- *Accidentalis* vel
  - Naturalis eſt, quando ordo naturæ ſervatur in poſitione membrorum, uti caput ſuprà, pedes infrà.
  - Spontaneus eſt,
    - Stare.
    - Sedere.
    - Jacere ſupinum, pronum.
    - Inclinari in anteriorem vel poſteriorem partem.
  - Artificioſus eſt, quando fit per artem, uti columnarum diſpoſitio, arborum in quincuncem diſpoſitio &c.
- *Caſualis* eſt poſitio, quæ homini præter naturam accidit; uti cadere prono obverſoque capite. Si præter ſpem aliquid accidit, ut in taxillis jactis.

Applicatio terminorum ad principia Artis Noſtræ.

Per B. Omne ſine quo ſenſibiles operationes commodè exeri non poſſunt. Neceſſariò bonum eſt.
Sed ſine certo ſitu & poſitione locatorum nulla operatio rectè exeri poteſt.
Ergo.

Per M. Omne ſine quo per rectam in loco *extenſionem* operationes ſenſibiles ritè perfici nequeunt, illud neceſſariò *magnum* eſſe oportet; longum, latum & profundum.
Sed hoc fit in omni ſitu.
Ergo ſitum *magnum* eſſe oportet.

Per D. Omne ſine quo non datur ſtabilis *permanentia*, illud neceſſariò durabile eſſe oportet.
Sed ſine certo ſitu & poſitione non datur ſtabilis *permanentia*.
Ergo ſitus debet eſſe durabilis.

Haud ſecus operabere in ſequentibus ordine principiis abſolutis Situi & poſitioni applicandis; quæ & eadem oſtendes per principia reſpectiva, hoc pacto.

Per = Ubicunque intervenit *diſtinctio* partium ſituatarum ibi datur ſituum differentia.
Hoc fit in omni ſitu & poſitione.
Ergo in omni ſitu & poſitione datur differentia.

Per ♡ Ubicunque datur *convenientia* in ordine ad certam membrorum poſitionem in loco, ibi datur *concordantia*.
Sed hoc fit in omni ſitu.
Ergo.

Per ●○ Ubicunque datur *oppoſitio* ibi datur *contrarietas* reſpectiva in ordine ad locum.
Sed in ſitu datur dextrum ſiniſtrum, ſuperius inferius, anterius poſterius.
Ergo datur contrarietas reſpectiva in ordine ad locum.

Haud ſecus in reliquis procedes, quæ quia clara ſunt, iis ulterius deducendis non immoramur.

§. VIII.

De Prædicamento Quando.

Cognito Situ & Poſitione alicujus in loco, mox & intellectui imprimitur, rem ſituatam rectè ſe habere non poſſe ſine duratione; unde & naſcitur Prædicamentum, Quando; ſive quod idem eſt, rem eſſe in tempore.

Eſt autem duplex Quando: *Simplex* & *Compoſitum*. *Simplex*, cum ita ſe res habet ad tempus, ut ad indiviſibile, & à ſuſceptione menſuræ ſemotum; eſtque æternitas, ſempiternum, nictus oculi, momentum & inſtans. *Compoſitum Quando* eſt, cum ſe res habet ad tempus ut ad diviſibile, veluti ad certum diem, annum, menſem; Tempus enim in partes ſucceſſionis diviſibile eſt. Duplex Quando.

Tempus omne ex motu & numero conſtat; Eſtque ſecundùm Ariſtotelem menſura primi mobilis ſecundùm prius & poſterius: Eſtque vel *naturale*, uti hyems, æſtas, ver, autumnus, annus, menſis, hebdomas, dies, hora, minutum. *Non naturale*, ſeu potius tempora inſtituta; uti ſacrificia, dies feſti, nuptiæ; Epilogiſmum ſubnectimus.

Quando eſt eſſe aliquando, vel
- In æternitate, uti Deus opt. max.
- In ævo, uti ſunt Angeli, animæ, Cœli,
- In tempore ſunt motus, uti res, quæ per motum fiunt, & corrumpuntur dum in motu ſunt, & conſideratur dupliciter.
  - Generatim.
    - Præteritum. Ut ante annum, diem, menſem, horam.
    - Præſens. Nunc eſſe.
    - Futurum. Poſt annum diem, menſem.
  - Speciatim ſumitur pro
    - Seculo.
    - Anno.
    - Menſe.
    - Die.
    - Hora.
    - Minuto.

Applicatio.

Quidquid principio & fine caret, *æternum* eſt.
Deus principio & fine caret.
Ergo *æternus* eſt.
Quidquid principium habet & fine caret, *æviternum* eſt.
Tales ſunt Angeli, animæ, Cœli, materia.
Ergo *æviterni* ſunt.
Quidquid principium & finem ſuæ *durationis* habet, id in *tempore* eſt.
Omnes creaturæ corruptionibus obnoxiæ principium & finem habent.
Ergo in tempore ſunt.

Deinde per principia abſoluta ſingula oſtendes. v. g.

Omne quod durat *bonum* eſt.
B. Omnia quæ tempori ſubduntur, durant.
Ergo *bona* ſunt.
Omne quod ſucceſſione partium continuatur, *magnum* eſt. M.
Tale tempus eſt. Ergo.
Et ſic de cæteris; quæ ne longior ſim, lubens omitto.

§. IX.

De Prædicamento Habitus.

Cognita diſtinctione temporali externa, alia rei ratio notior offertur ex habitu, quod eſt medium quoddam inter corpora & corporibus adjacentia, ſecundùm quod hæc ſcilicet, quæ adjacent, haberi, illa autem nempe corpora, habere dicuntur. Eſt itaque Habitus adjacentia corporum, eorumque quæ circa corpus ſunt, eſtque accidens medians inter corpus cui adjacet, & veſtimentum quod adjacet; ita ut neque corpus, neque veſtis propriè conſtituat prædicamentum habitus, ſed hoc tantùm, veſtitum eſſe, annulatum eſſe. Epilogiſmum ſubdimus.

Habitus duobus modis dici poteſt.
- Indutum eſſe.
  - Ratione veſtimenti.
    - Domeſtici.
    - Militaris.
    - Pontificii.
  - Ratione rei veſtitæ, uti
    - Totius. Togatum eſſe, armatum eſſe.
    - Partis. Calceatum eſſe.
- Ornatum eſſe & duplex eſt.
  - Annulatum eſſe.
  - Coronatum eſſe.

Applicatio.

Omnis adjacentia corporum, eorumque quæ circa corpus ſunt, ad prædicamentum habitus pertinet.
Talis eſt omnis veſtitus & ornatus corporum. Ergo.
Per B. Omne quod hominem fovet, *bonum* eſt.
Omnis habitus talis eſt. Ergo *bonus* eſt.
Per M. Omne quod hominem adjacentia quadam ornat, *magnum* eſt.
Talia ſunt in dignitate conſtitutis, annuli, coronæ, mitræ, infulæ.
Ergo *magna* ſunt. Et ſic de cæteris.

Per Principia reſpectiva ſic procedes.

Per ≡. Omnes habitus diverſi differunt.
Per ♡. Omnes habitus aut Religioni aut nationi cuipiam proprii *concordant*.
Habitus *contrarium* non ſuſcipiunt. Per ○●.
Habitus *principium* eſt, quia cauſat fomentum contra frigus. Per α.
Media ſunt ad depellendum frigus. *Finiſque* idem. Per ⊙ & ω.
Datur & *majoritas* & *minoritas* inter habitus, uti palludamentum imperiale majus eſt, tunicâ ruſtici. Per M.
Datur & *æqualitas* in habitu; uti diximus de concordantia. Per Æ.

Atque hæc ſunt, quæ de Prædicamentis, in quantum ea Artis noſtræ principiis ſerviunt, dicenda duximus. Quæ ſi quis propoſitis argumentis ritè applicare nôrit, is haud dubiè immenſum propè, de quacunque re diſceptandi campum apertum reperiet.

ARTIS


ARTIS MAGNÆ SCIENDI,

SIVE

COMBINATORIÆ,

LIBER TERTIUS.

Lullianæ Magnæ Artis methodi à paucis hucusque intellectæ novam & sinceram expositionem continens.



QUA

Artis Magnæ Lullianæ arcana in lucem eruuntur: Alphabeti myſteria exponuntur, & variis exemplis ex omni ſcientia depromptis demonſtrantur.

PRÆFATIO.


NOn ignoro complures fuiſſe, qui Univerſalem Artis Lullianæ, quam pollicetur, methodum, non dicam utilem aut fructuoſam in ſcientifico negotio, ſed verbo παράδοξον καὶ ἀδύνατον exiſtimarint, fieri non poſſe rati, ut ad tam pauca principia, tanta ſcientiarum amplitudo & varietas adaptetur. Nos verò dictæ Artis Lullianæ arcana, tametſi confuſa, & veluti caligine quadam involuta paulo profundius rimantes, talia non reperimus, qualia nonnulli iniqui rerum, quas non intelligunt, Cenſores & Ariſtarchi perperam ſentientes viro illuminatiſſimo *imme-*

immerito jure opponunt. Quinimo ſub rudi illa & impolita mole veluti ſub chaotica quadam maſſa miranda quædam deprehendimus, quæ ex incompoſita tenebrarum ruditate in lucem educentes, novam rationem iniimus, qua univerſales dictæ artis rationes ſcitè ad quamvis propoſitam quæſtionem ex tota artium ſcientiarumque Encyclopedia ſelectam facile applicare poſſis, quod & hoc libro per varia paradigmatum ſpecimina demonſtrandum duximus. Verùm ut cum bono ordine & methodo exquiſita progrediamur, Petri Hieronymi Sanchez Lullianæ Artis expoſitionem ſecuti, primò de Alphabeto, deinde de definitionibus, & tandem de Regulis in Arte obſervandis tractabimus.

LIBRI TERTII.

PARS I.

De Alphabetis eorumque applicatione.

CAPUT I.

De Alphabeto Artis Lullianæ, ejuſque Combinationibus & uſu.

QUamvis Alphabetum Artis noſtræ fusè in primo Libro expoſuerimus, quia tamen omnia, quæ tum ad terminos ejus combinandos, tum ad uſum ejus inſignem & maximum pertinent, ibidem omiſimus, hîc ſingula ordine ad majorem Lectoris inſtructionem penitiùs ad mentem Lulli exponenda duximus. Nota Lector, ſequens Alphabetum non Lulli, ſed noſtrum eſſe. Quomodo verò id regulis Artis à Lullo traditæ applicari poſſit & debeat ad habitum ſcientificum faciliori methodo adquirendum; hac parte demonſtrabitur.

Alphabetum Artis Magnæ.

	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	VIII.	IX.
1. Principia abſoluta.	B.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.
2. Reſpectiva.	=	♡	o-•	α	⊙	ω	M	Æ	Min.
3. Quæſtiones.	An.	Quid.	De quo.	Cur.	Quantum.	Quale.	Quomodo.	Ubi.	Quî. cum quo.
4. Subjecta univerſalia.	△	[symbol]	◎	□	[symbol]	[symbol]	[symbol]	[symbol]	⁝⁝⁝
5. Virtutes.	Juſtitia.	Prudentia.	Fortitudo.	Temperantia.	Fides.	Spes.	Charitas.	Patientia.	Pietas.
6. Vitia.	Avaritia.	Gula.	Luxuria.	Superbia.	Acedia.	Invidia.	Ira.	Mendacium.	Inconſtantia.

De Combinatione Alphabeti, & de Tabulis ex eo concinnandis.

Nota, dupliciter Alphabeti terminos inter ſe combinari poſſe; vel expanſè, vel contractè. Combinationem expanſam ita adorieris.


Cum in Alphabeto novem ſint literæ: B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. quæ novem principia abſoluta per initiales ſuas literas ſignificant.

Primò.	Combinabis Literam.	Primam.	B.	Cum omnibus ordine ſequentibus literis in circulum.	Et habebis.	Primam Columnam.	Combinationis factæ.
Secundò.		Secundam.	M.			Secundam Columnam.	
Tertiò.		Tertiam.	D.			Tertiam Columnam.	
Quartò.		Quartam.	P.			Quartam Columnam.	
Quintò.		Quintam.	S.			Quintam Columnam.	
Sextò.		Sextam.	Vo.			Sextam Columnam.	
Septimò.		Septimam.	Vi.			Septimam Columnam.	
Octavò.		Octavam.	Ve.			Octavam Columnam.	
Nonò.		Nonam.	G.			Nonam Columnam.	

Tabula Combinationis expanſæ Literarum Alphabeti.

1	B M	M D	D P	P S	S Vo	Vo Vi	Vi Ve	Ve G	G B
2	B D	M P	D S	P Vo	S Vi	Vo Ve	Vi G	Ve B	G M
3	B P	M S	D Vo	P Vi	S Ve	Vo G	Vi B	Ve M	G D
4	B S	M Vo	D Vi	P Ve	S G	Vo B	Vi M	Ve D	G P
5	B Vo	M Vi	D Ve	P G	S B	Vo M	Vi D	Ve P	G S
6	B Vi	M Ve	D G	P B	S M	Vo D	Vi P	Ve S	G Vo
7	B Ve	M G	D B	P M	S D	Vo P	Vi S	Ve Vo	G Vi
8	B G	M B	D M	P D	S P	Vo S	Vi Vo	Ve Vi	G Ve

Combinatio I. *Contracta.*



Combinatio contracta eſt illa, quæ fit per Schematiſmos lineares, quibus principia in ſe invicem ducuntur, ut in figura A. apparet, in qua vides, quæcunque in Tabula habentur per expanſam Combinationem, ea obtineri per Schema Combinationis contractæ; B. enim in oppoſitos terminos per lineas combinata tot efficit combinationes, quot expanſa, videlicet 81. Siquidem 9. in ſe ducta dant 81. Contractam dicimus, quia minorem locum occupat, & facilè memoriæ mandatur ob paucitatem literarum; Et quamvis reliquos Alphabeti terminos expanſè combinare potuiſſimus, conſultiùs tamen eſſe, ratus ſum, eorum multiplicationem per contractas Tabulas exhibere. Combinatis itaque primò literis Alphabeti, ſequitur Secunda Combinatio, quâ prima principia abſoluta conjunguntur cum principiis reſpectivis, quæ ſecundum in ordine Alphabeti locum obtinent.

Expoſitio tabulæ contractæ.

Tertia combinatio eſt principiorum tum abſolutorum, tum reſpectivorum cum Quæſtionibus, quæ tertium in Alphabeto ordinem ſervant.

Quarta combinatio eſt principiorum tum abſolutorum, tum reſpectivorum cum Subjectis


jectis univerſalibus, quæ quartum in Alphabeto locum poſſident.

Quinta Combinatio eſt principiorum cum virtutibus moralibus, quæ quintum in Alphabeto locum obtinent.

Sexta Combinatio eſt principiorum cum vitiis, quæ ſextum in Alphabeto locum habent. Schematiſmi Combinatorii ſequuntur.


Combinatio II. *principiorum reſpectivorum cum abſolutis.*

Combinatio III. *principiorum abſolutorum & reſpectorum cum Quæſtionibus.*



Combinatio IV. *SubjeCtorum Univerſalium cum principiis abſolutis.*

Combinatio V. *Virtutum cum principiis abſolutis,*



Vitia deducuntur per oppoſita Virtutibus,

Ex his ſex Schematiſmis naſcuntur propoſitiones omninò 486, quorum unuſquiſque Schematiſmos continet 81, quæ in 6. ducta, dant dictum numerum 486, & hoc tantùm quoad ſimplices Alphabeti terminos; quos ſi per terminos implicitos & ad principia reducibiles multiplicaveris, propoſitionum non erit numerus nec finis. Unde patet, quanta hinc in propoſito quolibet argumento propoſitionum multitudo & varietas enaſcatur. Sed jam uſum factarum Combinationum oſtendamus.

CAPUT

CAPUT II.

De Uſu Alphabeti mirifici juxta ſimplices terminos in ſingulis columnis conſideratos.

Oc Alphabetum in Arte noſtra quintuplicem potiſſimum Uſum habet, quos ea qua fieri poteſt, brevitate perſtringam.

I. Uſus. Primus Uſus eſt, quamlibet quæſtionem ad abſoluta Artis principia reducere, quæ reductio hoc pacto fiet. Sit quæſtio, An DEUS perfectus ſit? reduces (perfectus) ad B. id eſt bonitatem, cujus terminus implicitus eſt, & vocem (DEUS) ad ſubjectorum univerſalium △. quo DEUM ſignificamus; ſtabitque quæſtio hiſce notis ſignata. An △. B. Hoc peracto applicabis omnia ea, quæ in prima Columna B. continentur, eo ordine, quo in margine. Sic ergo per ſingulos terminos primæ columnæ Alphabeti argumentaberis. (margin: I. Col. Alphabeti.)

B. 1. Per B. Quicunque omnes *perfectiones* rerum abſolutè continet, *bonus* eſt. DEUS eſt talis. Ergo.

⚌. 2. Per ⚌. Illud eſt bonum & perfectum, quod in ſe omnes *differentias* communicationis continet. DEUS eſt talis. Ergo.

Utrum. 3. Per Utrum. Omne ens neceſſarium & independens à quolibet alio, eſt bonum & perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.

△. 4. Per △. Cui nihil deeſt, omnem ſufficientiam habens, bonus & perfectus eſt. DEUS eſt talis. Ergo.

Juſtit. 5. Per Juſtit. Omne quod intrinſecam & eſſentialem juſtitiam habet, unicuique quod ſuum eſt diſtribuit, illud bonum & perfectum eſt. DEUS eſt talis. Ergo.

Avarit. 6. Per Avarit. Omne quod ex ſe & ſua natura vim diffuſivam habet omnis boni communicabilis, omnis *avaritiæ* expers, illud bonum & perfectum eſt. DEUS eſt talis. Ergo.

Haud ſecus in reliquis Columnis tibi procedendum eſſe ſcias. Ut ſi quæſtio ſit de DEI magnitudine, duratione, potentia, ſapientia &c. argumentando juxta ſex terminos in ſingulis Columnis conſtitutos.

II. Uſus. Secundus Uſus Alphabeti eſt, docere aptas rerum diviſiones. Si enim quidpiam dividendum ſit, primò illud ad ſua principia deducendum erit; *V. G.* de hominis diviſione, ſic per ſex terminos primæ Columnæ diviſionem hominis inſtitues.

1. Per B. Dices alium hominem eſſe probum, alium reprobum, ſive alium bonum, alium malum; & ſic per omnia moralia ad B. reducibilia procedes.
2. Per ⚌. Alium eſſe magnis naturæ talentis inſtructum, alium brutali quaſi ignorantia obrutum.
3. Per Q. Utrum. Quæ cum poſſibilitatem, impoſſibilitatem, neceſſitatem & contingentiam rerum connotet, Dices, alium hominem eſſe Reipublicæ neceſſarium, alium non neceſſarium.
4. Per △. Alium eſſe divinum, alium mundanâ concupiſcentiâ abſorptũ.
5. Per Juſt. Alium eſſe juſtũ, alium injuſtum.
6. Per Avarit. Alium eſſe avarum, alium inſigni liberalitate & munificentiâ illuſtrem.

Et hoc pacto iterum per ſingulas Columnas progredieris; adaptando diviſionem ſingulis terminis in iis contentis. II. Col.

M. 1. Per M. Alium eſſe dices magnum, alium parvum, ſive id de quantitate molis, ſive virtutis intelligas.

♡. 2. Per ♡. Aliũ eſſe concordem & pacific. aliũ diſcordem & contentioſ.

Quid. 3. Per Quid. Alium eſſe eſſentialiter hominem, alium analogicè.

[symbol]. 4. Per [symbol]. Alium eſſe Angelicis moribus imbutum, alium diabolicis.

Prudent. 5. Per Prud. Alium prudentiæ laude clarere, alium imprud. & ſtolidum eſſe.

Gula. 6. Per Gulam. Alium eſſe guloſum, alium ſobrium.

In Columna D. ſecundum ordinem terminorum, diviſionem hominis, eo, qui ſequitur, modo inſtitues. III. Col.

D. 1. Per D. Dices, alium hominem eſſe brevis, alium longæ vitæ.

o●. 2. Per o●. Alium eſſe ſanguineum, alium eſſe melancholicum.

De quo. Unde. 3. Per Q. Unde. Alium eſſe legitimum, alium illegitimum.

◎. 4. Per ◎. Alium eſſe cœleſtium rerum contemplationi deditum, alium terreſtrium.

Fortit. 5. Per Fortit. Alium eſſe fortem, alium debilẽ.

Luxur. 6. Per Luxur. Alium laſcivum, alium caſtum.

Hæc ampliare in immenſum poteris, non tantùm per deſcenſum in Columnis perpendicularem, ſed & per ingreſſum lateralem ſive tranſverſum. *V. Grat.*

1. Quomodo homo dividitur juxta ſeriem literarum B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.
2. Quomodo homo dividitur juxta ſeriem principiorum reſpectivorum. ⚌. ♡. o●. α. ⊙. ω. M. Æ. Min.
3. Quomodo hominis diviſio examinatur juxta ſeriem quæſtionum: *An. Quid. Unde. Cur. Quantum. Quale. Ubi. Quando. Qui.*

O 4. Quo-

4. Quomodò hominis divisio describatur per novem Subjecta universalia. △. [symbol]. ◎. □. [symbol]. [symbol]. [symbol]. ⬠. ∴.
5. Quomodò per omnes virtutes divisio fiat.
6. Quomodò per omnia vitia hominis divisio instituatur.

III. Usus. Tertius Usus Alphabeti servit definitionibus rerum, quas Alphabeti termini suppeditant; *Verb. Grat.* Materiam primam ita definies per terminos in prima Columna positos.

1. Per B. Dices Materiam primam esse ens *bonum* corporeum passivum primum *comunicabile*.
2. Per =. Esse totaliter *differentem* ab actu & forma.
3. Per utrum. Esse ens necessarium ad compositionem rerum.
4. Per △. Esse à DEO primam omnium productam.
5. Per fortit. Recipere formas *potentiæ* suæ proportionales.
6. Per avarit. Esse insatiabiliter *appetitivam* formarum.

Quæ per lateralem quoque seu transversum ordinem definire poteris.

IV. Usus. Quartus Usus est topica locorum constitutio ad arguendum in quolibet proposito, per primæ Columnæ descensum. *V. G.*

1. Per B. Alius est locus arguendi à bonitate, utili, convenientia.
2. Per =. Alius à differentia bonitatis rei propositæ.
3. Per utrum. Alius à possibilitate, necessitate, contingentia, impossibilitate.
4. Per △. Alius à divinitate.
5. Per just. Alius à justitia.
6. Per Avarit. Alius ab avaritia.

Potes & hæc loca per lateralem ingressum deducere à B. M. D. &c. Sed ponamus exemplum.

Quæritur an quantitas distinguatur à corpore quanto? Respondeo, quod sic. Et hoc per transversum ingressum Alphabeti, ita probatur.

à B. Omne quod habet *communicationem* realem distinctam à substantia seu re quanta, id distinguitur ab ea.
Sed quantitas habet talem *communicationem*. Ergo.
Quia per se & essentialiter extendit subjectum.

à M. Quod causat *extensionem* realem in corpore, distinguitur ab eo, quod extendit.
Sed quantitas causat *extensionem* realem. Ergo.
Substantiæ enim non est extendere, sed per se subsistere.

à D. Quod habet *durationem* realem naturaliter priorem, distinguitur realiter ab eo, ideo quod habeat eâ durationem posteriorem.
Sed substantia habet priorem. Ergo.
Prius enim est esse, quàm adesse, priùs esse per se, quàm per accidens.

à P. Quod habet *potentiam* extensivam ex se & sua natura, distinguitur ab eo, quod ea caret.
Quantitas ita se habet. Ergo.

Non aliter de reliquis ordine principiis procedendum tibi esse scias.

Quintus Usus docet, de qualibet proposita quæstione amplè differere; atque hoc tum vel maximè fit, quando rem propositam Quæstionibus Alphabeti applicamus. V. Usus.
V. G. Fiat quæstio de hominis bonitate.

Primo; Per *Utrum*. Quæres. An homo. B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. sit; transversali ordine.
Per *Quid*. Essentiam ejus definies, quod sit animal rationale, procreans sibi simile.
Per *De quo*. Ex quibus componatur; unde sit.
Per *Quare*. Quis sit finis hominis creati.
Per *Quantum*. Quantus sit, quoad virtutes & operationes naturales.
Per *Quale*. Qualis sit quoad virtutes morales aut vitia.
Per *Quando*. Quando natus sit, ex quo tempore, sub qua constitutione Cœli.
Per *Ubi*. Ubi, in qua regione, urbe, oppido, &c. quibus parentibus.
Per *Quomodo*. Quomodo constitutus sit, quoad naturalem inclinationem.
Per *Cum quo*. Qualis sit in operatione sive facultatibus animæ & corporis.

Hæc eadem fusè deducere poteris per novem subjecta universalia, novem moralia, & novem vitiosa comparando ea cum △. [symbol]. ◎. □. [symbol]. [symbol]. [symbol]. ⬠. ∴. Qualis sit in virtutibus, qualis in vitiis.

CAPUT III.

Demonstratio practica per Exempla.

His itaque dicto modo obiter ostensis, nihil restat, nisi ut quæcunque hucusque de usu Alphabeti recensita sunt, paradigmate quodam plenius declaremus. Sit itaque quæstio nobis propsita talis; An vita activa sit perfectior contemplativa? Respondeo quod contemplativa, & variis modis demonstratur.

I. Modus

I. *Modus per Abſoluta principia ſimpliciter.*

Per		Quæ		
Per B.	Illa vita eſt perfectior,	Quæ majora *bona* ſecum adducit.	Talis eſt, Hoc facit,	Vita contemplativa. Ergo.
Per M.		Quæ hominem *integriorem* & capaciorem reddit.		
Per D.		Quæ homini in omnibus actionibus *conſiſtentiam* dat.		
Per P.		Quæ hominem contra diabolum *potentem* reddit.		
Per S.		Quæ hominem divinarum rerum *notitia* imbuit.		
Per Vo.		Quæ *voluntatem* hominis perfectè dirigit.		
Per Vi.		Quæ ſummum *virtutum* augmentum trahit.		
Per Ve.		Quæ hominem *veritatibus* æternis inſtruit.		
Per G.		Quæ homini oſtendit veram viam ad *gloriam* æternam.		

II. *Modus per principia reſpectiva.*

Per		Quæ	
Per ⚌.	Illa vita eſt perfectior,	Quæ hominem *ſeparat* ab omni mundana converſatione.	Hoc facit vita contemplativa. Ergo.
Per ♡.		Quæ hominem *unit* DEO.	
Per ○●.		Quæ homini non *amorem* ſed *odium* ingerit Mundi.	
Per α.		Quæ bonorum cœleſtium *affluentiam* cauſat.	
Per ⊙.		Quæ homini varia ad ſalutem media ſuggerit.	
Per ω.		Qua homo perfectiùs *finem* ſuum ultimum cognoſcit.	
Per M.		Quæ hominem ſupra cæteros *exaltat* in notitia rerum divinarum.	
Per Æ.		Quæ hominem *æqualem* facit Angelis.	
Per Min.		Quæ in homine *minuit* peccata & pravas affectiones.	

III. *Modus per duplicatas literas, juxta Combinationes literarum in Tabula deſcriptarum, tam perpendicularem, quàm lateralem ingreſſum.*

Per		Quæ	
Per B M.	Illa vita eſt perfectior,	Quæ hominem perficit & magnum facit in virtutibus.	Hoc facit vita contemplativa. Ergo.
Per B D.		Quæ hominem bonum reddit & conſtantem in exercitio virtutum.	
Per B P.		Quæ hominem bonitate vitæ potentem reddit contra omnia vitia & peccata.	
Per B S.		Quæ hominem ob acquiſitam bonitatem vitæ, ſapientia & cœleſti luce replet.	
Per B Vo.		Quæ hominem ſummum bonum unicè *appetere* facit.	
Per B Vi.		Quæ hominem conſumata *virtutum perfectione* imbuit.	
Per B. Ve.		Quæ hominem bonis cœleſtibus, & *veritate* legis æternæ informat.	
Per B G.		Quæ hominem *beatitudine gloriæ* æternæ frui facit.	

Per B ▭.	Illa vita eſt perfectior,	Quæ homini *differentiorem bonitatem* & perfectionem tribuit.	Hoc facit vita contemplativa. Ergo.
Per B ♡.		Quæ hominem *ſummo bono* per *conformitatem* & aſſimilationem DEO perfectè unit.	
Per B o●.		Quæ hominem DEUM perfectè *amare*, & omnia illi *contraria* odiſſe docet.	
Per B α.		Quæ magnam homini *bonorum* meritorumque accumulationem cauſat.	
Per B ⊙.		Quæ homini *media* perfectiſſima ad ſummo *bono* fruendum, ſubminiſtrat.	
Per B ω.		Quæ hominem in ſummo *bono*, ſeu ultimo *fine* requieſcere facit.	
Per B M.		Quæ hominem *ſanctitate majori* condecorat.	
Per B Æ.		Quæ hominis *bonitatem* divinæ bonitati magis *aſſimilat*.	
Per B Min.		Quâ omnia *bona* terrena & carnalia *deficiunt* & deſpiciuntur.	

IV. *Modus juxta terminos in ſupremis columnis contentos.*

Per B. cum ▭	Illa vita eſt perfectior,	Quæ homini ſummam vitæ *bonitatem* confert, dum eum *ſeparat* ab omnibus Mundi delectamentis licitis & illicitis.	Hoc facit vita contemplativa. Ergo.
Per B. cum Q. utrum.		Quæ hominem cogit & *poſſibilitatem* tribuit, ut ſit *bonus* & perfectus.	
Per B. cum △.		Quæ in *bonitate* & perfectione DEO magis ſe conformat.	
Per B. cum Juſtit.		Quâ majora & perfectiora *bona* acquiruntur ad augendam *juſtitiam* & ſanctitatem.	
Per B. cum Avaritia.		Quæ minorem *avaritiam* & cupiditatem *bonorum* temporalium, majorem verò appetitum cœleſtium ingerit.	

Ecce habes hîc propoſitum argumentum per 40 Syllogiſmos, vel ex unica primæ figuræ Columna ordine deductos, comprobatum.

Si jam argumentum ulteriùs urgere tibi libeat, perges ad II. Columnam M. & eodem, quo hîc præſtitimus, ordine & methodo propoſitiones formabis. Duplici verò ſemita progredieris, vel perpendiculari per deſcenſum in Columnis, vel per lateralem ſeu tranſverſum ingreſſum.

V. Gr. Examinando dictum thema per Quæſtiones: *Utrum, Quid, De quo, Quare,* & ſic de cæteris in tranſverſali tabulæ ordine diſpoſitis.

Vel perpendiculariter procedendo ſecundum ordinem terminorum per deſcenſum intra ſingulas Columnas contentorum.

Vel per lateralem ſeu tranſverſum ingreſſum juxta ordinem literarum B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. Poſt deductum thema per dictos modos, ſequitur deinde ordo Quæſtionum. Per tranſverſum ingreſſum ita progredieris.

Per B. cum Q. Utrum. An vita contemplativa perfecta detur? Quid ſit? & in quo conſiſtat? quomodò inſtituenda? & ſic de cæteris ordine Quæſtionibus. Poſt hæc ſequitur per novem Subjecta univerſalia progrediendi modus.

Per B. cum [symbol]	Illa vita eſt perfectior,	Quæ *bonitate Angelis* hominem conformat, aſſimilat, unit.	Talis eſt vita contemplativa. Ergo.
Per B. cum ◎.		Quæ *mentes* perpetuò ad *Cæleſtia* evehit.	
Per B. cum □.		Quæ tranſcendit communia vitæ Chriſtianæ *Elementa*, DEOque aſcenſu mentis propior fit.	

Hoc

Hoc pacto progredieris per reliqua Subjecta generalia, ſemper illa applicando ad B.

Finita combinatione propoſitionum per primam Columnam, adibis ſecundam Columnam, ſignatam literâ M. cujus ope eodem ordine & methodo per deſcenſum, thema aſſumptum deduces.

V. G. Per B. ♡. Quid. ♔. prudentia. gula. Deinde accedes ad Columnam III. IV. V. &c. adaptando thema tuum ad res in iis contentas tam tranſverſali, quàm perpendiculari deſcenſu. Quæ omnia proprio Artiſtæ induſtriæ relinquo: Ex dato enim hic exemplo, facilè reliquorum applicationem advertes. Certè multitudo argumentorum, ſi ad computum reducatur, ex unica hac octo columnarum figura, facilè ad 2000 argumentorum emerget de unica hac quæſtione. Quod haud difficulter demonſtrare poſſemus, niſi temporis anguſtiæ & Combinationis vaſtitas obſtarent.

CAPUT IV.

De Definitionibus Artis.

QUamvis in Primo Libro fuſè prima Artis noſtræ principia definierimus, quas & in Secundo Libro ordine deſcriptas reperies; hoc tamen loco, ea paulò profundiùs exponemus; Cum in iis totus rerum Cardo verſetur.

Definitiones, propoſitiones ſunt, rei eſſentiam explicantes, & ſumuntur primo à quatuor generibus cauſarum; & ſubinde ſumuntur à materia. *V. G.* Homo ex parte materiæ, animal eſt erecto corpore progrediens. Interdum à forma; ut Homo eſt animal rationale. Aliquandò à fine: ut homo eſt animal beatificabile. Nonnunquam ab efficiente; ut homo eſt animal rationale creatum à Deo cum participatione divinitatis.

Variæ definitiones hominis.

Cum itaque Artis noſtræ termini ſint tranſcendentales & generaliſſimi, definitiones, quæ ex iis conſtituuntur, generaliſſimas eſſe neceſſe eſt; In quibus ſumitur aliquid, tanquam genus, & aliquid tanquam differentia. *V. G.* in definitione bonitatis: Bonitas eſt, ratione cujus bonum agit bonum; hìc ultima verba (bonum agit bonum) ſupponunt pro differentia; & hoc pacto omnia principia noſtra definiuntur. *Ver. Gr.*

B. cum B.	Bonitas eſt ens,	Ratione cujus *bonum* agit *bonum.*
B. cum M.		Ratione cujus *bonum* agit *magnum bonum.*
B. cum D.		Ratione cujus *bonum* agit *bonum durabile.*
B. cum P.		Ratione cujus *bonum* agit *bonum potens.*
B. cum S.		Ratione cujus *bonum* agit *bonum cognitionis* & intelligentiæ.
B. cum Vo.		Ratione cujus *bona* omnia *amantur* & *appetuntur.*
B. cum Vi.		Ratione cujus *bonum* agit *bonum virtuoſum.*
B. cum Ve.		Ratione cujus *bonum* agit *bonum verum.*
B. cum G.		Ratione cujus *bonum* agit *bonum glorioſum.*

Definitiones per multiplicationem Principiorum.

Bonitas eſt ratione cujus	B. agit	Bonum.
		M. B. Magnum bonum.
		M. D. B. Magnum durabile bonum.
		M. D. P. B. Magnum durabile potens bonum.
		M. D. P. S. B. &c.
		M. D. P. S. Vo. B.
		M. D. P. S. Vo. Vi. B.
		M D. P. S. Vo. Vi. Ve. B.
		M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. B.

Deductio principiorum per paraphrasin analyticam.

Paraphrastica deductio principiorum ex bonitate est, quando unum deducitur & demonstratur ex altero, uti sequitur.

Bonitas per se est ratio bono, ut agat bonum; & quia est magna, per magnitudinem est ratio duplicata bono, ut producat magnum bonum.

Bonitas per durationem est durabilis, & sic per durationem est ratio bono, ut producat bonum magnum durabibe.

Bonitas, quia est bonum magnum durabile est ratio quadruplicata bono, ut producat per potestatem bonum magnum, durabile, potens.

Bonitas, quia est Bonum Magnum Durans, Potens, est ratio quintuplicata, ut producat per Sapientiam Bonum M. D. P. magnæ scientiæ, & sic de cæteris, quæ facilè ex dictis deducuntur.

Per principia verò Respectiva, ita procede.

Bonitas per:

- =. Est *clara* & non confusa, & sic est ratio bono, ut producat à se bonum clarè & à seipso *distinctum*.
- ♡. Est *concordabilis*, & sic bonum & concordantia, & sic est ratio bono, ut concordantiâ producat bonum concors.
- o●. Est contra malitiam, & sic *contrarietas* est ratio bono, ut sit contraria malitæ.
- α. Habet rationem *principii*, & sic est ratio bono, ut producat effectivè bonum *principiatum*.
- ⊙. Habet rationem *medii*, & sic est ratio bono, ut cum *medio* producat bonum.
- ω. Habet rationem *finis*, & sic est ratio bono, ut producat bonum perfectum.
- M. Habet rationem *Majoritatis*, & sic est ratio bono, ut producat bonum majoritate pollens.
- Æ. *Æqualiter* est ratio bono, ut producat bonum *adæquatum*.
- Min. Est ratio bono, ut hîc & nunc producat bonum *minus*.

Hæc iterum omnia per Quæstiones deduci possunt. Ut. An. Quid. Quantum. Quale. Quî. &c. Finita denique deductione bonitatis ex principiis, procedes ad reliqua M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. principia, eodem ordine & methodo per Combinationem eorundem deducenda.

Quæ quidem definitiones possunt non solùm simpliciter & singulariter, non uno solo principio fieri, sed possunt multiplicari & disponi cum aliis principiis binatim, triplatim &c. Ut si bonitatem comparemus cum magnitudine; Dicimus bonitatem esse, quæ cum magnitudine agit bonum magnum. Si cum duratione, dicimus esse bonum magnum durans, & sic de cæteris, uti suprà patuit. Si cum Potentia, dicimus esse bonum magnum durans, potens, uti in pinacio suprà posito patet; quanto enim major est definitionum multiplicitas, tanto major habetur cujuscunque definitionis & principii notitia.

Ex. Gr. Si quæratur, An philosophia naturalis sit scientia? Primò Philosophiam naturalem ita definiemus.

Philosophia naturalis:

- Per B. Est *communicatio* notitiæ rei sensibilis & mobilis.
- Per M. Est intellectus *extensio* ad totale ens sensibile & mobile.
- Per D. Est habitus *perseverans* in cognitione rei sensibilis.
- Per P. Est qualitas *potens*, quæ existit in intellectu, & inde haurit notitiam rei sensibilis.
- Per S. Est *lumen* ordinatum ad manifestandas omnes res sensibiles.
- Per Vo. Est *appetitus* intrinsecus naturalis incitans ad rerum sensibilium notitiam & cognitiones acquirendas.
- Per Vi. Est *vis* à natura homini insita ad sciendum ordinata.
- Per Ve. Est vis, qua objecta sensibilia fiunt *conformia intellectui* ad cognoscendas causas rerum naturalium.
- Per G. Est motiva vis, qua intellectus cognitâ causâ rei naturalis, veluti *adepto fine quiescit & gloriatur*.

Deinde

Deinde hæc omnia ulterius per Quæſtiones extendi poſſunt. *Ver. Gr.* Si quæratur, An philoſophia naturalis ſit ſcientia; Cùm enim ſcientia ſit habitus ex principiis noviſſimis & primis comparatus, certum eſt, poſſe definiri per eadem principia. Reſpondetur itaque.

Per B. Omnis *perfectio* intellectus comparata per principia, eſt ſcientia.
Philoſophia naturalis eſt talis.
Ergo.

Per M. Omnis notitia *integrata* ex talibus principiis, eſt ſcientia.
Philoſophia eſt talis notitia. Ergo.

Per D. Omne lumen *perſeverans* in intellectu per talia principia, eſt ſcientia.
Philoſophia naturalis eſt tale lumen.
Ergo.

Et hoc pacto procedes in reliquis ordine principiis enucleandis ad propoſitum thema demonſtrandum.

Rurſus. Quodlibet pariter principium per quadruplicem cauſam definiri poteſt, in quolibet cujuſcunque ſpeciei individuo aſſumpto. *Ver. Gr.* Bonitatem roſæ definimus materialiter per ſubſtantiam roſeam; per virtutem vegetativam taliter determinatam formaliter; per bonitatem finis, quia ad delectationem hominis & corroborationem capitis à natura ordinata conſideratur finaliter; per cauſam efficientem, in quantum ad ejus productionem concurrit effectivè calor cœleſtis.

Ver. Gr. Si quæratur, quid ſit bonitas roſæ?

Reſpondeo; Per B.
- A materia. Eſſe ſubſtantiam roſeam.
- A forma materiali. Eſſe ſubſtantiam vegetativam roſæ congruam.
- A fine materiali. Eſſe ſubſtantiam roſeam utilem capiti.
- Ab efficiente materiali. Eſſe ſubſtantiam roſeam naturæ & cœleſtis caloris vi productam.

Iterum ſi quæratur; Quid ſit magnitudo roſæ.

Reſpondeo; Per M.
- Eſſe florem trina dimenſione quantum. A materia.
- Eſſe florem copioſa foliorum fœtura excellentem. A forma materiali.
- Eſſe florem odore mirifico caput recreantem. A fine materiali.
- Eſſe florem naturæ benignitate productum. Ab efficiente materiali.

Hoc pacto per omnia principia progrediendo dabis definitionem roſæ ex parte cauſæ materialis.

Deinde cauſam formalem roſæ per totidem argumenta deduces.

Tertiò per cauſam formalem & efficientem per totidem argumenta ex novem principiis deſumpta dilatabis; & hoc pacto procedendò habebis de ſola roſa definitiones 180. quas & de quolibet cujuſvis ſpeciei individuo aſſignare poteris.

Totidem definitiones aſſignare poteris ex contrariis & negativis, juxta quadruplex cauſarum genus. *Ver. Gr.* Si ageretur de malis qualitatibus alicujus metalli, notanda eſſet malitia ex parte materiæ, ex parte formæ, ex parte finis contrarii, ex parte efficientis, ex depravato halitu humorum.

Atque hæc de definitionibus principiorum ſufficiant: vide quæ in ſequentibus fuſiùs dabimus de principiorum Combinatione.

PARADIGMA.

Sed ut dicta exemplo confirmentur. Sit iſta quæſtio propoſita; An patre & filio in neceſſitate conſtitutis, teneatur quiſpiam, potiuſne patri an filio ſubvenire? Hanc quæſtionem Sanchez quoque tractat, etſi aliquantulum obſcuriùs in ſua methodo.

Hanc quæſtionem ad ſuos terminos hac arte reduces. Pater & filius reducatur ad ♈. neceſſitate conſtitutis ad B. Subvenire quoque cum ſit idem quod benefacere, terminus eſt reducibilis ad bonitatem. Cùm itaque hoc verbum, ſubvenire, totius quæſtionis ſtatum complicet, & variis modis intelligi poſſit; totam varietatem hujus verbi per applicationem ad principia factam, nullo negotio exhaurire poteris, hoc pacto.

Per { … } Subvenire est, { … }

Per B.	Subvenire est,	Alicui *benefacere* per auxilium *necessarium*.
M.		Alicui *integritatem* & *augmentum* tam in bonis externis quàm internis cum benevolentia procurare.
D.		Aliquem à maximi damni periculo *conservare*.
P.		*Corroborare* & *confirmare* afflictos, ut *possint* resistere tribulationibus.
S.		*Industriam* & *scientiam* propriam adhibere ad aliquem à periculo liberandum.
Vo.		*Voluntario compassionis affectu* aliquem in periculo constitutum juvare, quà consiliis, quà auxiliis.
Vi.		*Viribus* deficientibus in proximo, earundem defectum instaurare.
Ve.		Aliquem in bono sibi convenienti *firmare*, eumque à malo imminente eripere.
G.		*Quietem* alicui in bono possesso procurare.
=.		Aliquem *removere* & *separare* à periculo sibi instanti.
♡.		Aliquem in stabili, & *convenienti pace* confirmare, *pacificum reddere*, *pacem conciliare*.
o•.		A *contrariis* aliquem eripere.
α.		*Principia* consiliorum dare alicui, quibus se dirigere valeat in tempore necessitatis.
⊙.		*Media sufficientia* subministrare ad se juvandum.
ω.		Juxta *finem perfectum* cujusque rei, benefacere alicui.
M.		Aliquem ne cadat à *majoritate*, in qua constitutus est, adjuvare.
Æ.		Aliquem in *æqualitate* debita seu proportione sui status, ne periclitetur, conservare.
Min.		Aliquem ab *infimo* ad sublimiorem statum *exaltare*.

Vides igitur ex hoc Exemplo, quomodò vel ipsa verba principiis nostris applicata ingentem suggerant dicendi discurrendique materiam. Hoc itaque expedito, jam ad propositum nobis thema deducendum, progrediamur. Respondetur itaque. Primò subveniendum Patri quàm filio, utroque in necessitate constituto. Et ita probatur.

Per { … } Illi magis debetur subventio & auxilium, { … }

Per B.	Illi magis debetur subventio & auxilium,	Cui magis propter accepta beneficia obligamur. Sed Patri magis obligamur. Ergo. Ratio minoris, quia filius à patre habet esse & vivere. Ergo.
M.		A quo majora bona accepimus. A patre *majora* bona accepimus. Ergo.
D.		Cui debetur *conservatio* nostri, & sustentatio. Patri debetur conservatio nostri & sustentatio. Ergo.
P.		Qui nobis ut essemus & possemus *principium* dedit. Talis est pater. Ergo.
S.		Cujus *institutione* optimè educati sumus. Patris institutione educati sumus. Ergo.
Vo.		Qui nos majori *amore* & *favore* suscepit, susceptos educavit. Talis est pater. Ergo.
Vi.		A quo processerunt in nobis existentes omnes *virtutes* naturales & morales. A patre processerunt &c. Ergo.
Ve.		A quo *verum* esse & reale suscepimus. A patre suscepimus &c. Ergo.
G.		Cujus bonis & beneficiis *fruimur* & *gloriamur*. Patris bonis & beneficiis fruimur. Ergo.

Per

Per { ⚌. ♡. ☌. α. ☉ & M. ω. Æ. Min. } Illi magis subvenire debemus {

Cum quo *differentiores* majoresque obligationum titulos habemus.
Sed erga patrem, quam erga filium differentiores obligationum habemus titulos. Ergo.

Cui magis *concordat* & convenit naturalis æquitas & justitia.
Sed subvenire patri in casu proposito, convenit magis æquitati & justitiæ. Ergo.

Cui debemus majorem cæteris amorem, non verò eidem subveniendo, *contrarium* amori debito facimus.
Hoc fit non subveniendo Patri. Ergo.

Ubi plures concurrunt *causæ* ad subveniendum.
Sed in patre plures sunt causæ subveniendi, quam in filio. Ergo. Quia à patre omnia habemus.

A quo *majora* nobis ad benè beatèque vivendum *media* sunt suppeditata.
A patre hoc factum est. Ergo.

Ubi *finis* justitiæ & debitæ gratitudinis major apparet.
Sed hoc contingit in periculo patris, non in filii. Ergo.
Quia ad patris necessitatem omnia quæ filius à patre habet, concurrere debent, debito justitiæ.

Quod est fundamentum *similitudinis* termini comparati ad patrem.
Sed pater est fundamentum &c. Ergo.

Qui major est illo, qui *minor est*, scilicet causæ, quàm effectus.
Filius minor est patre, qui effectus est parentis. Ergo. }

Patet igitur, parenti & filio in necessitate constitutis, priùs patri, quàm filio subveniendum esse.

Objectiones.

Objectio 1. per B. Illi magis tenemur subvenire, à quo major resultat communicatio boni per propagationem & conservationem familiæ.
Sed major resultat communicatio boni in filio, quàm in patre. Ergo.

℞. Concedendo Majorem, & negando Minorem. Quia in communicatione boni per filium attenditur tantùm boni communis respectus, non verò in proposito themate, in quo particularis necessitas utriusque attenditur, atque adeò plus tenemur gratitudini & debitæ justitiæ titulo opitulari patri quàm filio.

Objectio 2. per M. Illi tenemur magis subvenire, qui in majori necessitate constitutus est.
Sed ponamus filium per se alere se non posse, & majori necessitate premi. Ergo magis filio, quàm patri.

℞. Hanc objectionem esse contra casum; ponit enim patrem non æquali cum filio necessitate constitutum esse, sed melioris patrem, pejoris filium conditionis esse. Et hoc pacto concedo majorem, in æquali casu necessitatis, nego.

Objectio 3. per D. Illud bonum tenetur quis magis conservare, quod amplius & diutius potest durare.
Sed periclitantibus patre & filio, magis tenemur conservare bonum filii quàm patris.
Ergo magis tenemur subvenire filio quàm patri; quia filius magis durabilis est bono communi, quàm pater.

℞. Bonum filii in communi consideratum magis debere conservari, quia durabilius est, concedo. In casu hoc particulari, nego. Quia ratione gratitudinis & justitiæ magis obligamur subvenire patri, quàm filio in æquali necessitatis statu constituto.

His itaque probatis, jam quomodò juxta Artis nostræ principia Consectaria formari possint, videamus.

Patet itaque ex dictis, & supposito Patrem & filium in æquali necessitate constitutos.

1. Per B. Illi majora *bona communicari* debere, à quo majora bona processerunt, & consequenter majora bona patri quàm filio.

2. Per M. *Majora* signa reverentiæ deberi parenti, quàm filio, ob dictas rationes.

3. Per D. Magis teneri nos ad *conservandos* parentes, & ad subministranda ipsis necessaria, quàm ad filios in rigore justitiæ.

4. Per P. Magis teneri ex tota *potentia* succurrere parentibus, quàm liberis in necessitate constitutis.

5. Per S. Si dato casu parens inciderit in hæresin aut vitium; magis nos teneri ad *instruendum* patrem & ad reducendum, quàm ad filium.

6. Per Vo. Majora *amoris* & *benevolentiæ* signa exhiberi debere patri, quàm filio.

7. Per Vi. Magis teneri nos ad procurandum remedia patri, in casu, quo periclitatur de *virtutis* possessione, quàm filio.

8. Per Ve. Magis teneri nos ad *stabiliendum* patrem ne cadat spiritualiter aut corporaliter, quàm ad filium, ob rationes dictas.

9. Per G. *Gloriam* majorem & honorem deberi patri quàm filio.

10. Per ⚌. In *differentibus* causis deviantibus à patre & filio, priùs teneri aliquem ad patrocinandum patri quàm filio.

11. Per ♡. In casu *divisionis* jurgii & dissensionis, quæ contingere possunt cum patre & filio, priùs eum teneri ad *reconciliandum* patrem, quàm filium.

12. Per ○●. Magis peccare eum, qui *amorem* patri debitum in *odium* convertit, quàm si in filium.

13. Per α. In *causa* defensionis à periculo mortis, alteriusve mali, magis procurandam salutem patris, quàm filii.

14. Per ⊙. Majora *media* salutis teneri aliquem adhibere tam in bonis spiritualibus quàm corporalibus in ordine ad patrem iis expertem, quàm ad filium, pariter iis indigentem.

15. Per ω. Majorem esse *finem* subveniendi patri, quàm filio, ob summas obligationes patri debitas.

16. Per M. *Majus* esse debitum naturale in auxilio præstando patri, quàm in præstando filio, quia filius à patre accepit totum esse suum.

17. Per Æ. In causa *æquali* inter patrem & filium, potius pro patre decidendum, quàm pro filio.

18. Per Min. Existente parte & filio in *abjecta* profligataque *fortuna*, potius tenemur patri quàm filio succurrere.

Habes hîc modum, quo omnia aliarum quæstionum themata secundùm consectaria disponere possis.

PARS II.

De Regulis Artis nostræ.

PRÆFATIO.

Regulæ hoc loco nil aliud sunt, quàm novem quæstionum circumstantiæ, quarum adaptatione ad novem prædicata seu principia essentialia, tum absoluta, tum respectiva, uti & moralia, totidemque Subjecta universalia, terminosque ad eadem reducibiles, omnium scibilium rerum propositiones examinantur, definiuntur, dividuntur, componunturque, ut de earum tandem certitudine per varias Syllogismorum combinationes comperta propositarum rerum veritas concludatur.

CAPUT I.

De Regula, An, Utrum, *sive de Possibilitate.*

Primò nobis tractandum est de illis, sine quibus in scientifico negotio nil rectè proponi potest; & sunt novem conditiones erotematicæ universales cuicunque rei propositæ communes. Harum iterum unaquæque in alias species dividitur, quarum ope intellectus diversis variisque modis veritatem attingit. Videat Lector, si placet Libri primi, Partem primam, ubi de Quæstionibus fusè tractatum est; quæ ideò hoc loco non repetenda duxi.

Prima itaque Regula Artis nostræ est *Utrum*; per quam potissimum de rei propositæ existentia inquiritur, triplici intellectus motu: vel dubitando de ea, vel affirmando

mando negandove illam. Per dubium supponimus utramque partem esse possibilem; ut si quæratur: An homo sit animal; supponitur primò, hominem esse animal, & hominem non esse animal; quod supponitur ad hoc, ut intellectus authoritatibus aut opinionibus hominum non ligetur, sed cum plena libertate rei propositæ veritatem per seipsum ex natura rei indaget; qui enim Authorum intuntur placitis, ut plurimum innumeris perplexi dubiis, non scientiam, sed opinionum ingrediuntur labyrinthum, à quo difficile est se expedire. Loquor autem hic de rebus indifferentibus. In rebus siquidem divinis, fides ceu principium omnium certissimum præsupponendum est; Sed jam singula singulis per appropriata paradigmata applicemus.

Quomodo probatio propositionum instituenda sit.

Sciendum verò, probationes omnes fieri vel per terminos absolutos, vel per respectivos, & quicunque ad eos reduci solent: qui verò termini ad absolutos & respectivos sint reducibiles, in Primo & Secundo Libro fusè expositum fuit; unde Lectorem eò remittimus; hic enim omnia repetere, tum moles rerum, tum temporis angustia non permittit.

Quæritur itaque primò. An homo sit animal. Sic quæstio per Alphabetarias notas exprimatur. An . . Homo sub appropriata figura, uti & animal exprimitur; & ostenditur, hominem ex rationali & sensitiva natura constitutum; & homo quidem subjectum est propositionis, animal verò prædicatum; videndum ergo, an animalis attributa conveniant subjecto homini, quod variis modis ostendere poteris, & primò quidem per novem principia essentialia B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. Hoc pacto, primò pro parte affirmativa, sic argumentor.

1. Per B. Medium. Omne quod habet *perfectiones* naturæ sensitivæ congruas, est animal.
. B. Homo habet omnes *perfectiones* naturæ sensitivæ congruas. Ergo. Quia habet potentias naturales & proprias aliorum animalium.

2. Per M. Omne quod *integratur* & *componitur ex partibus*, animalibus propriis, est animal.
. M. Homo integratur & *componitur* ex partibus, animalibus propriis, & integrantibus. Ergo est animal. Constat enim corpore organizato & anima sensitiva cum potentiis sensitivis.

3. Per D. Omne cujus natura & essentia *conservatur* & *durat* per corpoream & sensitivam naturam permanentes in eo, id, est animal.
. D.
. . Hominis natura & essentia *conservatur* & *durat* per corpoream & sensitivam naturam. Ergo.

4. Per P. Omne quod præter organa sensoria, *potentiam* habet nutritivam, augmentativam, concoctivam, digestivam, id, est animal.
. P. Homo hæc omnia habet. Ergo.

5. Per S. Omne quod habet *cognitionem instinctivam* & phantastica facultate pollet, id, est animal.
. S. Homo est talis. Ergo.

6. Per Vo. Omne quod habet *appetitivam facultatem* sensitivæ naturæ inditam, id, est animal.
. Vo. Homo est talis. Ergo.

7. Per Vi. Omne quod *virtute sensitiva* pollet, id, est animal.
. Vi. Homo virtute sensitiva pollet. Ergo.

8. Per G. Omne quod ex fine operatur, & in eo obtento gloriatur, id, est animal.
. G. Homo est talis. Ergo.

Sed pro parte negativa forsan nonnemo sic objiciet.

Objectiones.

1. Omne quod non perficitur ex partibus sensitivis convenientibus aliis animalibus, id animal dici non potest.
Homo non componitur ex partibus sensitivis convenientibus aliis animalibus. Ergo. Quia non habet dispositionem & sensationem aliorum animalium.

2. Id non est animal, quod non comprehendit omnia naturalia & essentialia ipsius animalis.
Homo talis est. Ergo. Quia in eo non reperitur irrationalitas; propria animalis conditio.

3. Si homo esset animal, conservarentur in eo omnes proprietates animalis.
Sed hoc non fit in homine. Ergo. Quia non viget visu, ut aquila, neque auditu, ut sus, neque olfactu ut canis, neque gustu ut simia, neque tactu ut araneus.

Respondeo ad Primum, negando Minorem. Homo enim dum consideratur ut animal, habet omnia, quæ in natura sensitiva desiderari possunt.

Respondeo ad Secundum, pariter negando Minorem: neque importat irrationalitas; quia rationale & irrationale sunt differentiæ, quæ genus contrahunt ad species, naturâ differentes; ad hominem scilicet, & brutum, essentialiter distinctum ab homine; non tamen inde sequitur, quòd quoad gradum naturæ sensitivæ non habeat omnia ad animal constituendum requisita.

Reſpondeo ad Tertium, pariter negando Minorem: non enim ſequitur, gradus ſenſitivos in omnibus ſpeciebus animalium æquè intenſos eſſe debere; aliàs enim talpa cum aquila comparata, animal non foret; neque glis animal foret, qui debili pollet auditu ad ſuem comparatus; & ſic de cæteris.

Vides igitur, qua ratione affirmativæ & negativæ propoſitiones ſecundùm artis noſtræ regulas formandæ ſint.

Probavimus modò, quomodò per ſimplices terminos, hominem eſſe animal, probari poſſit: Si quis verò velit, id per multiplices terminos variorumque prædicatorum mixtionem probare, modum oſtendo.

Probatio per compoſitos terminos.

1. Omne quod habet *perfectiones* & *potentias appetitivas* ipſius animalis, id eſt animal.
Per B. P. Vo.
Homo eas habet. Ergo. Cùm naturaliter idem appetat, quod animal; bibit enim, audit, dormit; & per inductionem cæterarum facultatum.

2. Omne quod habet *differentias* naturæ ſenſitivæ cum principiis ejuſdem tendentibus ad eundem *finem* animalis, id eſt animal.
Per ⚌. α. ω.
Homo eſt talis. Ergo. Quia utitur differentibus potentiis ſenſitivis videndi, audiendi &c. & inſtrumentis ſeu organis ad ſentiendum idem, quod cætera animalia. Ergo.

Hanc rationem per noſtram Tabulam Combinatoriam univerſalem in Secundo & Tertio Libro propoſitam pluſquam ad 2000. rationum multiplicare poteris; De qua poſtea. Poteris & has rationes multiplicare per quatuor ſpecies quæſtionis Utrum, quæ ſunt:

Utrum homo, { Neceſſariò / Contingenter / Poſſibiliter / Impoſſibiliter } Sit Animal?

Et hiſce omnia dicto modo applicare poteris, probando ſingula per novem prædicata eſſentialia & reſpectiva, obſervando ceu ad amuſſim omnes regulas paulò ante propoſitas. *V. Gr.* probaturus hominem neceſſariò eſſe animal, ſic argumentare.

Omnis illa ſubſtantia ex anima & corpore ſenſitivo conſtituta, animal eſt neceſſariò. — Neceſſariò.
Homo eſt talis. Ergo.

Iterum. Omnis illa creata ſubſtantia, cujus totum eſſe, eſt, & dependet ab alio, illa poteſt eſſe & non eſſe. — Contingenter.
Talis eſt homo. Ergo.
Sed hoc eſt, eſſe contingenter.
Ergo homo, animal eſt contingenter. Quia à principio libero dependet.

Hoc pacto per ſingula principia progredi poteris, & innumerabilem argumentorum copiam reperies.

Rurſus poteris propoſitæ quæſtionis ſtatum non tantùm per quæſtionem Utrum per omnia principia tam abſoluta quàm reſpectiva inducere, ſed & per reliquas ordine erotematicas circumſtantias eidem applicando quæſtiones in immenſam copiam multiplicare. *V. Gr.*

Per		Utrum	
	B.		Homo habeat *perfectiones* animalis?
	M.		Habeat *integritatem* & *extenſionem* animalis.
	D.		Habeat vitam & *conſiſtentiam durabilem* animalis.
	P.		Habeat *potentias* animalis neceſſarias.
	S.		Habeat *inſtinctivam cognitionem.*
	Vo.		Habeat *appetitum ſenſitivum.*
	Vi.		*Operationes* animali congruas.
	Ve.		*Conſtantiam* & *firmitudinem* eſſentiæ ſuæ.
	G.		*Quietem* & *finis* adeptionem.
	⚌.		*Diſtinctionem* partium animalis.
	♡.		*Unitatem* eſſentiæ animalis.
	○●.		*Oppoſitiones* qualitatum animalis.
	α.		*Cauſas* animalis.
	⊙.		*Media* compoſitiva animalis.
	ω.		Inclinationes ad *fines* proprios animalis.
	M.		Animal *majus* ſit altero. Quâ virtute, quâ mole, & eſſentia.
	Æ.		*Æquetur* in operationibus cæteris animalibus.
	Min.		In aliquo *minus* ſit cæteris animalibus.

Quæ omnia vel affirmativè, vel negativè ex noſtris principiis probari poterunt, ſequendo filum & ordinem principiorum terminorumque ad ea reducibilium; imò quemadmodum per ſimplices terminos hæc omnia deduci poſſunt, deſcendendo ex uno principio in alterum; ſic quoque per compoſitorum terminorum trium, quatuor aut quinque

que aſſumptionem idem multiplici ratione & promiſcuè probare poteris. *V. Gr.* per B. M. D. P. *Ex. Gr.* Utrum homo habeat perfectiones[B.], integritatem[M.], conſiſtentiam[D.], potentiamque[P.] animalis.

Iterum hæc omnia fuſiùs deduci poſſunt per Quæſtiones *Quid. Cur. Quantum. Qui.* &c. *V. Gr.*

Per B. Quid ſit illa *perfectio* & bonitas animalis, & in quo conſiſtat?

Per M. Quid ſit illa *integritas* & extenſio partium.

Per D. Quid ſit exiſtens illa *permanentia.* Et ſic de cæteris.

Deinde quare ſit; & quare à natura inſtituta.

Quantæ ſint illæ. Quando ſint illæ. Quales ſint illæ. Ubi ſint illæ. Quomodo ſint illæ. Quibuſcum operentur.	Deducendo ſingula per ordinem principiorum.	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Et	=. ♡. o•. α. ⊙. ω. M. Æ. Min.

CAPUT II.

De Regula Quid.

REgula Quid propriè Quidditatem rei quærit, modumque docet definiendi quamcunque propoſitam quæſtionem, continetque quatuor Species.

Species	Prima.	Conſiderat eſſe totale rei.	Aut enim rem propoſitam definimus per	Eſſe totale rei.
	Secunda.	Partes intrinſecas & eſſentiales.		Partes eſſentiales.
	Tertia.	Habitus & inclinationes.		Inclinationes & habitus.
	Quarta.	Actus & operationes rerum indicat.		Actus.

V. G. DEUS definiendus vel ſecundùm	Eſſe totale ſeu eſſentiam. Correlativa actuum notionalium. Attributa. Operationes quas exercet tum ad intra, tum ad extra.

In quolibet iſtorum Capitum utimur principiis Artis noſtræ, definiendo per ea quæſtionem propoſitam. Hoc pacto dicimus.

DEUM	Secundum eſſe totale,	Eſſe ens primum, independens; à ſe, per ſe, & ex ſe ſubſiſtens.
	Secundum eſſe correlativum,	Eſſe trinum & unum; trinum quoad perſonas, unum quoad naturam & eſſentiam.
	Secundum Attributa,	Eſſe ſummum bonum, immenſum, infinitum, omnipotentem &c. deducendo ſingula tum per abſoluta, tum per reſpectiva principia.
	Secundum actus ad extra,	Eſſe Creatorem rerum omnium, Conſervatorem & Redemptorem, Juſtificatorem, Glorificatorem.

Pari pacto, Si quis quærat, Quid ſit intellectus quoad eſſe totale. Reſpondebis ei octodenis rationibus, per primam ſpeciem.

Per { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. ═. ♡. ⊶•. α. ⊙. ω. M. Æ. Min. } Intellectus secundùm esse totale, est potentia cui propriè convenit {

B.	*Communicare* se ad esse intelligibile.
M.	*Extendere* se ad id, quod intelligitur.
D.	*Conservare* in se rem intellectam.
P.	*Posse* agere circa rem intelligibilem.
S.	*Illuminare* phantasmata rei intelligibilis.
Vo.	*Appetere* scientiam.
Vi.	Habere *virtutem* operandi intellectualiter.
Ve.	Posse *veritatem* quærere.
G.	*Quiescere* in re intellecta.
═.	*Distinguere* inter differentes res.
♡.	*Unire* res disunitas media ratione.
⊶•.	*Contrariorum* oppositorumque rationem fundare.
α.	*Principium* esse omnis operationis intellectualis, scientiæ & cognitionis.
⊙.	*Medium* ad omnes acquirendas scientias.
ω.	*Finem* esse, in quem omnis cognitio resolvitur.
M.	Esse *maximam* potentiarum interiorum, proximam DEO & Angelis.
Æ.	*Æquare* extrema trutinâ rationis.
Min.	Corporeis speciebus & phantasmatis ad cognitionem uti, quo *minor* sit Angelo.

Quid homo sit secundum partes essentiales.

Secundò. Si quis hominem definire velit per secundam speciem, seu secundum partes essentiales & componentes, quæ sunt anima & corpus, quibus constituitur; duplici id via expedire poterit: vel definiendo eum solùm quoad animam, vel quoad corpus. Priori modo ita definiemus. Homo est ens spirituale utens ratione, unitum vel unibile naturæ corporeæ. Vel quoad corpus: est ens corporale organizatum cum potentia actuali, & unitum animæ rationali. Quarum utraque non secus ac paulò ante præstitimus, per principia nostra deduci potest: *V. G.*

Per { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Homo quoad animam est ens, {

B.	Quod constat *perfectionibus* spiritualibus, quæ possunt naturaliter *communicari* cum corpore organizato.
M.	Quod *integrat* hominem simul cum natura corporea.
D.	Quod ex parte dat homini esse *æviternum*.
P.	Quod tribuit corpori posse *rationaliter* loqui.
S.	Quod ratione suæ naturæ omnis *cognitionis* fons est.
Vo.	Quod ex se & sua natura *appetit bona* & media ad illa consequenda eligit.
Vi.	Quod *virtute* intellectuali omnia attingit.
Ve.	Quod *veritatem* à falso discernit.
G.	Quod in *ultimo fine* quiescit.

Pari ratione quoad corpus Hominem ita definire poteris, juxta principia ordine sequentia.

Per { B. M. D. P. } Homo quoad partem corpoream, est {

B.	*Perfectio* compositiva hominis cum anima rationali.
M.	*Extensum* quid per partes corporeas per quas potest Spiritualiter vivificari ab anima rationali.
D.	*Sensibile*, quod potest aliquousque *durare* conjunctum formaliter cum Spirituali.
P.	*Posse* omnes operationes perficere ope conjugis animæ.

Et sic de cæteris, quæ brevitatis causa omitto.

Probatio per tertiam speciem de Quæstione Quid.

Per tertiam Speciem quæstionis Quid, definies Intellectum esse id, quod habet sua correlativa, intellectivum, intelligibile & intelligere; sine quibus esse non potest. Quæ omnia iterum per principia deduci poterunt.

Per

Per { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. } Omne intellectivum eſt {
Perfectio cognoſcitiva.
Extenſio ad rem intelligibilem.
Perſeveratio virtutis intellectivæ.
Potentia activa intelligendi.
Inſtinctus ad intelligendum.
Appetitus ad ſcientiam.
Vis cognoſcitiva & inventiva veritatis.
Formalis conceptus rei creatæ *verè* exiſtentis. }

Simili modo definietur Intelligibile & Intelligere, cætera correlativa, quæ & omnibus aliis *tivis*, *are*, *bilibus* applicari poſſunt. Verùm, quid per correlativa intelligendum ſit, paucis aperio.

Per tertiam ſpeciem quæ eſt de Correlativis.

Correlativa ea dicuntur, quæ ad invicem referuntur; & hoc quidem relatione vel intrinſeca vel extrinſeca, ſive relatione ſubſtantiali, vel accidentali; Priori modo referuntur ad invicem materia & forma, prout dicuntur principia ſubſtantialia hominis conſtitutiva. Secundo modo accidentaliter referuntur ad invicem, ut unum album ad aliud fundata in ſimilitudine.

Hæc correlativa conſiderantur potiſſimum in noſtris principiis generalibus; ut Bonificativum, Bonificare, Bonificabile; Magnificativum, Magnificare, Magnificabile, & ſic de cæteris, de quibus Primo & Secundo Libro; adeòque ſub iſtis apertè relucet Unitatis & Trinitatis divinæ myſterium: Nam uti in divinis, ita in unoquoque principio reperitur unitas principii, & tria correlativa ejuſdem, ut in una bonitate, bonificativitas, ut cum Lullo loquar, bonificabilitas & bonificatio; in Magnitudine Magnificativitas, Magnificabilitas & Magnificatio in abſtracto; in concreto verò tivum, are, bile, quæ ad invicem referuntur, nec unum ſine altero conſiſtere poteſt; eſſet enim bonum ad bonificandum otioſum, & proprio careret fine, ſi non haberet tivum, are, bile. Quod idem de aliis principiis dicendum eſt; ex quibus Enti communicatur actualitas & potentia, ad entificandum ut ita loquar, quæ ſunt entificativum, entificare, & entificabile, quæ communicantur ſubſtantiæ creatæ in ratione ſuæ exiſtentiæ; unde procedunt ſubſtantiativum, ſubſtantiare & ſubſtantiabile, hæc dum tribuuntur corpori in ratione ſua lata, longa, profunda, efficiunt corporificativum, corporificare & corporificabile, quæ adhuc contracta ad vivens per vitam faciunt vivificativum, vivificare & vivificabile. Hæc iterum ad gradum ſenſitivum contracta per ſenſum, dant eſſe ſenſitivum, ſentire & ſenſibile; quæ iterum ad hominem per generationem contracta dant generativum hominis, generare & generabile. Hæc ulterius relata ad individua, faciunt generativum Petri, generare & generabile, quæ ſunt tria correlativa Petri intrinſeca & eſſentialia ipſius, ſine quorum aliquo Petrus non poſſet ſubſiſtere; actualitas enim Petri ſeu generabilitas Petri continet in ſe eſſentialiter omnes gradus ſuperiores recenſitos, ſuperioreſque gradus contrahuntur & determinantur ab iſto inferiori, in quo continentur; & hæc non de intrinſecis tantùm correlativis, ſed de extrinſecis dici poſſunt, ut de illuminativo lucis, de illuminabili colore, & de illuminare, procedenti ab utroque; quæ & in principiis naturalibus & ſupernaturalibus obſervantur: ſicuti enim in Intellectu conſideramus Intellectivum, are & bile, ſic in potentia generativa, generativum, are, bile, & in potentia viſiva, viſivum, viſibile & videre, & ita in qualibet potentia; hoc enim pacto de rebus, ſubtiliter per intrinſecum eſſe rei philoſophamur. Sed ad alia.

Tertia ſpecies Quæſt. de Quid.

Tertia Species quæſtionis de Quid, quærit definitiones rei in ordine ad intrinſecas inclinationes & propenſiones rei. Hoc pacto dicimus.

Intellectivum in ordine ad { Grammaticam. Logicam. Mathematicam. Geometriam. Arithmeticam. Theologiam. Ethicam. Politicam. } Eſſe { Grammaticum. Logicum. Mathematicum. Geometricum. Arithmeticum. Theologicum. Ethicum. Politicum. }

Et quod dicitur de potentia Intellectiva, de Memorativa quoque ac Volitiva dici poteſt; quia ſecundùm habitum, quo imbuitur potentia, ſecundùm eum quoque poteſt definiri: ut ſi habitus Juſtitiæ in homine definiendus eſſet, ſic illum per noſtra principia definies.

Habitus

Habitus Juſtitiæ in homine eſt vis qua homo inclinatur ad reddendum unicuique quod ſuum eſt.	Quæ ſe communicat Juſtitiæ,	Per	B.tem
	Quæ ſe extendit ad Juſtitiam,		M.em
	Quæ perſeverat in Juſtitia,		D.em
	Quæ poteritem reddit animam ad ea quæ ſunt Juſtitiæ,		P.am
	Et ſic de cæteris.		

Quarta ſpecies quæſtionis de Quid definit res per actus ſuos. *V. Gr.* Si quis quæreret, quid DEUS faciat in alio, hoc eſt, in Mundo. Reſpondebitur juxtà conſequentiam principiorum noſtrorum.

DEUS eſt Ens	*Communicans perfectiones* in Mundo, à quo deſcendit omne bonum	Per	B.
	Quod *magnificat* & *extendit* cœlos	Per	M.
	Quod *ſuſtentat* omnia *conſervatque* omnia per ſuam		D.
	Quod *potuit* facere omnia, & ea quo modo fecit, illo eodem annihilare poteſt	Per	P.
	Quod *gubernat* & *diſponit* omnia omnibus providens	Per	S.
	Quod per ſuam *voluntatem*, juſtos diligit, injuſtos odio habet	Per	Vo.
	Quod dat plenam & propriam *operationem* omnibus rebus, per ſuam		Vi.
	Quod *firmat* & *ſtabilit* omnia per ſuam		Ve.
	Quod juſtos & electos *exaltat* per ſuam		G.
	Quod avertit & *ſeparat* homines à malo	Per	≡.
	Quod *unit* & trahit ad ſe omnia		♡.
	Quod *repugnat* & reſiſtit malis		o●.
	Quod omnium *principium* & cauſa eſt		α.
	Quod conjungit diverſa ad ſe tanquam ad *centrum*		⊙.
	Quod *terminat* & perficit vota & deſideria hominum		ω.
	Quod aſſimilat ſibi *magis* bonos		M.
	Quod facit ſibi *æquales* ſimilitudine actionum & amicos ſervos ſuos fideles		Æ.
	Quod liberat à *miſeriis*		Min.

Quæ omnia ex Sacræ Scripturæ locis, Sanctorumque Patrum auctoritatibus comprobari poſſunt.

Qui quidem termini non ſimpliciter tantùm fieri poſſunt, ſed & per triplicatos, quadruplicatos terminos. Uti DEUS eſt ens bonum, magnum, æternum, quod tribuit omni creaturæ B.em M.em D.em ſive conſiſtentiam ſui eſſe.

Quæ iterum per Reſolutionem & compoſitionem demonſtrari poterunt.

Si DEUS eſt, ergo ſummum bonum, à quo omne bonum deſcendit.

Si ſummum bonum, ergo infinitè magnus, immenſus.

Si infinitè magnus, ergo ſuſtentat omnia, conſervat omnia per ſuam durationem æternam.

Si conſervat omnia per ſuam durationem æternam; Ergo ſicuti poteſt facere omnia ex nihilo, ita creata annihilare poteſt.

Et ſic de cæteris ordine dictis, unum inferendo ſemper ex altero uſque ad ultimum.

CAPUT III.

De Regula Cur *ſeu* Quare, *& innuit Cauſalitatem.*

Regula de Q. Cur cauſalitatis index eſt.



QUotieſcunque quis interrogatur per Regulam de Quare, ei neceſſariò reſpondendum erit per recurſum ad formam & finem rei, & inveniet quæſtionis ſolutionem. Continet itaque hæc Regula quatuor cauſas: *Efficientem*, *Materialem*, *Formalem*, *Finalem*; quibus obſervatis, ad quamcunque quæſtionem multis variiſque modis promptam habebis reſponſionem.

Praxis primæ Regulæ, quæ formalis dicitur, ita ſe habet: Ut ſi quæratur: Quare Petrus eſt homo? Reſpondeo quia habet animam rationalem, per quam conſtituitur in ſua natura. Cur Petrus eſt homo? Reſp.

Iterum. Quare aurum eſt rubrum? Reſpondeo,

ſpondeo, quia conſtat formaliter & prædominativè, formâ ignis. Quare argentum ſit album? Reſpondeo quia habet formam prædominantem in natura aquæ: Sicque in quolibet propoſito ratiocinandum eſt per Regulam Quare formaliter.

Si verò propoſitas quæſtiones principiis noſtris applicare volueris, ſic procede.

Per	B. M. D. P.	Quicquid habet	*Perfectionem* formalem aquæ, id habet prædominium in natura aquæ. *Extenſionem* formalem aqueam, id habet prædominium in natura aquæ. *Permanentiam* formalem aquæ, id habet prædominium in natura aquæ. *Potentiam* formalem, ut reſolvatur in aquam, id habet prædominium in natura aquæ.	Sed argentum hoc habet. Ergo.

Haud ſecus per principia deduces cujuſlibet propoſitæ quæſtionis tenorem.

Secunda Species quæſtionis de Quare, eſt finalis, quia per eam finis rei inquiritur. Ut ſi quæratur, quare ſit intellectus? Reſpondeo, quia ſunt intelligibilia, de quibus ſcientia haberi poteſt: Si enim non eſſet intellectus qui illuminaret phantaſmata rerum objectumque illuminaret proprio & intrinſecō lumine, objectum intelligi minimè poſſet, ſicuti colores videri nequeunt abſente lumine externo, quo illuminarentur.

Iterum. Quare homo eſt beatificabilis? Reſpondeo, quia ultimum finem, qui DEUS eſt, cognoſcit.

Iterum. Quare lapis tendit deorſum, & exhalationes ſurſum? Reſpond. quia omne grave, cujuſmodi lapis eſt, tendit deorſum ad centrum, & omne leve, cujuſmodi exhalationes ſunt, tendit ſurſum, quia calor iis prædominans ſequitur naturam ignis.

Tertia Species, Cauſa materialis, in qua de materia inquiritur. *V. G.* Cur domus ſit materialiter? Reſpond. quia conſtat ex lapidibus, lateribus aut terra taliter diſpoſitis. Iterum, quare homo ſuo pondere deſcendat & cadat deorſum. Reſpond. quia conſtat materia craſſa terrea & corpulenta, per quam inclinatur ad locum inferiorem tanquam ad centrum ſuum. Cauſa Materialis.

Quarta Species, cauſa Efficiens eſt, quâ inquiritur; *V. G.* Quare domus facta ſit? Reſp. quia Architectus illam effecit, uſibus humanis aptam. Et ſic de cæteris; poteris tamen ad unamquamque quæſtionem reſpondere per ſingulas quatuor ſpecies. *V. G.* Si quæratur, quare domus ſit? Reſpond. Efficiens.

Per Regulam ſive cauſam	Formalem.	Quia	Habet formam quadratam, rotundam aut quomodolibet alio modo diſpoſitam.
	Finalem.		Eo fine facta eſt, ut homo in ea commodè contra aëris iniurias habitare poſſit.
	Materialem.		Conſtituta eſt ex lapidibus, terra, luto, lateribus, ſimilibuſque.
	Efficientem.		Eam conſtruxit Architectus aut faber.

Et hic modus quærendi reſpondendique per quatuor cauſarum genera perfectus & completus in quolibet ſubjecto & propoſito conſiderari poteſt, tam in his, quæ naturaliter, quàm in iis, quæ moraliter aut ſupernaturaliter ſunt. Sed demus exempla.

Exemplum I. Phyſicum. Quæritur itaque Primò. Cur triticum ſit?

℞. per cauſam	Formalem.	Quia	Conſtat ſua forma triticea, propria talis naturæ.
	Finalem.		Ut homo vivat, ad cujus uſum productum eſt.
	Materialem.		Coagulatum fuit ex materia terrea & diſpoſita ad recipiendam formam tritici.
	Efficientem.		Calor ſolis & influentiæ Cœli tanquam cauſæ efficientes diſponunt materiam in ordine ad formam.

Exemplum II. Morale.

Quæritur Secundò. Cur sit justitia?

℞. per causam	Formalem.	Ut reddat unicuique quod suum est, illa enim est forma justitiæ.
	Finalem.	Ut mundus politicus conservetur in suo esse, sine qua consistere non posset.
	Materialem.	Ut scelera & excessus hominum improborum, de quibus justitia vindictam sumit, castigentur.
	Efficientem.	Est Voluntas principis, quæ effectivè influit in justitiæ executionem ut compleatur.

Exemplum III. Supernaturale.

Quæritur Tertiò. Cur homo justificetur?

℞. per causam	Formalem.	Quia	Gratiâ divinâ imbuitur, quæ est forma justificationis.
	Finalem.		Per gratiam ascendit ad finem supernaturalem, qui DEUS est.
	Materialem.		Justificati hominis voluntas liberè aversa à peccatis, ad DEUM convertitur.
	Efficientem.		A DEO Voluntas humana impellitur & movetur trahendo eum ad se.

De Applicatione dictorum practica.

Quæ hîc paulò ante de quadruplici causarum genere diximus, trita sunt, & vulgò in Dialectica traduntur. Quomodò verò dicta cum ingenti scientiarum incremento Arti Magnæ applicanda sint, nostrum est, demonstrare.

Certum est, nihil esse, in hoc sensibili rerum creatarum ambitu, quod non ex hoc quadruplici causarum genere constituatur; non tantùm extendendo illud ad res physicis contemplationibus subjectas, sed & ad Morales, Politicas, Mathematicas, Metaphysicas, Theologicas, cæterasque, excepto DEO, qui uti omnium est causa causalissima, ita meritò incausatus nuncupari potest; causa enim formalis, finalis, materialis, efficiens DEI, est ipse DEUS, seu divina essentia, forma, finis, materia, effectus sui ipsius.

EXEMPLUM I.

Quomodò per quadruplex Causarum genus juxta Artis nostræ regulas, de quacunque re proposita statim totius Libri alicujus argumentum cum uberrima rerum tractandarum materie disponi possit.

Sit itaque primum Argumentum Libri de natura Apis.

In hac assumpta Libri compositione ante omnia ad quadruplex causarum genus recurrendum est, expendendo primò Apum causam materialem, deinde finalem, tertiò formalem, quartò Efficientem.

Et primò quod ad materiam apum attinet, est illa iterum triplex; elementalis, vegetativa, sensitiva; quem triplicem materiæ gradum juxta principia nostra ita deduces.

1. Causæ

1. *Causæ Materialis Argumenta, juxta triplicem elementaris, vegetativæ, & sensitivæ naturæ gradum considerata.*

An fit	*Communicatio* seu *diffusio* materiæ elementalis in apibus.	Per	B.
Quid fit	*Extensio* materiæ elementalis in apibus.		M.
Cur fit	*Permanentia* materiæ elementalis in apibus.		D.
Quanta fit	*Potentia* materiæ elementalis in apibus.		P.
Quî fit	*Instinctus* materiæ elementalis in apibus.		S.
Qualis fit	*Appetitus* materiæ elementalis in apibus.		Vo.
Ubi	*Vis naturalis* materiæ elementalis insit apibus.		Vi.
Quomodo	*Vera ratio* originis apum materialis assignari possit.		Ve.
Quibuscum fit	*Finem* aliquem materialem elementalem habeant apes, in quo quiescant.		G.

An	Sit	*Differentia* materiæ elementaris apum tum inter se, tum inter alia insecta.	Per	=.
Quid		*Concordia* materiæ elementaris apum cum aliis.		♡.
Cur		*Contrarietatem* habens in apibus materia elementaris.		☍.
Quanta		*Causa* materialis apum.		α.
Quî		*Medium* materiæ elementaris ad apes producendas.		☉.
Qualis		*Finis* aliquis materiæ elementaris in apibus.		ω.
Ubi		*Materia* elementaris major aliis materiebus.		M.
Quomodo		*Æqualis.*		Æ.
Quibuscum		*Minor.*		Min.

Per causam formalem ita dispones Secundi Libri Capita.

2. *Causæ formalis Argumenta.*

Per	B.	De *diffusione* & *communicatione* formæ sive formalis principii in apibus.
	M.	De *intensione* & *extensione* formæ.
	D.	De *Duratione* sive consistentia formæ.
	P.	De *vi* & *potentia* formæ in apibus.
	S.	De *instinctu mirabili* apum.
	Vo.	De *appetitu* innato apum ad mellificium.
	Vi.	De *virtute* stupenda in laborando.
	Ve.	De *veritate* quæ variis historiis stabilitur.
	G.	De *fine* apum in labore.
	=.	De *differentia* & apum & mellis ex diversitate succorum.
	♡.	De *concordantia* apum in laboribus.
	☍.	De *contrarietate* apum cum fucis sui dissimilibus.
	α.	De *principio* intrinseco, quo ad mellificium instigantur.
	☉.	De *mediis*, quibus utuntur ad mellificium.
	ω.	De *fine*, in quem collimant earum operationes.
	M.	De *excellentia* mellificii.
	Æ.	Quibus *assimilantur* in operationibus.
	Min.	De *defectu* & morte apum.

Habes hîc de causæ materialis concursu ad apem producendam, 162. Capitula Libri per enneadem erotematicam & octodecim principia deducta. Siquidem de materiæ elementaris diffusione in generatione apum, quæritur primò An fit, Quid fit, Cur fit, Quanta fit, Qualis fit, Quomodo fiat, Quandò fiat, Ubi fit, Quî fiat, de Quo.

De Extensione verò materiæ elementaris, quæritur iterum: An fit extensio, Quid, Cur, Quanta, Qualis &c. fit.

Hoc pacto quærendo juxta progressum principiorum, orientur, quæ suprà dixi, 162. Capita.

Cùm verò triplex sit in generatione apum confluxus, materiæ elementaris, de qua diximus, materiæ vegetativæ, & materiæ sensitivæ; totidem Capita habebis Libri de confluxu materiæ vegetativæ, in apibus; deinde per eadem principia de diffusione, extensione, duratione, potentia, instinctu, appetitu materiæ vegetativæ; Tertiò eadem

eadem omnia poterunt deinde applicari materiæ ſenſitivæ. An detur in generatione apum diffuſio, *Quid*, *Cur*, *Quanta*, *Qualis*, *Ubi*, *Quomodo*, *Quando*, *de Quo* &c. ſit. Hoc pacto habebis 486. capita libri, quæ ſola cauſæ materialis rationes inveſtigant, quas omnes ſi per varios terminos ad novem principia reducibiles explices in primò Libro expoſitos, immenſam ſanè materiæ copiam tibi ſuppeditabunt.

3. *Cauſæ finalis argumenta quæ conſiderantur ratione finis vel in materia elementari, vel in materia vegetabili, vel materia ſenſitiva.*

B.	De	Fine in *communicatione* virtutis.	Elementaris.
M.		*Extenſione* finis in omnia, uti de membrornm mirabili diſpoſitione ad mellificium requiſita.	
D.		*Duratione* finalis cauſæ.	
P.		*Poteſtate*.	Vegetativæ.
S.		Fine tanti *inſtinctus*.	
Vo.		Fine *appetitus* tam vehementis in operando.	
Vi.		Fine *virium* corporis.	Senſitivæ.
Ve.		*Veritate* & firmitate in opere.	
G.		*Gloria* finiti operis.	
☰.		*Differentia* finium.	
♡.		*Concordantia* finium in unum.	
○●.		*Contrarietate* mediorum ad finem.	
α.		*Cauſa* finali.	
⊙.		*Mediis* ad finem conſequentibus.	
ω.		*Finis* conſecutione & quiete.	
M.		*Excellentia* finis.	
Æ.		*Æqualitate*, labore quo in unum conſpirant.	
Min.		*Morte* apum.	

4. *Cauſæ Efficientis Argumenta.*

Cum alia ſit virtutis elementaris, alia virtutis vegetativæ, alia virtutis ſenſitivæ efficientia, poteris hæc argumenta eodem modo diſponere, quo in præcedentibus, ea per Enneadem erotematicam, & octodecim principia deducendo; quæ nè longior ſim, Curioſo Lectori fuſius deducenda relinquo; modum enim hîc procedendi dictaſſe ſufficiat. Ad hoc vel unicum paradigma, omnium quorumcunque aſſumptorum operum argumenta, pari facilitate, de quacunque materia ſive phyſica, ſive morali, aut Theologica diſponere poteris, ut vel hinc Artis noſtræ excellentia pateat; Si enim ad calculum argumenta, quæ in aſſumpto themate apum deduci poſſunt, reducam, ea facilè ad 10000. excurrent, quæ non unius, ſed vel plurium Tomorum materiam præbeant. Sed jam ad alia.

PARADIGMA II.

Quod monſtat, quomodò quiſpiam de quacunque re propoſita, juxta quadruplex cauſarum genus ex tempore diſcurrere queat.

Sit thema propoſitum de virtute fortitudinis bellicæ; cujus materia eſt timor prudens, & moderata audacia; adeòque rectè, definitur, periculorum conſiderata ſuſceptio, & obviorum laborum perpeſſio. De materia itaque nonnemo rogatus differere, Timorem & Audaciam primò per 18. deducet principia, & deinde per enneadem erotematicam, hoc pacto.

Omnis Virtus, quæ in mediocritate eſt,	Bona eſt.	Fortitudo in moderato timore & audacia conſiſtit. Ergo.
	Magna eſt.	
	Conſiſtens eſt.	
	Potens eſt.	
	Sapiens eſt.	
	Amabilis eſt.	
	Virtuoſa eſt.	
	Vera eſt.	
	Glorioſa eſt.	

Ratio

Ratio Majoris est; quia excessus in omni virtute morali non virtus sed vitium est; Timor enim excedens pusillanimitati, audacia præsumptioni opponitur.

Hoc peracto procedes ad quæstiones: An timor hic, & audacia bona sint an mala? Quid & in quo potissimum consistat Timor & Audacia materia fortitudinis? Cur Timor & audacia dicantur materia fortitudinis, ubi variæ sortes gloriosorum Ducum tam ex sacris, quàm profanis historiis in exempla adducuntur; Deinde quantus sit timor, aut debeat esse, quanta audacia respectu tum Ducum, tum objectorum extrinsecorum; qualis, quomodò, ubi sint potissimum timenda & audenda pericula, quibus exemplis omnia monumenta passim plena sunt.

His ostensis procedes ad causam formalem fortitudinis, quæ consistit in prudenti quadam attemperatione timoris & audaciæ, ne illa per defectum, hic per nimium excedat; unde hoc pacto argumentabere.

Omne quod in prudenti quadam attemperatione timoris immodici & excessivæ audaciæ consistit, virtus est, quæ hominem reddit

B.	Bonum.
M.	Excellentem.
D.	Firmum propositi virum.
P.	Potentem.
S.	Prudentem.
Vo.	Efficacis voluntatis.
Vi.	Virtutibus conspicuum.
Ve.	Veræ fortitudinis ideam.
G.	Gloria & honore conspicuum.
☰.	Differentis fortunæ providum.
♡.	Concordantem in bonis consiliis.
○●.	Contrarium pusillanimitati.
α.	Causam ingentium emolumentorum inde emanantium.
⊙.	Medii ad gloriam perpetuam capacem.
ω.	Finem salutis Reip. Patriæ, Religionis.
M.	Magnum gloria.
Æ.	Æqualem Heroibus.
Min.	Ab omni minoritate recedentem.

Fortitudo hæc præstat. Ergo.

Hæc iterum per Enneadem erotematicam examinabuntur: An detur talis virtus, Quid sit, cur sit, quanta sit, qualis sit, quomodo, ubi, quando &c. sit.

His iterum per varia exempla demonstratis, procedes ad causam finalem fortitudinis, quæ vel proprium honorem & gloriam aut præmium aliquod, emolumentumque singulare vel Reipublicæ aut Patriæ salutem, aut DEUM ipsum ejusque Ecclesiam pro fine habet. Et ecce hîc iterum ingens se campus aperit innumerorum ad propositum thema demonstrandum argumentorum; & primò quidem per 18 principia eam deduces ut prius, hoc pacto.

Hæc virtus, quæ DEUM, Religionem, salutem patriæ pro fine habet; illa Bona, Magna, Durans, P. S. Vo. Vi. Ve. Gl est.

Hæc habet vera fortitudo. Ergo.

Deinde per Enneadem erotematicam dicta examinabis: An videlicet bonum sit, periculo vitæ se exponere pro dicto fine; Quid sit illa intentio; cur sit, quanta sit, quàmque DEO hominibusque grata; qualis sit, ubi sit, quando sit, quomodo sit, dictaque variis exemplis & historiis illustrabis.

Quartò, his expeditis, procedes ad causam efficientem fortitudinis, quæ est duplex, naturalis aut supernaturalis: Naturalis est ingenita hominis ad quæcunque DEI causa aggredienda generositas; Supernaturalis est influxis divinæ gratiæ, qua imbutus homo ad nihil non arduum agendum impellitur. Quæ omnia eodem ordine & methodo, quem in præcedentibus tradidimus, juxta octodecim principiorum consequentiam & Enneadis Erotematicæ examen unà cum historiarum illustratione dilucidabuntur.

CAPUT IV.

Usus Regulæ de Quanto.

IMplicat hæc quæstio omne quantum, ſive ſit illud molis ſive virtutis; Angelum enim dicimus magnum, non quantitate molis, ſed virtutis ſuæ extenſione; Sic DEUM dicimus quantum; ut cum quæritur, quantus eſt DEUS. Reſpond. eſſe immenſum, infinitum, principii & finis expertem; quæ pariter in potentiis & operationibus rerum intellectualium, quas magnas aut parvas dicimus, in conſiderationem veniunt; quæ non de quantitate prædicamentali, ſed de ſubſtantiali ſeu tranſcendentali intelligenda ſunt.

Quantitas ſubſtantialis. Item quantitas hæc ſubſtantialis de corporalibus quoque rebus dici poteſt, ſecundum quod corpus ad prædicamentum ſubſtantiæ pertinet; ut individua hominis tantò ſunt majora, quantò perfectiora, & tantò minora, quantò imperfectiora, quoad naturalium virtutum conditionem, ſic dicimus, equum minorem eſſe ſubſtantiam, quàm hominem; quia homo quoad rationalem vim equo perfectior eſt, & nobiliores excellentioreſque habet eſſentiæ ſuæ differentias; ſic per comparationem equi ad formicam, dicimus equum formicâ perfectiorem, quia partes componentes formicâ nobiliores habet.

Quantitas prædicamentalis. Tandem Quantitas prædicamentalis in conſiderationem venit: quæ duplex eſt: *Continua* & *diſcreta*. Prior à Logico formaliter definitur per unitatem termini, ad quem partes copulantur; & à Phyſico per diviſibilitatem in infinitum. Diſcreta, tempus, motum, & numerum conſiderat. In continua trinam dimenſionem; longitudinem, latitudinem & profunditatem expendimus, quicquid ſit quantitas, quam in quolibet ente juxta gradum tranſcendentalem ſuo modo reperiri certum eſt.


Notandum vero, per quantitatem prædicamentalem ſeu materialem nos, ſecundum analogiam quandam & Artis noſtræ analogica præcepta, in notitiam quantitatis Spiritualis, quæ in Angelo & anima potiſſimum conſiderantur, facilè pervenire poſſe; Sicuti enim punctum ſe habet ad lineam, & punctum & linea ad ſuperficiem; & punctum, linea & ſuperficies ad corpus, ita continuitas eſſentiæ intellectus, ſeu intellectuali puncto, à quo promanat, comparari poteſt, natura lineæ, vires ſuperficiei, viribus operationes, quæ uti eſſentiam, naturam & vires complicant, ita corpori aptè applicari poſſunt. Quæ ſi noſtris principiis adaptentur, ingentem philoſophandi materiam ſuppeditabunt. Sed exemplis patebit veritas.

Ut ſi quæratur primò. Quantus ſit Angelus? Reſpondeo juxta regulas noſtras.

Angelus eſt ſubſtantia ſpiritualis creata completa per ſe ſubſiſtens.	B.	Diffuſiva ſui.
	M.	Extenſiva ſui.
	D.	Æviternum durans.
	P.	Summa poteſtate pollens.
	S.	Intellectuali virtute omnia penetrans.
	Vo.	Appetitiva omnium in ſeipſo.
	Vi.	Viribus maximis inſtructa.
	Ve.	Veritate eſſentiæ ſuæ incorrupta.
	G.	Intellectuali virtute glorificata.

Deinde

Deinde quæratur.



Et primò quidem utrum ſit talis communicatio in Angelo?
Reſpondeo per quæſtionem *Utrum*, quod ſic.

B.	Quia	Omne bonum eſt *diffuſivum* ſui.
M.		Omnis eſſentia eſt *extenſiva* ſui ipſius ad operationes perficiendas.
D.		Principium habet ſine *fine duraturum.*
P.		*Diffuſivus* & *extenſivus* ſui ipſius, ſine quibus *potens* non eſſet.
S.		Rerum omnium *Cauſas novit.*
Vo.		*Bonum vult*, appetit, proſequitur, malum deteſtatur.
Vi.		In operationibus magna *efficacia* pollet.
Ve.		Subſtantiæ ſuæ ſummam *firmitudinem* poſſidet.
G.		In operationibus *glorioſus* eſt.

Et ſic de cæteris ordine quæſtionibus procede; quæ omnia referre infiniti laboris foret.

Si porrò quæratur Secundò, Quantus ſit intellectus humanus? Reſp. quod tantus eſt, quanta ſunt correlativa, in quibus ipſius eſſentia fundata eſt, videlicet: Intellectivum, Intelligere, & Intelligibile; ſicuti enim homo ex anima & corpore conſtituitur, & ex hiſce duabus partibus integratur, & conſiſtit in eis, & per eas operatur; ita eſſentia & natura intellectus conſiſtit in ſuis correlativis, quæ ſunt Intellectivum, intelligere & intelligibile, hiſce enim omnes perficit operationes intellectuales; quæ omnia iterum noſtris principiis applicata mirificè dilatari poſſunt per ſuprapoſitas quæſtionum particulas. *Verbi Gratia.*

Utrum	Sit	Communicatio.		
Quid		Extenſio.		
Cur		Duratio.		
Quanta		Potentia.		Intellectiva.
Quî		Sapientia.		Intellectionis.
Qualis		Appetitus.		Intelligibilis.
Ubi		Virtus.		
Quando		Veritas.		
Quibuſcum		Gloria.		Sed hæc omnia fuſius tractemus.

Diximus, & in Arte noſtra Analogica oſtendimus; quomodò per analogiam quandam ex corporeis qualitatibus ad intellectuales tranſcendere valeamus. Et quoniam de quæſtione per quantum hoc loco agimus, videndum eſt, quomodò per analogiam quandam, quantitatis prædicamentalis ſpecies, analogica quadam methodo, ad abſtractas & ſpirituales ſubſtantias transferre valeamus. Quod ut quàm optimè fiat, ſequentem Tabulam primò Ariſtam addiſcere neceſſe eſt.

Tabula

Tabula Analogiam Quanti continens.

Quæstiones.	*Subjecta Universalia.*	*Quantitas Prædicamentalis.*	*Quantitas Virtutis.*	*Quantitas Intellectualis.*	*Principia Absol.*	*Principia Relat.*	*Prædicamenta Decem.*
An.	△.	1. Punctum.	Esse.	Essentia.	B.	⚌.	Substantia.
Quid.	[illegible]				M.	♡.	Quantitas.
Cur.	◎.	2. Linea.	Vivere.	Potentia.	D.	o●.	Qualitas.
Quantum.	⊡.				P.	α.	Relatio.
Quomodo.	[illegible]				S.	⊙.	Actio, Passio.
Quale.	[illegible]	3. Superficies.	Sentire.	Voluntas.	Vo.	ω.	Ubi.
Ubi.	[illegible]				Vi.	M.	Quando.
Quando.	[illegible]	4. Corpus.	Intelligere.	Actualis operatio.	Ve.	Æ.	Situs.
Quibuscum. De quo.	∷.				G.	Min.	Habitus.

Hæc Tabula Analogiam rerum intellectualium ad quantitatis prædicamentalis sive materiales species factam repræsentat.

Primò enim occurrit punctum, deinde linea, postea superficies, & tandem corpus; sicuti enim ex fluxu puncti fit linea, & ex hujus fluxu superficies, & ex hujus tractu corpus; ita omnium reum geneses fieri existimandum est: In Physicis enim primò esse rerum occurrit, quod puncto; secundò vivere, quod lineæ; tertiò sentire, quod superficiei; quartò illigere, quod solido rectè comparari potest. Quid enim aliud est esse illud naturale, quod in natura rerum consideratur primum, quàm individuum esse quoddam, à quo cuncta nascuntur, sunt, & conservantur? nisi punctum intellectuale ad actum; quæ est existentia? quid aliud linea, nisi naturæ corporeæ prolongatio seu fluxus quidam? & quid aliud superficies, nisi corporeæ naturæ ampliatio seu dilatio? & quid solidum tandem aliud est, quàm id, quod implet, & perducit ad esse corporeum. Quæ omnia pulchrè patefiunt in motu fluxûs elementorum ad mixtorum genesin ordinato, in qua unumquodque eorum in sua prioritate & naturæ simplicitate ut punctum, consideratur; in motu verò seu prolongatione sive fluxu prolongationis ad aliud elementum, ut linea; in dilatione vero & longè latèque diffusi dispersione elementi, uti superficies; & tandem in ipso confluxu complexuque omnium elementorum, uti ipsum corpus mixtum.

Analogia pulchra.

Quomodo verò hæc principiis nostris applicari possint, dicam. Sic itaque operare. Assumatur in exemplum Elementum aquæ, de quo quadruplex consideratio oritur.

Primò. Quid videlicet aqua sit, ut corpus simplex, & in prioritate naturæ consideratum.

Secundò. Quid sit & quomodo aqua ex simplicitate sua evolvatur, mota ad aliud elementum, cui jungitur.

Tertiò. Quomodo juncta alteri elemento longè latèque se diffundat.

Quartò. Quomodo inde corpus nascatur mixtum. Atque huic quadruplici considerationi per artem adaptata principia nostra ingentem scribendi dictandique materiam exhibent. *V. G.*

De communicatione seu diffusione. De extensione seu magnitudine. De modo consistendi. De potentia. De instinctu naturali. De appetitu. De viribus. De veritate. De quiete.	Naturæ aqueæ	1. In prioritate naturæ seu ut in simplicitate sua consistit. 2. In eductione seu evolutione naturæ aqueæ à centro ad circumferentiam. 3. In dilatatione, in longè latèque diffusa mole. 4. In constitutione corporum seu mixtorum.

Quæ

Quæ per Quæſtiones fuſiſſimè examinari poſſunt, uti:

An	Sit talis	Communicatio	⚌.
Quid		Extenſio	♡.
Cur		Permanentia	o●.
Quanta		Poteſtas	α.
Quî		Inſtinctus	☉.
Qualis		Appetitus,	ω.
Ubi		Virtus	M.
Quando		Veritas	Æ.
Quibuſcum		Gloria	Min.
De quo			

Quid hæc omnia ſint ſecundum eſſe totale; ſecundum partes eſſentiales; ſecundum attributa; ſecundum actus: Deinde quomodò hæc omnia inter ſe differant, quomodò concordent, contrarienturque, quomodò cauſent, medient, finiant &c. docebimus, per principia reſpectiva ordine progrediendo.

Secundò. Hoc examine peracto procedemus paulatim à gradu entitativo quantitatis, ad vegetativum, & hinc ad ſenſitivum & intellectivum. Aſcendit autem conſideratio ad gradum animæ, qui eſt vivere, veluti per lineam ex puncto evolutam, in quo de vita animæ vegetativæ agimus eo, quem præſcripſimus, ordine & methodo; & ut uberiorem diſcurrendi materiam obtineas, ea per decem prædicamenta Tabulæ præcedenti annexa, deduces. *V. G.*

De	Subſtantia	Animæ.	Deinde. Utrum Anima	Commnicet vitam corpori.
	Quantitate			Extendat vitam in corpore.
	Qualitate			Faciat vitam durare in corpore.
	Relatione			Det potentiam vivendi corpori.
	Actione			Communicet inſtinctus.
	Paſſione			Det appetitus naturales.
	Locis			Tribuat virtutem operandi vitaliter corpori.
	Tempore			Veraciter inſit corpori.
	Situ			An quieſcat, aut quo motu moveatur.
	Habitu			

Deinde iterum	An	Sit hæc vis animæ in corpore.
	Quid	
	Cur	
	Quanta	
	Quomodo	
	Qualis	
	Ubi	
	Quando	
	Quibus modis	

Hiſce ritè examinatis procedimus ad tertium Animæ gradum, qui eſt ſentire, veluti per ſuperficiem, & notat in anima ſubſtantiam ſenſitivam, quantitatem, qualitatem ſenſitivam; & ſic procedendo per ſingula prædicamenta; ad quæ denuò applicabis principia Artis noſtræ, eo prorſus modo, quo in præcedenti exemplo præſtitum eſt; habebiſque novos titulos & capita. *V. G.* De communicatione ſubſtantiali animæ ſenſitivæ ad corpus; de extenſione ejuſdem ad corpus; de duratione ejus. &c.

In quibus omnibus per enneadem quæſtionum excitantur novæ propoſitiones tum generales, tum particulares per formalitates regularum & ſpecies earum. *V. G.* An Anima ſecundum ſubſtantiam poſſit communicare corpori ſenſationem? Quid ſit illa communicatio? De quo ſit? in quo conſiſtat?

His quoque examinatis aſcendit mens per modum profunditatis ſeu corporis, ad quartum naturæ gradum, qui eſt intelligere; in quo agitur iterum per analogiam quandam.

De facultate intelligendi	Substantiali Quantitativa Qualitativa Relativa Activa Passiva Durativa Locativa Situativa Habituativa	Deinde his applicentur principia Artis nostræ, uti de	Communicatione Magnitudine Duratione Potestate Vi cognoscitiva Facultate appetitiva Viribus Veritate Gloria	Substantiæ intellectivæ.

Deinde An, Quid, Cur &c. ea per Quæstiones examinando. *V. G.* Utrum vis substantiæ intellectivæ communicari possit alicui, præterquam homini; quæ iterum per decem prædicamenta discurrendo; fusius deduci possunt, & habebis infinitam ad innumeros libros conscribendos materiam.

Ex hoc modo procedendi, ex corporeo quanto ad secundum, tertium & quartum entis gradum, pari analogia tanquam per filum Ariadnæ deducimur ad supremum intellectualis naturæ gradum, quod est esse Angelicum, juxta supradictum quadruplicem naturæ gradum. *E. Gr.* Naturam Angelicam scrutaturus, procede primò juxta analogiam quandam decem prædicamentorum ad res corporeæ molis expertes adaptatam; In qua primò Substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, duratio, locatio, situatio & habituatio angelici esse considerabitur; Deinde hisce principia Artis nostræ applicabuntur: videlicet de Bonitate seu communicatione seu actu substantiali ipsius Angeli, De M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. ≖. ♡. ⊶. α. ⊙. ω. M. Æ. Min. His positis singula deducenda per quæstiones. *V. G.* An & Quid sit talis communicatio actus substantialis Angeli; & finito prædicamento substantiæ procedimus ad reliqua novem prædicamenta, & singula, quæ ad esse Angeli pertinent, pari pacto discutiendo. Deinde finita discussione eorum, quæ ad esse Angeli pertinent, procedemus ad secundum naturæ gradum, qui vivere est; postea ad tertium, qui est sentire; deinde ad quartum, qui est intelligere; omnia juxta memoratæ analogiæ filum: sunt enim omnes hi naturæ gradus, suo quoque modo, etsi eminentiori perfectiorique in Angelis, cæterisque Spiritibus. Ad quod facilè præstandum, Tabulam hîc annexuimus.

1. *Esse.*	2. *Vivere.*	3. *Sentire.*		4. *Intelligere.*
Substantia.	An.	B.	≖.	△.
Quantitas.	Quid.	M.	♡.	[illegible].
Qualitas.	Cur.	D.	⊶.	◎.
Relatio.	Quantum.	P.	α.	□.
Actio.	Quî.	S.	⊙.	[illegible].
Passio.	Quale.	Vo.	ω.	[illegible].
Ubi.	Ubi.	Vi.	M.	[illegible].
Quando.	Quando.	Ve.	Æ.	⬠.
Habitus.	Quibuscum.	G.	Min.	∷.

Ex hoc graduali cognitionis progressu omnia dicta ad DEUM, rerumque divinarum proprietates possunt per dictam analogiam detorqueri, in quantum hæc omnia in DEO identificantur.

CAPUT V.

De Modalitate, ſive de Quæſtione Quomodo.

QUæſtio, *Quomodo*, Modalitatem implicat, & ſubjectis univerſalibus, aliiſque ad ea reducibilibus terminis applicari poteſt. In quatuor autem ſpecies dividitur.

Prima Species	Exponit modum, quo	Pars quædam totius, per ſe ſit ſingulariter conſiderata.
Secunda Species		Partes ſint in ordine ad totum.
Tertia Species		Totum ſit in ſuis partibus.
Quarta Species		Operatio totius in alia ſuam tranſmittat ſimilitudinem.

Verùm, ut hæc omnia ritè applicentur ad Artis noſtræ Regulas, Exemplum in humano corpore, caput, aſſumemus, quod juxta primam ſpeciem, per ſe ſingulariter conſideratur; juxta ſecundam verò ſpeciem, modus oſtendendus eſt, quem reſpectum habeat in ordine ad cætera totius corporis membra; juxta tertiam verò ſpeciem, quomodò omnia reliqua membra totius corporis cum capite communicent; per quartam denique ſpeciem, quomodò in toto ſemper reluceat ſimilitudo partis.

Dilucidaturus itaque caput humanum, vide primum modum exiſtendi talis partis, & limitationem intrinſecæ ejus perfectionis B. M. D. P. Inſtinctus, appetitus, Vi. Ve. G. ═. ♡. o●. α. ⊙. ω. M. Æ. Min. quas in certa quædam capita juxta ordinem principiorum diſtribues ut ſequitur.

Exemplum primæ Speciei Modalitatis.

De { Perfectione, Magnitudine, Duratione, Poteſtate, Inſtinctu, Appetitu, Viribus, Veritate, Gloria } Capitis humani.

De { Differentia, Concordia, Contrarietate, Cauſis, Mediis, Fine, Majoritate, Æqualitate, Minoritate } Capitis humani.

Hoc poſito deduces ſingula per quæſtiones applicatas 18. principiis. *V. G.*

Per B. An caput habeat modum determinatum, in quo *communicet* cum cæteris membris, & quis ſit iſte modus, quare, de quo &c.

Per M. An caput habeat determinatam *magnitudinem?* quid ſit iſta, quare, quanta, qualis ſit, &c.

Per D. An caput præ cæteris membris maximam *firmitudinem* adeptum ſit, & quid ſit iſta, quare, quanta, qualis, &c.

Per P. An caput aliquam habeat *poteſtatem*, & quid ſit, quanta, cur, qualis, ubi, quando, &c.

Per S. An *inſtinctu* naturæ talem & talem figuram habeat? quid ſit ille inſtinctus, cur, qualis, quando, &c.

Per Vo. An natura intenderit & appetierit illam; quid ſit ille appetitus, qualis, cur &c.

Per Vi. An *vires* capiti inſint ad operationes faciendas. Quid ſint illæ, cur, quales, ubi &c. ubi & copioſus campus dabitur de facultatibus & cellulis cerebri.

An *verè* conferat ad humanas operationes perficiendas. Per Ve.

An natura *quieſcat* in tali figura capitis. Per G.

An quædam *differentia* ſit capitum; in quo illa conſiſtat; quanta ſit; qualis; cur; ubi, quando, de quo &c. Ubi de complexionibus varia. Per ═

An detur *concordia* inter capita; quid illa ſit; quanta, qualis, quare, ubi, &c. Per ♡

An detur *oppoſitiva* quædam inter capita *contrarietas*, & diſpoſitio; quid, cur, quanta, qualis, ubi, &c. Per o●

Unde *proveniat* talis & talis capitis proportio; quid; cur? & ſic de cæteris. Per α

Ad quid caput *medium* ſit neceſſarium ad operandum, quid, cur? &c. Per ⊙

Ad quid natura talem & talem capitis figuram *intenderit?* Per ω

An caput unum altero *majus* ſit, tum virtute, tum mole. Per M

An omnia capita ſint æqualia. Per Æ.

Hiſce poſitis, examinabis ſingula, per 18. principia. *V. G.* Ad primum: An caput habeat modum determinatum quo communi-

cet cum cæteris membris. Reſp. affirmativè. Et id hoc pacto probabis.

Illa pars habet modum determinatum, ſine quo cæteris membris ſe aptè communicare non poſſet.

Tale eſt caput humanum. Ergo.

Et ſic procedendo de uno in alterum, innumerabilem diſcurrendi materiam obviam reperies, quæ brevitatis cauſa omitto.

Per ſecundam ſpeciem Modalitatis. Expedita prima Modalitatis ſpecie, procedes ad ſecundam; quæ oſtendit modum partium inter ſe ipſas. *V. G.* Quomodò caput ſe habeat ad collum, brachia, pectus, ſtomachum, cor, hepar, pulmonem & cætera ordine membra; atque adeò toties præcedens methodus multiplicabitur, quoties fit ejuſdem partis ad alias comparatio; quæ rurſus per principia dilatari poſſunt. *V. G.*

Caput	Cibos communicat ſtomacho.	Per B.	Quæ differunt ab ea ratione, qua	Perficit cor.	Per B.
	Cibis implet eum.	Per M.		Extenditur ad cor.	Per M.
	Suſtentat eum.	Per D.		Conſervat cor.	Per D.
	Corroborat eum.	Per P.		Corroborat cor per ſpiritus animales aut vitales, qui ſunt in corde.	Per P.
	Et ſic de cæteris.				

Unde fieri poſſunt diverſi tituli alicujus libri. *Verbi Grat.*

De	Communicatione.	Capitis cum aliis partibus.
	Extenſione.	
	Suſtentatione & vivificatione.	
	Poteſtate.	
	Ordine.	
	Appetitu.	
	Veritate.	

Quæ omnia iterum examinari poſſunt per quæſtiones applicatas 18. principiis.

Iterum. Caput aſſumi quoque poterit, tanquam totum integratum ex partibus integrantibus illud; uti ex quinque organis ſenſoriis, & cellulis interioribus cerebri; in quantum ſcilicet virtutem ſuam influit partibus, ex quibus conſtat; partes verò illæ communicant ſuam unaquæque virtutem & perfectionem, per quas caput ipſum conſiſtit; In quo uti alia eſt ratio ipſius capitis totalis, & alia ratio ipſarum partium componentium illud; ſic dupliciter quoque tota Ars applicari poteſt ad ipſum caput, & hoc pacto innumeri tituli ſeu capita diſponi poſſunt, ad propoſitionem aſſumptam plenius dilucidandam, applicando denuò eas principiis eſſentialibus, uti de communicatione capitis ad partes, ex quibus integratur; de Extenſione; Duratione &c. & per quæſtiones ſine numero dilatari.

Per Tertiam ſpeciem Modalitatis. Et quemadmodum comparando caput ad partes ſuas, varii diſponi poſſunt tituli & capita, ita per eundem ordinem comparando partes ipſius capitis ad ipſum totum caput; uti de communicatione omnium partium ad caput; de extenſione partium ad totum; de conſervatione partium ad totum; de ordine, poteſtate &c. Quæ deinde iterum per Quæſtiones diſcutienda; ut quomodo partes exiſtant in toto? Utrum partes poſſint communicare totum ſuum eſſe capiti? Quid ſit talis communicatio? & ſic de cæteris.

Per Quartam ſpeciem Modalitatis. Per Quartam ſpeciem jam quæritur, quomodo totum caput tranſmittat ſimilitudinem ſuam, quæ potiſſimum elucet in generatione hominis, in quantum eſt actio naturalis & ſubſtantialis; vel in quantum accidentalis; cujuſmodi eſt hominis in ſpeculo comparentis imago. Prior innumeram philoſophandi materiam tibi præbere poteſt. *V. G.* Utrum aliqua ſubſtantia à capite profluat, quæ virtute ſimilitudinem capitis contineat; cujuſmodi eſt portio ſeminalis, ex qua caput in generato formatur. Deinde illud per Quæſtiones examinetur: Quidnam ſit illa virtus, qualis, quanta, unde, cur: applicando ea deducendoque per principia, eo ordine & methodo, quam præſcripſimus; primò in titulos ſeu capita totum argumentum diſpertiendo. Uti: De communicatione ſimilitudinaria & ſubſtantiali capitis generantis in generato. De Extenſione talis ſimilitudinis; De perſeverantia in generato. De poteſtate; &c. Et utrum talis dari poſſit? Quid? De quo? in quo conſiſtat? Eadem de ſimilitudine accidentali dici poſſunt; ut dum caput per aërem in ſpeculum tranſmittit ſimilitudinem ſui, ſive ſpeciem; per quam notitiam traditur admiranda de ſpeciebus à quolibet corpore emiſſis, notitia. Atque hæc de rerum materialium ſenſibiliumque indagatione ſufficiant.

Quoniam tamen nonnulla ſunt entia ſpiritualia, quæ non habent partes componentes; ut Anima & Angelus, ideò juxta analogiam

logiam quandam partium ſumi debent, cujuſmodi actus animæ, & potentiæ animæ ſubſtantiales eſſe poſſent; eò quòd Anima, ſive Angelus actus purus minimè dici poſſit, veluti DEUS; ſed actus mixtus ſit cum potentia, ex qua cum actu animæ reſultat tota anima. Atque hoc pacto de actu Animæ, veluti de una parte Animæ, eodem prorſus modo, quo de parte materiali egimus, tractari poteſt; uti de Communicatione actuali, Extenſione actuali, duratione actuali, & ſic de cæteris ordine principiis. Quæ iterum per Quæſtiones dilucidanda ſunt; per quadruplicem Modalitatis Speciem. Et finitâ materiâ de actu Animæ, ad potentiam ejuſdem tranſeundum eſt, eodem ordine & methodo, qua dictum eſt. Quæ in ſequentibus fuſiùs demonſtrabuntur.

CAPUT VI.

De Quæſtione Quando, ſive de Temporalitate.

QUæſtio, *Quando*, implicat Temporalitatem, ita tamen, ut æternitatem æviternitatemque minimè excludat. Quomodò itaque res in tempore, quomodò in æviternitate, quomodò in æternitate ſint, diſpiciendum reſtat.

Tempus variè conſiderari poteſt; uno modo, pro menſura durationis creatæ incorruptibilis; & ſic æviternitatem includit. Alio modo ſtrictè ſumitur pro menſura durationis motus & rei permanentis generabilis & corruptibilis; & definitur à Philoſopho, numerus motus ſecundum prius & poſterius; ſeu menſura diſcretiva & determinativa durationis motus, ſecundum quod iſte per prius & poſterius correſpondet menſuræ ſeu durationi, quæ motum menſurat ſecundum prius & poſterius; & hoc Tempus ſeu menſura dicitur eſſe tanquam in ſubjecto, in primo motu Cœli, qui eſt veluti menſura reliquorum motuum, & actionum temporalium, quæ in inferioribus fuit. Tale autem tempus ſecundum rationem formalem dicitur eſſe ratio diſcretiva animæ, quâ anima animadvertit prius & poſterius in motu, & quibuſdam aliis operationibus; Secundum rationem verò materialem dicitur motus, quâ motus eſt materia, ſuper quam, & in qua demonſtratur duratio temporis, ut ſit in motu & defluxu arenæ ſeu aquæ in clepſydra, per quem anima diſcernit horam, quam ſine fluxu arenæ deprehendere non poſſet; atque adeò tempus nil aliud ſit, quàm duratio ſeu mora motus ab anima numerante, in quantum mediante motu menſurat continuationes vel durationes aliorum.

Atque ex hoc motu tota dependet temporis diſtributio, in ſæcula, luſtra, annos, menſes, dies, horas, minuta. Æviternitas verò definitur menſura durationis rerum incorruptibilium, quæ uti principium habet ſui, ſic ſine caret. Cujuſmodi ſunt, Angelus, Anima rationalis, Materia. Æternitas verò eſt interminabilis vitæ poſſeſſio tota ſimul & perfecta; ſeu duratio quædam indeficiens & omninò immutabilis, cujus eſſe eſt ſemper totum. Et de hiſce tribus, hîc paucis per Paradigmata acturi ſumus.

CAPUT VII.

De Tempore ſive de Quæſtione Quando.

QUæritur itaque primò, Quando homo propriè ſit? Reſpond. per quatuor ſpecies Regulæ Quid. Hominem tum eſſe quandò eſt totum eſſe corporale & ſpirituale abſolutum hominis. Secundò, quandò forma & materia uniuntur. Tertiò, quandò exercet operationes homini convenientes; quandò tranſmittit aliquam ſui ſimilitudinem in alium.

Notandum hoc loco, hanc Regulam Quæſtionis de *Quando*, alias quatuor Quæſtionum Regulas involvere; & ſunt Regulæ de Quid, de quo, regula modalitatis, & inſtrumentalitatis, ex quibus naſcuntur 15. modi quærendi per Quando, qui ſunt ejus ſpecies. *V. G.* Si quæratur; Quando ſit homo in eſſe ſuo naturali?

℞. per primam Regulam de Quæſt. *Quid.* 1.
Tunc hominem eſſe completæ perfectionis, quandò totum eſſe hominis abſolutum eſt.

℞. iterum per ſecundam ſpeciem Regulæ *Quid.* 2.
Tunc eſſe hominem completè perfectum; quando formæ & materiæ perfecta facta fuit unio.

℞. per tertiam ſpeciem Regulæ *Quid.* 3.
Tunc dicimus eſſe hominem perfectum, quando inclinationes & proprietates naturales ei inſunt.

4. Et per quartam ſpeciem regulæ *Quid.* Quando corpus aliquam actionem edit in alio.

5. Per Regulam, *de Quo*, quæ materialitatem notat, & triplex eſt: *Primitiva*, *Derivativa*, *Poſſeſſiva*, ita Reſpondetur.

6. Primò. Tunc eſſe hominem, quando cauſatur & generatur ab alio.

6. Secundò. Quando partes derivantur & uniuntur in eo.

7. Tertiò. Quando corpus hominis poſſidetur ab alio, vel ipſum poſſidet aliquid.

8. Item per Regulam Modalitatis ſuprà traditam. ℞. 1. Tunc eſſe hominem, quando pars hominis modificatur & determinatur.

9. 2. Tunc, quandò pars ordinatur ad alias.

10. 3. Quandò totum eſſe hominis integratum eſt.

11. 4. Quandò ſui emittit ſimilitudinem.

Per Regulam verò inſtrumentalitatis, cum quo.

℞. 1. Tunc hominem eſſe, quando eſt inſtrumentum partiale corporis hominis. 12.

2. Quando ſunt plura inſtrumenta tanquam partes inſtrumentales corporis hominis. 13.

3. Quando totale inſtrumentum corporis hominis. 14.

4. Quando emittit ſimilitudinem ſui. 15.

Per has Regulas pari prorſus ratione deprehenditur ratio temporis, per eſſentiam rei in Regula per Quid: per materialitatem rei in Regula, De quo; & per modalitatem & inſtrumentalitatem in Regula, Cum quo. *V. G.*

Ubicunque quædam, quæ materialiter durant, reperiuntur, neceſſe eſt, ut tempus ſit, per quod ipſa durent & menſurentur. Sed homo durat materialiter. Ergo.

Si verò dicta velis ad principia Artis applicare, conficies octodecim capitum argumentum, quo totius temporis ratio enodetur. *V. G.*

B. 1. De actu & *communicatione* temporis in eſſe abſoluto corporis humani.
M. 2. De *magnitudine* temporis, quo in utero formatur homo.
D. 3. De præciſa *conſervatione* temporis in eo.
P. 4. De *poteſtate* temporis in formando corpore humano, ubi de primorum membrorum geneſi.
S. 5. De ordine temporis in tali eſſe *abſoluto.*
Vo.Vi. 6. De *appetitu* & inſtinctiva vi temporis ad expellendum.
Ve. 7. De *veritate* & infallibili temporis regula conſiderando ordinem naturæ.
G. 8. De *quiete* ſeu gloria temporis, abſoluto corpore.
⚌. 9. De *differentia* temporis in corporis fabrica, ubi de novimeſtri & octimeſtri partu.
♡. 10. De *concordantia* temporis ordinaria in novimeſtri geneſi.
o●. 11. De *contrarietate* temporis in corpore formando.
α. 12. De *principiis* & cauſis formationis.
⊙. 13. De *mediis* in eo ritè formando.
ω. 14. De *fine* quem intendit natura per tempus.
M. 15. De *majoritate* temporis, ſive de exceſſu durationis fœtus in utero.
Æ. 16. De *æqualitate* temporis in ordinaria mora fœtus in utero.
Min. 17. De *defectu* temporis, quo fœtus ante vel poſt tempus editur.

Horum deinde capita ſingula per Quæſtiones examinabuntur ordine. *V. G.*

An actus & forma temporis ſit in abſoluto eſſe corporis humani.

Quid ſit, & qualis ſit talis actus temporis.

Cur ſit; quantus ſit; quomodo ſit; ubi ſit; &c.

Et deinde hæc iterum deducentur per quatuor ſpecies Regularum Quid, De quo, Quando, Cum quo.

Ex quibus ritè diſcuſſis immenſa reſultabit de formalitate temporis notitia, ſeu de modo exiſtendi in tempore, quæ eſt propria ratio, quam Regula, *Quando*, intendit.

His ritè diſcuſſis & examinatis, à materialibus & temporalibus aſcendimus ad modum conſiderandi ea, quæ ſunt æviterna; ut ſunt Anima, Angelus, Materia; quæ omnia iterum examinabuntur per 15. ſpecies, *Quando*, paulò ante adductas; cujuſmodi ſunt quæ ſequuntur.

1. De esse absoluto.
2. De partibus componentibus essentialibus.
3. De inclinationibus & proprietatibus.
4. De actibus exterioribus.
5. De creatione.
6. De derivatione seu constituentibus partibus angelicè considератis.
7. De possessione, quomodò possideatur & possideat Angelus.
8. De actu & potentia, quæ sunt partes.
9. De concursu unius partis ad aliam.
10. De totalitate Angeli absoluta & determinata.
11. De emissione similitudinis à tali totalitate.
12. De Angelo, in quantum habet potentias, quæ sunt intellectus & voluntas.
13. De concursu instrumentorum partialium.
14. In quo est totale instrumentum.
15. De actione totali emissiva similitudinis sui.

} Angeli vel Animæ.

Hæc Capita iterum fusissimè dilatari possunt per eorundem applicationem ad 18. principia & Quæstiones, distribuendo ea in nova Capitula & titulos, veluti assumpti argumenti rivulos quosdam. *V. G.*

1. De actu & *communicatione* æviternitatis in esse absoluto.
2. De *magnitudine* æviternitatis in eo.
3. De *duratione* æviternitatis in eo.
4. De *potestate*; ordine, *appetitu*. Vi. Ve. G. ⚌. ♡. ○●. α. ⊙. ω. M. Æ. Min. Æviternitatis in eo.

Quibus positis applicabuntur Quæstionum suprà adductarum Regulæ, de Quid, de Quo, Quando, Cum quo, & emerget denuò innumerabilis discurrendi materia.

V. G. Per Regulam primam de Quid. Utrum æviternitas possit mensurare esse
B. Angelicum & *communicari* illi. Quid sit talis *Communicatio*; Cur, De quo, &c.
Deinde. An sit *æviternitas* ex parte termini *infinita?*
M. Quid sit illa *infinitas?* qualis?
D. An sit *duratio* quædam successiva, an non? Quid sit illa duratio?

An sit in *potentia*, an actu tota? & quid sit illa potentia ante actum? P.
An æviternitas sit *comprehensibilis?* S.
An omnia *appetant* æviternitatem? Vo.
An, & quænam *vis* sit æviternitatis? Vi.
An *verè* tempus involvat. Ve.
De *gloria* æviternitatis. Et sic de ⚌. ♡. G.
○●. α. ⊙. ω. M. Æ. Min. Æviternitatis.

Tandem discussa Temporis & æviternitatis natura & essentia, transeundum ad ipsam æternitatem, qui DEUS est, interminabilis tota simul & perfecta vitæ possessio, indeficiens, immutabilis, indivisibilis, à nullo creaturæ intellectu comprehensibilis; possumus tamen secundum analogiam quandam dictorum 15. modorum essendi, uti ad corruptibilium in tempore, ita ad DEI in æternitate existentis notitiam pervenire; atque adeò totam de æternitate materiam in certa capita dicto modo redigere; quæ deinde discussa & stabilita per 18. principia, quæstionumque species, interminam dabunt disserendi materiam.

Tituli seu Capita Argumenti de æternitate, per 15. modos essendi in æternitate.

1. De esse totali.
2. De coessentialibus, Tivum, are, bile.
3. De Attributis intrinsecis.
4. De actu.
5. De principio sine principio.
6. De derivatione.
7. De possessione.
8. De ratione per modum partis.
9. De ratione per modum partium ad totum nostro modo intelligibilium.
10. De ratione, qua per modum instrumenti partialis consideramus.
11. De ratione, qua per modum concursus instrumenti partialis ad aliam partem consideramus.
12. De ratione considerationis per modum instrumentalem totalem in aliis.
13. De modo emissionis similitudinis in alia.

} Æternitatis in æternitate.

Atque

Atque per hosce 15. modos, fusam habebis disputandi materiam, si eam rursus ad 18. principia applicatam per quæstiones agitaveris; in titulos totam resolvendo materiam juxta seriem principiorum. *V. G.*

De { Actu & *bonitate* essentiali, Infinita *duratione*, Duratione & simultanea permanentia. *Potestate*, *Instinctu*, *Appetitu*, *Virtute*, *Veritate*, *Gloria* } Æternitatis.

De { *Differentia*, *Concordantia*, *Contrarietate*, *Causis* & *Principio*, *Medio*, *Fine*, *Majoritate*, *Æqualitate*, *Minoritate* } Æternitatis.

Hæc si denuò per Quæstiones ordine examinâris, tot ac tanta tibi de æternitate dicenda occurrent, quanta vasto volumine comprehendi non possint. *V. G.*

B. Utrum sit actus & communicatio æternitatis, respectu æternitatis & temporis?

M. Utrum se extendat æternitas secundum aliquem modum ad æterna & temporalia?

D. Utrum duratio æternitatis possit inveniri in re æviterna & temporali? Sive utrum aliqua creatura æviterna possit esse ab æterno.

Deinde per Regulas, de Quid, de Quo, Quale, Quantum, Quando, Cur. &c. Ordine omnia & singula examinanda sunt.

Quæ omnia, non uti in creatis rebus fit, DEO applicari debent; sed uti dixi, per analogiam quandam rerum creatarum finitarumque ad infinitum; hoc enim, quicquid in creatis rebus perfectionis existit, & reperitur, in se eminenter continet; operamurque juxta modos durationis æternæ, abstrahendo & removendo ab ea omnem imperfectionem; ut proinde hi modi solummodò modificent & dirigant intellectum nostrum ad divina attributa cum ea reverentia & humilitate, qua decet, investiganda; quomodo DEUS in æternitate, hoc est, in se ipso sit & existat. Atque hæc de Regulis Quando sufficiant.

CAPUT VIII.

De Regula Quæstionis, Quale.

COmplicat hæc Regula omnes qualitates rerum tam corporalium, quàm spiritualium; Quemadmodum enim in Regula *de Quanto* duplicem constituimus quantitatem, molis & virtutis; ita pariter hîc duplicem adstruimus qualitatem; aliam incorporeis, aliam corporeis rebus competentem: quarum utramque iterum duplicem statuimus: aliam intrinsecam & essentialem: aliam extrinsecam, appropriatam & accidentalem. Hoc pacto propria & primaria qualitas intellectûs est intelligibilitas, cum qua intellectus est habituatus; estque eidem intrinseca & essentialis, sine qua intelligere nequiret; atque in hac disponitur species intelligibilis, & recipit quandam similitudinem intelligibilitatis interioris & substantialis, ut possit ab intellectu intelligi; ex qua procedit extrinsecum illud intelligere, quæ est substantialis intelligibilitas intellectûs; illa autem quæ reperitur in specie intelligibili, accidentalis est, acccidit enim speciei intelligibili illuminari ab intrinseco lumine intellectus, & hoc pacto fit intellectio, à qua actione seu qualitate primariò & essentialiter denominatur qualis: Est enim primaria & secundaria qualitas, ut patet in igne, cui primò convenit essentialiter esse calidum, secundariò verò esse siccum; quæ omnia ut planè enucleentur.

Nota, in Elementis proprias considerari qualitates veluti formas quasdam. *V. G.* In Terra siccitatem; frigiditatem in Aqua; in Aëre humiditatem, in igne caliditatem; secundum quas unumquodque istorum elementorum formaliter consistit. Hoc pacto, quandò Terra communicatur aquæ, recipit ab aqua frigiditatem; quandò aëri, humiditatem; quandò igni, caliditatem; quandò ignis Terræ, recipit ab ea siccitatem; & hujusmodi qualitates superventaneæ dicuntur extrinsecæ & appropriatæ. Sed vide, quæ de hisce fusiùs in Arte Combinatoria de Combinatione Elementorum tradidimus; Ex hisce enim mixtionibus, quicquid in corporeo

poreo Mundo ſpectatur, componi neceſſe eſt. Sed ut ad noſtrum inſtitutum propiùs accedamus; jam videamus, quomodò per Regulam *de Quale*, ingentem nobis de quocunque mixto philoſophandi materiam comparemus, tum ad dicendum, tum ad ſcribendum opportunam.

Si itaque de Terrâ nobis ſermo futurus eſſet, primò in Capita quædam referes omnia illa; quæ eſſentialiter & formaliter Elementum Terræ conſtituunt; cujuſmodi eſt ſiccitas, ſine qua nec concipi nec conſiſtere poteſt; forma ejuſdem eſſentialis corpulentiam & ſoliditatem omnibus reliquis mixtis corporibus tribuens; quæ juxta principia noſtra ita diſpones.

B.	De	Actu ſeu *bonitate* ſiccitatis Terræ.
M.		*Magnitudine* ſiccitatis, in quantum omnia alia corpora ſolida facit.
D.		*Duratione*, in quantum omnia ſubſiſtere facit.
P.		*Potentia* in coagulandis corporibus.
S.		*Inſtinctu*, quo fugit humidum.
Vo.		*Appetitu* ad unionem partium.
Vi.		*Viribus*, quas exerit in conſtitutione mixtorum.
Ve.		*Veritate* conſiſtentiæ ejus.
G.		*Quiete* & gloria in loco ſibi proprio.
		〓. ♡. ○●. α. ⊙. ω. M. Æ. Min. Siccitatis Terræ.

Hæc deinde per quæſtiones examinabuntur. *V. G.*

An ſiccitas ſit actus formalis Terræ? quid ſit illa? Qualis? Cur? Ubi? &c. Et ſic de cæteris ordine titulis examinandis procedendum eſt, per quos intellectus quærendo & inveſtigando propriam & eſſentialem qualitatem Terræ, diſcurrit. Et Modus, qui de elemento Terræ dilatando hîc traditus eſt, erit inſtar fili Ariadnæ ad inveſtigandum eodem modo cæterorum elementorum naturam, proprietatem & qualitates eſſentiales. Sed de his fuſiùs in Medicina Combinata.

Diximus de Qualitatibus elementaribus, jam de qualitate animi & corporis, quarum illam Logici diſpoſitionem & habitum, hanc, formam & figuram nominant, agemus; quarum utramque pulchrè pariter per Artis noſtræ principia deduces hoc pacto: Si *V. G.* agendum eſſet, de qualitate eſſentiali ipſius diſpoſitionis aut habitus, aut de accidentali qualitate in ordine ad diverſos actus, poſſumus hæc omnia dilatare per noſtra principia eo modo, quo in præcedenti exemplo oſtendimus. Idem fieri poteſt in forma & figura. Sed exemplo res patebit luculentius.

Quæritur itaque de Habitu, uti eſt radicata qualitas, firmata & immobilis ſive difficulter mobilis ad operandum. De hac qualitate hoſce titulos juxta principiorum ordinem formare poteris.

B.	De	*Communicatione* ſeu actu formali,	Talis Habitus.	De	〓.	Talis Habitus.
M.		*Extenſione* & magnitudine,			♡.	
D.		*Duratione*,			○●.	
P.		*Poteſtate*,			α.	
S.		*Inſtinctu*,			⊙.	
Vo.		*Appetitu*,			ω.	
Vi.		*Virtute*,			M.	
Ve.		*Veritate*,			Æ.	
G.		*Gloria*,			Min.	

Juxta hos titulos ſingula per Quæſtiones examinabis hoc pacto.

B. An detur actus formalis, ſeu *bonitas* habitûs.
M. An *extendatur* ad operandum.
D. An poſſit immobiliter *durare* in operatione.
P. An habeat aliquam *vim inſtinctivam* ad operandum.
S. An proprie *appetat* cognoſcere.
Vo. An *vires* habeat ad operandum.
Vi. An *verè* ſit radicata qualitas.
Ve. An & in quo *quieſcat*.
G. An differat, concordet, contrarietur, cauſet, mediet, finem intendat. &c.

Deinde quid hæc omnia, cur, quomodo, ubi, quibuſcum, de quo ſint. Quæ omnia eodem ordine formæ & figuræ applicanda ſunt.

Et quoniam in intrinſecis qualitatibus diſpoſitio ſemper præcedit habitum, In extrinſecis verò, forma figuram; In iis diſquiſitionis tuæ argumentum auſpicaberis ſemper à diſpoſitione, in his à forma.

V. G. Sit tractandum de forma ſubſtantiali hominis, quæ eſt anima; hanc ita deduces per noſtra principia.

De forma, quæ est rationalis anima, dices esse	Maximum bonum.	B.
	Extensam definitivè in corpore.	M.
	Duratione æviternam.	D.
	Potentem in operationibus.	P.
	Sapientiæ acquirendæ studiosam.	S.
	Appetitivam multipliciter.	Vo.
	Viribus summis præditam.	Vi.
	Veritate essentiæ firmatam.	Ve.
	Gloriosam in fine, quem semper intendit.	G.

De forma corporis pulchra, dices esse	Donum DEI singulare.	B.
	Proportionatam.	M.
	Durabilem.	D.
	Potens allectamentum.	P.
	Quam omnes cognoscere appetunt.	S.
	Illicias amoris divini.	Vo.
	Virtute magna præditam.	Vi.
	Veram.	Ve.
	Gloriosam.	G.

Turpem contra per opposita hisce describes.

Deinde per Quæstiones singula examinabuntur, ut in præcedentibus dictum fuit; ubi transgressio fieri potest sanè peropportuna de dispositionibus naturalibus aut moralibus in anima aut corpore; quales sint ex parte corporis dispositiones, quas habet per vires naturales operando; & in anima inclinationes ad nonnulla opera quasi sibi naturalia; Sunt enim virtutum omnium semina nobis quasi insita, quæ quando in opus transfluunt, dicuntur extendi, & dicuntur dispositiones; quando verò immobiliter sive difficulter mobiles insunt animæ, dicuntur habitus; dispositiones quidem ex parte corporis dicuntur inclinationes respectu prædominantis elementi, quibus ad taliter & taliter operandum disponitur anima: hoc pacto sanguinis temperamentum disponitur ad ea, quæ lætitiam; Melancolicum ad ea, quæ tristitiam & mœrorem; Cholericum ad jurgia; Pituitosum ad somnum & ingluviem. In quibus si immobiliter perseveret, nascitur habitus difficulter mobilis.

Atque quadruplex hæc qualitas, Dispositio, habitus, forma, figura, non tantùm ad animæ humanæ formam & figuram transferenda sunt, sed & ad formas rerum inanimatarum, vegetabilium & sensitivarum applicari scitè possunt.

Quod si nobis ad altiores naturæ gradus procedendi animus sit, poterimus hæc eadem juxta Artis nostræ analogicæ præcepta, Angelicæ quoque naturæ applicare, & in Angelo formam & figuram Angelicam, dispositiones & habitus Angelorum ad operandum; tametsi enim hæ qualitates in Angelica natura non reperiantur per modum supradictum in materialibus, secundum tamem analogiam quandam, seu metaphoricos sensus omnia facilè adaptari possunt. Quin imò juxta dictos analogicos conceptus, vel ipsi Divinæ naturæ, hæc omnia suo modo, non accidentaliter, sed substantialiter & divinè applicari poterunt. *V. G.*

De forma DEI.

De figura DEI, in quantum filius est imago Patris.

De dispositionibus divinis, quæ tot sunt, quot sunt attributa.

De habitu divinæ naturæ.

Quibus nobis per	B.rem	Influit	Omnia *bona.*
	M.nem		Omnem *excellentiam.*
	D.		*Durabilem* consistentiam.
	P.		Ut quod *possumus*, possimus.
	S.		*Lumen* ad intelligendum.
	Vo.		*Appetitum* ad volendum amandumque.
	Vi.		*Virtutes* naturales, morales, supernaturales.
	Ve.		*Firmitudinem* & constantiam.
	G.		*Quietem* & felicitatem.

Ex his denique novi tituli formari possunt.

De communicatione & actu Deitatis.

De M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. Quæ deinde ulterius discutiantur per Quæstiones. *V. G.* Utrum talis communicatio & actus reperiantur in DEO? Quid sit? De quo sit? Ex quibus patet, quantam nobis disceptationis congeriem per hujusmodi Artis nostræ præcepta comparare queamus.

§. IX.

§. IX.

De Regula Quæstionis Ubi, sive de Localitate.

Triplici modo res esse in loco possunt. *Repletivè, Definitivè, Circumscriptivè.*

Primò modo DEUS Opt. Max. est; quia omnem locum implet, ita ut impossibile sit, locum esse, quem non impleat, & hoc pacto non continetur à loco, nec dicitur esse in loco, quia videlicet immensivè infra & supra Mundum est, sustentans eum, suprà Mundum regens, intra Mundum conservans, extra Mundum sua virtute ambiens; neque in loco est definitivè, in aliquo loco determinato, cujusmodi locus competit Angelis, qui ita sunt in uno loco, ut non possint esse uno & eodem temporis instanti in alio; neque circumscriptivum Ubi DEO competit, cum illud proprium rerum corporearum & loco commensuratarum sit; & sic definitur: *Locus* est superficies corporis immediata & ambiens locatum; & sic dicuntur esse in loco corpora circumscriptivè, occupativè, commensurativè, dimensivè & quantitativè; Et hoc ubi est vel generale; quandò videlicet una superficies multa alia continet locata; uti primum Cœlum continet omnia inferiora & intra se conclusa; in loco communi non est necessarium, ut superficies universalis omnia intra eandem conclusa immediatè circumscribat, unde & impropriè locus dicitur; Particulare verò ubi est, quando una superficies unum tantùm locatum continet & circumscribit; ut superficies ambiens hominem. Tunc tam secundum Ubi generale, quàm particulare aliquid in loco esse potest quindecim modis.

Quomodo Deus existat.

Loci definitio.

1. Quando esse *absolutum* rei est sub aliquo superficie circumdante tale esse.
2. Quando partes essentiales *componentes* essentialesque alicujus entis sunt sub tali superficie.
3. Quandò inclinationes & propensiones entis sunt sub ea inclusæ.
4. Quando ens operatur intra eandem superficiem.
5. Quando primitivum entis verificatur sub ea.
6. Quando componitur & constituitur ex his partibus intra eam.
7. Quando possidetur à tali superficie.
8. Quando est pars locata intra talem superficiem.
9. Quando simul concurrit in collectione cum aliis partibus.
10. Quando in sua totalitate circumscribitur ab ea.
11. Quando extra se intra eandem emittit similitudinem sui.
12. Quando in ea est veluti pars & instrumentum operationum materialium.
13. Quando secundum generalitatem suæ totalitatis ambitur à loco communi.
14. Quandò cum aliis concurrit.
15. Quando instrumentaliter intra eam emittit similitudinem sui.

Ex hisce abundantissimam de Ubi, discurrendi materiam tibi comparabis, si ea per principia dilatâris, & dilatata per Quæstiones examinâris; videlicet ea omnia in capita disponendo juxta principiorum seriem.

B.	De	*Necessitate* loci generali.
M.		*Extensione* ejusdem, & an infinitum se extendere possit.
D.		*Conservatione* & immobilitate loci generalis.
P.		*Potestate* loci generalis in influendo in inferiora.
S.		*Ordine* locatorum intra eum. Et sic de cæteris.
		Instinctu, virtute, veritate, quiete loci generalis.
Item ⚌.		*Differentia* à loco particuliari.
♡.		*Unione* corporum intra eum locatorum.
⚯.		*Contrarietate* locatorum intra eum.
α.		*Causalitate* locatorum.
⊙.		*Intermediis* locis particularibus intra generalem contentis.
ω.		*Fine* generalis loci.
M.		*Majoritate, Æqualitate, Minoritate* locatorum intra eum.

Quæ si per Quæstiones examines, in immensum abit argumentorum congeries. *V. G.* Per ⚌.

Utrum locus essentialiter differat diffusione & extensione sui à particulari loco? Quid illa sit? Quomodo fiat? Quare fit, quanta & qualis, ubi? &c.

Utrùm differat extensione, duratione, potentia, ordine, instinctu naturali, virtute, veritate?

Utrum concordet, contrarietur, principiet, mediet, finiat &c.

Quid sint illa in alio loco communi? quid agant in eo?

Expoſuimus modos eſſendi loci generalis, jam particularis loci modi eſſendi deſcribendi ſunt; qui quidem totidem ſunt, quot modi eſſendi loci generalis; ita ut eodem ordine & methodo ea applicare poſſis loco particulari, quâ univerſali.

V. G. Titus dicitur in loco eſſe. Quæritur igitur quomodo immediata ambiente eum ſuperficie circumſcribatur.

℞. 1. Quia *abſolutum* eſſe Titi eſt intra eam.
2. Quia partes *componentes* Titi ſunt in ea.
3. Quia inclinationes, propenſiones ſeu habitus Titi ſunt intra eandem *permanentes*.
4. Quia *actus* immediatus contingendi talem ſuperficiem particularem eſt intra eam.

Et ſic de cæteris ordine modis eſſendi in loco procedes, ea applicando Tito in loco particulari conſtituto.

Quæ octodecim principiis applicata novam dabunt diſceptandi materiam; ut de communicatione loci particularis ad Titum, de extenſione, duratione, poteſtate, ordine. &c.

Iterum de differentia loci particularis Titi à quolibet alio. De concordia, contrarietate, principio, medio, fine. &c. Deinde per Quæſtiones ſingula inveſtigabis: utrum videlicet locus particularis circumſcribat Titum; in quo conſiſtat illa circumſcriptio; & ſic de cæteris Quæſtionibus.

Porrò poſſunt hæc ex Artis Analogicæ præceptis ſecundum quandam analogiam etiam applicari ad Angelos. Et primò quidem formando titulos de ſingulis. *V. G.* Argumenta per analogiam loci quantitativi ad Ubi Angelicum.

B. 1. Utrum *neceſſariò* Angelus in loco ſit definitivè; In quo conſiſtat Ubi definitivum Angeli.
M. 2. De *Extenſione* Angeli in loco; Utrum & quomodo ſit definitivè in loco.
D. 3. De *duratione* in loco definitivo, & quomodo perſiſtat in loco tali.
P. 4. De *poteſtate* in loco definitivo, & quomodò in eo operetur.
S. 5. De *ordine* ad eum locum; an verè commenſuretur loco materiali.
Vo. 6. De *appetitu* ad locum. An appetat unum præ alio.
Vi. 7. De *virtute* in loco. Quomodo & quid operetur in tali loco.
Ve. 8. De *veritate*. An verè poſſit dici, Angelus eſt hîc, vel alibi.
G. 9. De *gloria*. An Angelus verè ſit in loco immobilis, an ſe contrahat & extendat in eo.

Et eodem modo hæc princiis Reſpectivis applicabis. An differat quoad loca Angelus; an concordet; an ſemper habeat eandem extenſionem in loco, & quî ſe extendere poſſit.

Argumenta ex analogia quadam ad Ubi DEI. Hiſce oſtenſis ex Ubicatione Angelica aſcendes ſecundum eandem analogiam ad Ubi repletivum DEI Opt. Max. illud per 18. principia deducendo.

B. De communicatione repletiva per influxum *bonitatis*.
M. De *extenſione* ejus infinita per præſentiam.
D. De repletione æterna per *conſervationem*.
P. De *omnipotenti* repletione per adminiſtrationem.
S. De *ſapienti* & ordinata repletione per providentiam.
Vo. De *amabili* & ſuavi repletione per *amorem*; quo diligit opera ſua.
Vi. De *virtute* repletiva omnium, vires ſingulis præbendo.
Ve. De *veritate* repletiva, dans omnibus eſſe.
G. De *glorioſa* repletione, dans omnibus quietem in ſuis operationibus.
⚌. De *differentia* repletivi Ubi. Aliter enim implet Cœlum, aliter elementa, aliter vegetabile, ſenſitivum, Hominem, Angelum, omnia multipliciter.
♡. De *unione* repletiva DEI cum rebus, quas implet.
o●. De *contrarietate* repletiva Ubi, DEI, expellente malum.

Et ſic de aliis. In quorum quolibet per Quæſtiones, novam parabis diſputationis materiam.

Ut, quid ſit replere omnia. An DEUS in omnibus ſit omnia. Cur DEUS omnia repleat; quantus, qualis, quid conferat. Sed hæc de Quæſtione localitatis ſufficiant.

CAPUT

CAPUT IX.

Regula Quæſtionis de Quo.

Quemadmodum per Regulam	Utrum.	Exiſtentia rei,	inquitur. Ita per Regulam, *de Quo*, potiſſimum inveſtigatur rerum materia.
	Quid.	Formalitas & eſſentia,	
	Quare.	Finis,	
	Quantum.	Quantitas.	
	Quale.	Qualitas rerum,	
	Quando.	Duratio,	
	Ubi.	Locus,	
	Quomodo.	Modus,	
	Cum quo.	Inſtrumentum,	

Habet autem hæc Regula tres Species.

I. Species de Quo. Prima dicitur Primitiva; quia per eam prima & univerſalia attributa cujuſque rei per omnia cauſarum genera inquirimus. Ita Intellectus, Memoria, Voluntas, ſunt à ſeipſis primitivè, nec ab alio intellectu, memoria, voluntate dependent.

II. Species. Quæſtiones notæ. Secunda Species dicitur Derivativa; quando videlicet quærimus, unde aut de quo aliquid ſit, reſultet, aut fiat. Ut cum quæritur, unde ſit intellectus, de quo ſit derivativè? Reſpond. quod ſit de ſuis intrinſecis correlativis, intellectivo, intelligibili & intelligere, ex quibus tanquam ex actu & potentia reſultat intellectus. Item, unde eſt aurum? Reſpond. eſſe derivativè de ſuis elementis & à materia auri ſeu metallica, à forma ſeu aureitate, à quibus tanquam à partibus componentibus reſultat aurum. Hoc pacto Homo eſt ex corpore & anima rationali corpori ſimul juncta.

III. Species. Tertia Species dicitur Poſſeſſiva. Ut cùm quæritur, cujus eſt intellectus? Reſpond. Hominis. Cujus equus? Domini, qui poſſidet equum. Et juxta hanc ſpeciem non tantùm quæritur de his, à quibus res poſſidetur eſſentialiter, tanquam attributis ejus rei eſſentialibus; ſed de his quoque, quæ accidentaliter poſſunt eidem rei verè applicari. *V. G.* Leo dicitur poſſideri eſſentialiter ab animali, quod ejus eſt eſſentiale attributum; & Leo flavus dicitur poſſideri à flavedine, quæ hîc accidentaliter Leoni attribui poteſt, & à proprio domino, qui ſupra leonem accidentaliter dominium habet.

Hinc veluti per ſcalam quandam aſcendimus ex his per modum poſſeſſionis ad ea, quæ reperiuntur in eadem re per modum compoſitionis ſeu derivationis, & ab his ad ea, quæ ſunt in re per modum primitivitatis. *V. G.* Per Regulam de Quo, Titus eſt poſſeſſivè rationalis, quia hujuſmodi attributum illi eſſentialiter competit per hominem; & derivatè ſive compoſitivè, ex anima rationali & corpore; & tandem primitivè, de animali, vivente, corpore, ſubſtantia, ente, de primis videlicet principiis, ex quibus ens conſtat. Hoc pacto omnia, quæ Tito eſſentialiter competunnt, demonſtrare poſſumus, aſcendendo ab infimo gradu ad ſupremum, per demonſtrationem Quia; uti fecit Ariſtoteles, & deſcendendo à ſummo ad infimum per demonſtrationem, propter Quid, ut fecit Plato.

Hoc pacto per deſcenſum demonſtratione propter Quid, Titus eſt derivativè de bonitate; quia perfectus eſt in ſua eſſentia individuali. Per Syntheſin.

Si ergo eſt à bonitate, ergo eſt ab entitate; quia ei formalitas communicatur entis.
Si ab entitate, ergo eſt de ente.
Si de ente, ergo de ſubſtantia per ſe ſubſiſtente; ſubſtantia enim facit, ut per ſe ſubſiſtat.
Si de ſubſtantia per ſe ſubſiſtente, ergo & de corpore; quia facit illum longum, latum, profundum. Reſolutio quæſtionis.
Si de corpore, ergo de vivente, quia vita Tito eſt eſſentialis.
Si de vivente, ergo de ſenſitivo, quia hic naturæ gradus pariter ipſi eſt eſſentialis.
Si de ſenſitivo, ergo de animali.
Si de animali, ergo de homine, quia formaliter per humanitatem Titus conſtituitur homo.
Eſt igitur Petrus derivativè homo ex anima & corpore conſtans, tanquam ex partibus eſſentialibus componentibus ipſum.
Ergo eſt de animali, quia participat ſenſationem.
Ergo de vivente, quia participat vitam.
Ergo de corpore, quia triplici dimenſione conſtat.
Ergo de ſubſtantia, quia per ſe ſubſiſtit.
Ergo de ente, quia eſt.
Ergo de bonitate, quia bonum eſt eſſe, & malum non eſſe.

Ex quo patet, Cur Ariſtoteles dixerit, Demonſtrationem propter Quid procedere ex pri-

ex primis notionibus; descendendo enim demonstratur effectus per suam causam, sive principia universalia; ascendendo contrà, causa per suum effectum, seu per demonstrationem, Quia.

Hoc pacto de quolibet individuo cujuscunque speciei ratiocinari poteris per Regulam de Quo.

COROLLARIA.

Ex hisce patet primò, Quomodo per Quæstionem De Quo, de universo Naturæ ordine ratiocinari valeas. Ut cum quæritur, à quo Terra possideatur, sive contineatur. ℞. ab Elementari sphæra ambiente; hæc à sidereo, & hoc ab empyreo Cœlo. Anima ab Angelo, Angelus ab Archangelo, hic à Virtutibus, & hæ à Potestatibus, & sic ordine progrediendo usque ad apicem totius sublimitatis, qui DEUS est omnia continens.

Secundò. Hoc pacto possumus considerare singulas tum Angelorum, tum majoris Mundi, omniumque in eo contentorum perfectiones, à DEO contineri, à DEO derivari, à summis usque ad infima. Verùm quia hæc omnia in Arte Analogica prosecuti sumus, hic immorari nolumus.

PARS III.

ARS MAGNA APPLICATA
Per Paradigmatismos Universales.
SIVE
CLAVIS ARCANORUM
QUA
Ad omnium Scientiarum, Artium & facultatum intima penetralia, aditus paratur.

PRÆFATIO.

PRæmissis Regulis aliisque in præcedentibus Libris ad Artis enucleationem necessariis, modò quod unicè hucusque desideratum fuit, DEO dante præstabimus, ut videlicet quî omnium intelligibilium rerum rationes huic applicari possint, & quomodo inde quilibet mediocris etiam ingenii uberrimam disserendi, scribendi disceptandique de quolibet rei scibilis argumento, materiam haurire possit, per 20. Capita, variis paradigmatum speciminibus ex omni scientia selectis demonstramus; Et ut cum optata methodo & ordine progrediamur, priùs hanc Quæstionem, Utrum talis Ars universalis dari possit, & an ad scientias acquirendas necessaria sit, per Artis nostræ Regulas paulò ante traditas, agitandam existimavimus. Sit itaque.

CAPUT I.

Utrum Ars universalis sciendi quam hic supponimus dari, ad scientias acquirendas utilis sit & necessaria.

RESpondetur, quod sic; & ita per principiorum nostrorum consequentiam deducitur.

Considerentur primò factæ propositionis termini; Utrum, enim, statum rei indicat, in utramque partem disceptabilem; Ars ad principium Sapientiæ deducitur, universalis ad transcendentiam principiorum sub se multa continentem; necessarium verò ostendit id, sine quo res esse non potest. Quibus præmissis sic argumentor.

1. Per B.

1. Omne quod largitur perfectam cognoſcendi ſciendique rationem per principia
Per B. univerſalia, id eſt utile & neceſſarium non quidem neceſſitate abſoluta, ſed medii, ad ſcientias acquirendas. Et ſic ſemper intelligimus.

Ars generalis *perfectam* cognoſcendi ſciendique rationem largitur.
Ergo eſt utilis & neceſſaria.

Major vera eſt, Minor probatur. Quia ſine principiis univerſalibus nulla particularis ſcientia perfectè poſſidetur; Debet ergo dari Ars univerſalis, quæ per principia univerſalia id præſtet; Sed alia non eſt, quæ hoc præſtet, niſi Ars generalis. Ergo Ars generalis perfectam ſciendi rationem largitur; Ergo utilis & neceſſaria.

2. Illud, cujus principia ſe *extendunt* ad omnes inferiores ſcientias, quas univerſali
Per M. ſuo ambitu continet, eſt utile & neceſſarium.

Hoc facit Ars generalis per principia ſua univerſalia. Ergo eſt utilis & neceſſaria.
Ratio Minoris eſt; quia cum principia Artis generalis tranſcendant omnia reliquarum ſcientiarum principia, Ergo ſine illis inferiora plenè intelligi non poſſunt. Eſt ergo neceſſaria.

3. Illud quod ſummam in demonſtrando *firmitudinem* generat in intellectu ob prin-
Per D. cipiorum generalitatem & evidentiam, id eſt neceſſarium.

Hoc facit Ars noſtra generalis. Ergo. Quia principia quantò ſunt univerſaliora, tantò evidentius veritates rerum demonſtrant.

4. Illud eſt neceſſarium, per quod *intellectus* plenè *poteſt* dirigi & regulari ope prin-
Per P. cipiorum univerſalium.

Hoc fit per Artem noſtram. Ergo. Ratio Minoris patet.

5. Illud quod perfectam ſcientiam in *intellectu* parit, eſt neceſſarium.
Per S. Hoc facit Ars noſtra generalis. Ergo.

6. Id quod adeptis omnibus ſcientiis particularibus adhuc *deſiderant* earum profeſſo-
Per Vo. res, eſt neceſſarium iiſdem.

Sed adeptis ſcientiis in particulari quilibet deſiderat univerſalitatem entis & principiorum ejus, quod nec Logica per ſecundas intentiones, nec Metaphyſica ſub ſola materia intelligibili omnia conſiderans advertit & ſola ars generalis hoc præſtat; Ergo eſt neceſſaria.

7. Illud eſt neceſſarium, quod *virtute* ſua perennem quandam & perpetuam conſi-
Per Vi. derationem non materiâ & principiis deſtitutam parit in intellectu.

Hanc tribuit Ars generalis. Ergo eſt neceſſaria.

8. Illud eſt neceſſarium quod ſcientiarum *veritatem* plenè manifeſtat & dilucidat.
Per Ve. Hoc facit Ars generalis. Ergo eſt neceſſaria. Ratio Minoris eſt, Quia uti ſubjectum particularis ſcientiæ ad ſupremum & generale ei conveniens reducit, id eſt, per ſpecificam conſiderationem ad genericam Artis trahit; ita perfectionem quoque ſcientiarum parit.

9. Id quod perfectè *quieſcere facit* intellectum in adeptione ſcientiæ particularis, id
Per G. eſt neceſſarium ad particularem ſcientiam acquirendam.

Hoc facit Ars generalis. Ergo. Ratio Minoris. Quia dum omnia, quæ conſiderantur in particulari ſcientia per Regulas generales & modos quærendi communes demonſtrat, inde detectam Veritatis evidentiam præ omnibus aliis ſcientiis, quæ id præſtare non poſſunt, demonſtrat.

Per Principia Reſpectiva Argumentum hoc pacto urgebis.

Per ⚌. Id quod oſtendit plures *Differentias* & conditiones ſubjecti ſcibilis in ſcientia particulari ejuſque proprietates variis viis & rationibus demonſtrat, eſt neceſſarium.

Hoc facit Ars generalis. Ergo. Ratio Minoris: Quia tale ſubjectum particulare uſque ad communem & ſupremum gradum entis per ſcalam naturæ ſublimat & in diverſis gradibus à particulari remotis diverſimodè conſiderat, manifeſtando plurima per viam univerſalitatum, ad quam particularis ſcientia pertingere non poteſt.

Per ♡. Illud quod ſcientiæ cognitionem & notitiam *Conjungit*, applicatum aliis ſcientiis, id eſt neceſſarium.

Hoc præſtat Ars generalis. Ergo. Ratio Minoris; quia particulares ſcientias univerſalitate ſua dirigit.

Per ○●.

Per ○●. Illud quod *tollit* & *ſeparat ignorantiam* objecti ſcibilis à ſcientia particulari, eſt neceſſarium.

Hoc facit Ars generalis. Ergo. Ratio Min. Quia ſua methodo & ordine communi conſiderationem ſcientiæ particularis enodat & explicat, hauriendo ab eo plures notiones, quàm ſcientia particularis poſſit.

Per α. Illud quod *cauſat* generalem alicujus ſcientiæ notitiam, eamque animat, exponit, ampliatque, eſt neceſſarium.

Hoc facit Ars generalis. Ergo. Ratio Min. Quia per Regulas generales detegit amplitudinem cujuſque ſcientiæ particularis, omnes ejus conditiones & proprietates explanando.

Per ⊙. Illud quod plura diverſaque *media* ad ſciendum ſuppeditat, eſt neceſſarium.

Hoc facit Ars generalis. Ergo. Ratio Min. Quia gradus communes & ſupremos entis objecto ſcibili manifeſtat, novaſque notiones per diverſas conſiderationes locorum Artis ſubminiſtrat.

Per ω. Id quod varios *fines* in aliqua ſcientia particulari demonſtrat, id ad eam addiſcendam neceſſarium eſt.

Hoc facit Ars generalis. Ergo. Quia detegit non tantùm varias objecti ſcibilis conditiones & proprietates, ſed & generales eſſentialeſque objecto ſcibili priores indicat.

Per M. & Min. Illud eſt neceſſarium ſcientiæ, quod non ſolùm adæquatam ejus notitiam cum ſuo *minori* & objecto ſcibili ſpecifico manifeſtat, ſed quod ſcibile ipſum ſimpliciter repreſentat.

Hoc facit Ars generalis. Ergo.

Atque hiſce argumentis per 18. principia deductis artem hanc neceſſariam eſſe demonſtramus.

Si quis porrò ea per Quæſtiones earumque ſpecies examinare velit, is

Per Q.
- *Utrum.* Fuſiùs dictam neceſſitatem deducet. An videlicet, ſe extendat ad poſſibilia, impoſſibilia, contingentia, neceſſaria?
- *Quid.* Quod ſit ejus totale objectum, quæ partes eſſentiales, quæ inclinationes, qui actus?
- *De quo.* Quænam ſint ejus principia & cauſæ.
- *Quare.* Quænam ſint ejus cauſæ, efficiens, formalis, materialis, finalis.
- *Quantum.* Quænam ſit continuitas & diſcretio in objecto ſcientiæ.
- *Quale.* Quænam ejus ſint appropriatæ qualitates & attributa.
- *Quando.* / *Ubi.* / *Quomodo.* Quænam ejus ſit duratio, localitas, modus & inſtrumenta.

Quæ iterum per applicationem ad principia factam, innumerabilem præbent diſcurrendi materiam. Sed paucis uſum explicemus. Artem itaque neceſſariam dicimus.

1. Per B. Quia ingentia ad omnes ſcientias acquirendas *emolumenta* communicat.
2. Per M. Quia *integram* latitudinem ſcientiæ alicujus particularis per reductionem particularium principiorum ad univerſalia manifeſtat.
3. Per D. Quia *firmam* & *ſtabilem* certitudinem producit in animo ſcientis, dum primos fontes, ex quibus veritates in qualibet ſcientia derivantur, aperit.
4. Per P. Quia indicat, quid unaquæque ſcientia *poſſit*, per univerſalem demonſtrandi rationem.
5. Per S. Quia dirigit *intellectum* circa particularem ſcientiam occupatum in ordine ad communem notitiam notionemque ſcientiæ ab omnibus ſcientiis participatam; hac enim omnes ſcientiæ concinnantur, naſciturque inde mirabilis illa totius Encyclopædiæ nexus & methodus.
6. Per Vo. Quia per ſe *amabilis* & *deſiderabilis* eſt, eo quod ea utens, ſumma ſuavitate rapitur, dum nexum ſcientiarum omnium per eam intelligit.
7. Per Vi. Quia *vires* & *operationes* cujuſvis ſcientiæ, quoſnam videlicet fructus edat, quæ emolumenta conferat, oſtendit.
8. Per Ve. Quia omnes *veritates* ſcientiæ particularis exponit, quæ latent eos, qui modum neſciunt, ſeque nequeunt per principia univerſalia ultra determinata, ſcientiæ particularis principia provehere.

9. Per G. Quia in hâc ſola ob principiorum univerſalium evidentiam intellectus *quieſcit*.

10. Per ⚌. Quia omnium rerum *differentias* ſcientiarumque circa objecta *diverſitatem* aperit.

11. Per ♡. Quia *harmoniam* & concinnitatem rerum omnium, uti & *connexionem* unius ſcientiæ cum altera manifeſtat.

12. Per ○●. Quia *contrarietates* & *oppoſitiones* tam in unaquaque ſcientia particulari, quàm in omnibus aliis occurrentes per eam cognoſcuntur.

13. Per α. Quia *cauſas principiorum* manifeſtat, dum cognoſcuntur priora & generalia principia, ex quibus ea, quæ in particulari ſcientia conſiderantur, deducuntur.

14. Per ⊙. Quia innumera *media* ad diſcurrendum de quolibet propoſito argumento, ſubminiſtrat.

15. Per ω. Quia *finem* ultimatum demonſtrat in ſcientia intentum.

16. Per M. Quia *majorem* & evidentiorem notitiam de objecto particularis ſcientiæ in animis hominum imprimit.

17. Per Æ. Quia *adæquatum* uniuſcujuſque ſcientiæ objectum ſive totam objecti ſcibilis æqualitatem oſtendit.

18. Per Min. Quia in unaquaque ſcientia *limitatam* cognitionis ſphæram oſtendit.

Sed objiciet forſan hoc loco non nemo.

1. Per B. Omnia *bona* particularia includunt in ſe generalia, ſub quibus implicitè continentur. Ergo videtur ſupervacanea ſcientia univerſalis.

Reſpond. Quòd quamvis in notitia particularis ſcientiæ generalia conſideranda per eam ſint quaſi incluſa & implicita, illa tamen non apparent & manifeſtantur iis, qui carent Arte generali, cùm altioris conſiderationis ſint, quàm ut particularis ſcientia ad ea pertingat.

2. Per S. Illa *Ars* neceſſaria minimè videtur, quæ *ſcientiarum* particularium notitiam non exprimit neque advertit.

At talis eſt Ars generalis. Ergo. Quia ſolùm communia & univerſalia tractat, neque ad inferiora deſcendit, in quibus ſcientiæ particulares verſantur.

℞. Tametſi Ars primò & per ſe circa generalia verſetur, habet tamen ſuas Regulas & principia, quæ facilè ſcientiis particularibus applicari poſſunt, quemadmodum in ſequentibus variis ſpeciminibus oſtenditur.

3. Si *Ars* generalis eſſet neceſſaria & utilis, id eſſet, quod particulares omnes ab ea dependeant, ab ea dirigantur & comprehendantur.

Sed hoc eſt impoſſibile. Ergo. Quia tunc cognita univerſali, ſine difficultate cæteræ omnes cognoſcentur, quod fieri non poteſt, cum particulares ſpecifica & propria objecta habeant, de quibus non agit Ars generalis.

℞. Quemadmodum multa individua ſub una ſpecie; ita, & particulares ſcientiæ ſub una generali Arte continentur; ac proinde à Regulis ſuperioris ſcientiæ poſſunt dirigi tanquam à ſuperiori principio; neque inde ſequitur, ſcitâ univerſali ſcientiâ inde notitiam ſtatim particularium ſcientiarum haberi; cùm Ars generalis primò & per ſe non niſi ſolùm univerſalia, non verò ad omnia particularia & ſpecifica objecta particularium ſcientiarum ſe extendat; hæc enim ſpecialem requirere indaginem notius eſt, quàm dici debeat.

CAPUT II.

De modo, quodlibet Thema ſive Theologicum ſive Philoſophicum ita juxta Artis noſtræ Regulas diſponendi, ut inde quivis innumerabilem ſcribendi dicendique copiam acquirat.

VT Lector Curioſus Artis noſtræ methodum plenè & perfectè cognoſcat, hoc loco ſpecimen dabimus, quod ſufficientiſſimam inſtructionem præbebit, quomodo in aliis quibuſcunque aſſumptis thematis procedendum ſit; atque adeò loco Exemplaris habendum eſt, juxta quod in aliis propoſitis quæſtionibus dirigatur Artiſta. Non ſervit autem hoc tantùm Theologis Scholaſticis ad propoſitiones formandas, ſed & Scriptoribus, ut ex hoc addiſcant, quomodo & quo ordine aſſumpti, qualecunque tandem illud ſit, argumenti ſive thematis materiam, ad copioſè & amplè tum ſcribendum, tum docendum, diſponere debeant; & quomodò tandem poſita ichnographia aſſumptum argumentum denuò per 18 principia cæteraſque Artis Regulas diſcutiendum & in innumeras quæſtionum farragines ampliandum dilatandumq; ſit. Paradigma ſive ſpecimen thematis dilucidandi: Chriſtus eſt DEUS & homo.

PARADIGMA THEOLOGICUM.

Thema Operis.

Chriftus DEUS Homo. Sive, de Chrifti Excellentia.

DISPOSITIO I.

Titulorum five Capitum per 18. principia difpofita.

De
1. B. *Bonitate* & perfectione Chrifti, & Incarnationis Verbi.
2. M. *Magnitudine* & Excellentia Chrifti.
3. D. Generatione Chrifti *æterna* & *temporali*.
4. P. *Potentia* five poteftate Chrifti.
5. S. *Sapientia* & *Scientia* Chrifti.
6. Vo. *Voluntate* Chrifti.
7. Vi. *Virtutibus* Chrifti tum fupernaturalibus tum naturalibus moralibus, & de gratia Chrifti.
8. Ve. *Veritate* Chrifti.
9. G. *Gloria* Chrifti.
10. ⩵. *Differentia* Chrifti quoad divinam & humanam naturam & quoad cæteras creaturas.
11. ♡. *Unione* divinæ & humanæ naturæ in unitate perfonæ.
12. ⊶. *Contrarietate* feu oppofitione actuum & paffionum in Chrifto.
13. α. Verbo incarnato *principio* & *caufa* omnium.
14. ⊙. *Mediatione* Chrifti inter DEUM & homines, inter intellectualem & corpoream creaturam.
15. ω. *Fine* ultimo, qui Chriftus eft, in quem omnia refolvuntur.
16. M. *Majoritate* Chrifti in quantum ad dona naturalia, quibus fuperat omnes.
17. Æ. *Æqualitate* Chrifti tum refpectu Patris, cui confubftantialis, tum refpectu humanitatis, ad reliquas hominum conditiones.
18. Min. *Minoritate* Chrifti, in quantum homo refpectu Patris, & ob paffionem & mortem.

Vides hîc ante omnia totius operis ichnographiam in titulos & capita digeftam, propofito argumento quovis modo dilatando mirè oportunam, cùm in ea quicquid de Chrifto dici & concipi poteft, implicitè contineatur. Verùm jam ulterius videndum eft, quomodo omnia ifta capita & tituli ad omnia, quæ de Chrifto quæri in Scholis folent, dilatari & extendi poffunt; hoc autem per 9 Regulas Quæftionum paulò ante expofitas nullo negotio confequeris. Verùm ut omnia ad oculum intuearis, fit;

DISPOSITIO II.

Thematis per Quæftiones, earumque fpecies dilatatio.

Primò itaque per Quæftionem, *Utrum*, quæritur:

1. B. An Chriftus fit effentialiter *bonus* & *fummum* bonum.
2. M. An Chriftus fit *ubique*, an loco *coëxtenfus*, eique commenfuratus, tam extra quàm intra Sacramentum Euchariftiæ.
3. D. An Chriftus fuerit ab *æterno*, aut potuerit effe ab *æterno*.
4. P. An *omnipotentia* Verbi fuerit communicata humanitati Chrifti; an creare & annihilare potuerit.
5. S. An Chriftus habuerit aliquam *fcientiam* præter divinam; an in quantum homo fuerit *omnifcius*; an habuerit infufam, an acquifitam aut experimentalem fcientiam.
6. Vo. An in Chrifto una vel duæ fuerint *voluntates*; an voluntas in Chrifto fuerit fenfualis; an liberum arbitrium in Chrifto; an conformis Voluntati DEI.
7. Vi. An Chriftus fecerit *miracula*, & qua *virtute*; an dœmones ejecerit, cœleftia immutaverit, aquam in vinum mutaverit, &c.
8. Ve. An Chriftus *veritas æterna* dici debeat, an quoad hominem falli, aut an peccare potuerit.

9. G. De

9. G. De *gloria* Chriſti tum ratione divinitatis tum humanitatis; An glorioſus in via, ſive an viator & comprehenſor ſimul fuerit.
10. ⚌. An divina & humana natura in Chriſto fuerint *diſtinctæ*, an una in unitate perſonæ.
11. ♡. An *unio* divinæ & humanæ naturæ in Chriſto; An illa ſit quid creatum, an maxima unionum; an facta in natura, an in perſona, an ſit compoſita an unita accidentaliter; an facta per gratiam; an Verbum aſſumpſerit humanam naturam paſſivam; an hominem, an abſtractam ab individuis: An corpus & cætera accidentia corporis aſſumpſerit.
12. ○●. An Chriſtus habuerit *contrarietatem* in voluntate aut intellectu; an in ſenſu, ubi de communicatione idiomatum.
13. α. De *cauſalitate* Incarnationis Chriſti, de principio efficiente, formali, finali, materiali.
14. ⊙. An Incarnatio fuerit *medium* ad generis humani ſalutem, an ad peccatum & deſtructionem operum ſatanæ.
15. ω. An *conveniens* fuerit, Chriſtum incarnari, an neceſſarium; an ſi homo non peccaſſet, DEUS fuiſſet incarnatus.
16. M. An Chriſtus *major* ſit omnibus creaturis ſimul ſumptis; an *contractum maximum* & abſolutum; an complicet in ſe univerſam naturam creatam; an Chriſtus majorem gratiam habeat, quàm omnes homines ſimul ſumpti.
17. Æ. An Chriſtus ſit *æqualis* & conſubſtantialis Patri.
18. Min. An *minor* Patre; ubi de paſſione Chriſti & morte cæteriſque humanæ vitæ miſeriis aſſumptis agitur.

DISPOSITIO III.

Diſcuſſa Quæſtione *de Utrum*, procedes ad Quæſtionem *Quid*, Titulos ſeu Capita juxta 18. principia recenſita hoc pacto diſponendo.

Q. de Quid. Per { ... } Quid ſit { ... }

Per	Quid ſit
B.	*Bonitas* in Chriſto quoad eſſe totale, quoad actus intrinſecos & eſſentiales, quoad operationes & proprietates, & dona naturalia & ſupernaturalia, ubi copioſè de gratia Chriſti.
M.	*Extenſio* Chriſti, tum quoad bonitatem, quem Mundo contulit, tum quoad *locum*; quomodò *extenſus* ſit, tum extra, tum intra Euchariſtiam.
D.	*Duratio* Chriſti, an, quod ſemel aſſumpſit, dimiſerit vel dimiſſurus ſit; ubi de anima ſeparata poſt mortem; de ſacerdotio Chriſti æterno.
P.	*Potentia* Chriſti, & in quo conſiſtat.
S.	*Scientia* in Chriſto; in quo conſiſtat Sapientia & ſcientia in Chriſto; ubi de multiplici Chriſti ſcientia.
Vo.	*Voluntas* in Chriſto, ſive illam conſideres ut divinam, ſive humanam.
Vi.	*Vis* iſta mirifica in Chriſto.
Ve.	*Veritas* propriè in Chriſto, & in quo conſiſtat.
G.	*Gloria* Chriſti, & in quo potiſſimùm conſiſtat.
⚌.	*Differentia* Chriſti tum inter DEUM, tum inter homines cæteros.
♡.	*Unio hypoſtatica* in Chriſto, & in quo conſiſtat.
○●.	*Contrarietas* in Chriſto, reſpectu voluntatis & noluntatis paſſionumque quænam oppoſitio.
α.	Chriſtus, in quantum ſe dicit *principium*.
⊙.	*Mediatio* Chriſti inter DEUM & homines.
ω.	Quid Chriſtus intenderit Incarnatione ſua, quis *finis* Incarnationis.
M.	In quo conſiſtat *majoritas* Chriſti eſſentialiter.
Æ.	In quo *æqualitas*.
Min.	In quo *minoritas*.

DISPOSITIO IV.

Per Quæstionem, Quomodò.

Per — Quomodò, Quibus modis

B.	Christus *perfectus* fuerit in omni perfectionum genere.
M.	*Extenderit magnitudinem* bonitatis suæ & perfectionis.
D.	Christo *inextiterint* dona extrinseca & habitus supernaturales.
P.	*Potentiam* suam exeruerit in miraculis, in gratiarum concessione.
S.	Quis modus fuerit *scientiæ* Christi, circa omnia, quæ concernebant ipsum ratione officii Judicis.
Vo.	Christus *voluerit* alia extra se, & an mala?
Vi.	*Virtutes* exercuerit, tum morales, tum physicas, tum supernaturales.
Ve.	Christus *falsa* cognoverit, quomodo contingentia, possibilia & impossibilia.
G.	Christus fuerit *gloriosus* in carne mortali & passibili.
☰.	Quis modus *differentiæ* Christi, ratione habituum naturalium.
♡.	Incarnatum verbum *unitum* sit humanæ naturæ; an unio facta in persona, an in natura; an accidentaliter, an composita dici possit unio; an idem quod assumptio, an per gratiam, aut merita præcedentia.
o●.	Verbum assumpserit *contraria*, an præter animam & corpus, aut partes integrantes corporis.
α.	Verbum unitum sit corporeæ naturæ oppositæ divinæ, & quomodo sit *caput* Ecclesiæ, hominum & Angelorum.
⊙.	Operatus sit ad salutem omnium, quomodo Sacramenta *media* salutis instituerit.
ω.	*Finem* semper, qui est gloria & glorificatio hominum procuraverit.
M.	*Major* sit omni creatura, & quomodo corpoream & spiritualem naturam in se complicet.
Æ.	Christus sit rerum omnium *æqualitas*, *mensura*, *nexus*.
Min.	*Minor* dici possit respectu reliquorum hominum; an Christus plura passus sit, quàm omnes homines; de humilitate Christi.

DISPOSITIO V.

Per Quæstionem, Cur?

Cur

B.	Christus incarnatus sit? & an *Conveniens* fuerit, & an necessaria fuerit aut libera Incarnatio; an aliquod inde *bonum* DEO accesserit.
M.	Verbum corpus *quantum*, terrenum & corruptibile assumpserit.
D.	*Durabile* in *omnem æternitatem*.
P.	Christus *potentiam* suam in miraculis præstandis non semper exeruerit, sed tantùm ultimo tempore vitæ suæ.
S.	Non *revelaverit arcana* & *secreta* naturæ, Mundi constitutionem & Fabricam; Cur Solam doctrinam Spiritus hominibus contulerit.
Vo.	Nonnullos *permiserit* damnari, nonnullos salvari; ubi de prædestinatione.

Hoc pacto titulos & Capita deduces per ordine succedentia tam absoluta quàm Respectiva principia.

DISPOSITIO VI.

Per Quæſtionem, Quantum?

B.	Quantus	Chriſtus fuerit in *bonitate* tam in genere naturæ quàm moris; & an bonitatem & gratiam habuerit infinitam.
M.		Fuerit Chriſtus ratione loci, tum extra, tum intra Sacramentum Euchariſtiæ; An ſe poſſit *coëxtendere* omnibus, an replicare ſe.
D.		Sit in *duratione*; an *æternus* dici poſſit.
P.		In *potentia*. An Chriſtus *potuerit* naturam immutare quoad eſſentias rerum; an creare, an annihilare.
S.		Fuerit in *ſapientia* & *ſcientia*; utrum omnia actu cognoverit; an omnia præterita, præſentia & futura.
Vo.		Fuerit in voluntate; an omnes homines efficaciter ſalvos *voluerit*, an non; & cur? Et ſic de cæteris.

DISPOSITIO VII.

Per Quæſtionem, de Quale.

B. Qualis fuerit *bonitas* & *perfectio* in Chriſto; an accidentalis, an ſubſtantialis; an phyſica, an moralis.
M. Qualis fuerit *magnitudo* Chriſti; an ſe *extenderit* ad omnia.
D. Qualis fuerit *duratio* operationum in Chriſto; an ſemper in plena & perfecta operatione intellectuali conſtiterit, ſive dormiens ſive vigilans.
P. Qualis fuerit *potentia* Chriſti; an abſolutè *potuerit* omnia; an infinita creare potuerit.
S. Qualis fuerit *ſcientia* Chriſti; an acquiſita, an infuſa, an experimentalis; an DEUM comprehenderit; an anima Chriſti in Verbo *cognoſcat* omnia, poſſibilia, impoſſibilia, infinita, an infinita actu.
Vo. Qualis fuerit in Chriſto *voluntas*; duæne an una?
Vi. Qualis ſit *operatio* Chriſti; an una, an duæ reſpectu duplicis naturæ; an meritoria.
Ve. Quale corpus verbum aſſumpſerit; an *verè* humanum, an omnia *verè* quæ ad integritatem corporis pertinent, aſſumpſerit, ut quatuor humores, oſſa, carnem, pilos &c.
G. Qualis fuerit *gloria* Chriſti; in corpore mortali; qualis in corpore *glorioſo*; an ſedeat ad dextram Patris; & quid hoc ſit.
=. Qualis *differentia* Chriſti à cæteris hominibus, quoad nativitatem, vitam, mores, cæteraſque humanas operationes, & neceſſitates.
♡. Qualis fuerit in Chriſto potentiarum, tum interiorum, tum exteriorum *concordantia*, & *unio*.
o●. Qualis *contrarietas* in Chriſto, qualis ſit communicatio idiomatum.
α. Qualis ſit Chriſtus, in quantum eſt *primogenitus* omnis creaturæ.
⊙. Qualis ſit *mediatio* Chriſti.
ω. Qualis ſit Chriſtus quoad paſſionem, crucifixionem & mortem ſuam; an ante mortem Chriſti Redemptio humani generis *completa* fuerit.
M. Qualis fuerit *majoritas* Chriſti.
Æ. Qualis *æqualitas*.
Min. Qualis *minoritas*; ubi de defectibus Chriſti ratione ſitis, famis, frigoris, caloris, defatigationis, mæroris; & quomodo hæc in glorioſo corpore conſiſtere potuerint.

DISPOSITIO VIII.

Per Quæſtionem, Ubi & Quando.

B. Ubi, & quando Verbum ſit incarnatum; An, Quomodo & Cur in utero Virginis; cur non in principio Mundi, aut in fine.
M. Ubi, Chriſti, in Utero Virginis; an fuerint *circumſcriptivum*, an *definitivum*; an media quadam ratione; cur infantile corpus ſuſceperit.
D. *Quamdiu* fuerit in utero Virginis, quomodo nutritus; an ſicuti reliqui homines primò fuerit inſtar embryonis, an perfectis organis.

Et hoc pacto procedes per reliqua principia, quærendo juxta eorundem ordinem titulos & capita.

DISPOSITIO IX.

Per Quæstionem, De Quo & Unde.

Unde Christus fuerit, in quantum DEUS, & unde in quantum homo?
Utrum B. Virgo verè DEI genitrix dici possit, & quomodo & cur?
An ex stirpe Adæ.
An anima Christi fuerit creata ante corpus.
An unita corpori uno & eodem instanti; & sic de cæteris; quæ, ne longior sim, Lectori curioso disponenda relinquo.

Habet, hîc, Lector modum disponendi Libros, uti de Christo, sic de quocunque alio subjecto, de quo opus aliquod meditaris.

Si porrò Christum cum novem Subjectis universalibus comparare velis, ita procede.

An {
△. Christus ut homo *divinorum* attributorum fuerit particeps.
☁. Christus major fuerit *Angelis*, an eorundem naturam assumere potuerit, in quantum Verbum; an caput *Angelorum*.
◎. Christus *cælestibus* influxibus fuerit subditus; an in corpus ejus egerint, an aliquam complexionem contulerint.
□. Christus verè ex 4 *Elementis* fuerit compositus; an & qualem complexionem habuerit.
(homo). Verbum, totius *humani* generis naturam assumpserit; an in esse abstracto, an in specifico, aut individuali.
(animal). Christus verè fuerit *animal*, & quomodo *sensitiva* natura in eo extiterit; an unita Verbo.
(planta). Verbum, verè *vegetativam* naturam assumserit; an *plantali* virtute nutritum fuisse dici possit; quomodo, & cur.
(elementatum). Corpus habuerit *elementale*, terrenum, corruptibile.
(∴∴). Christus intra 9 *Categorias* poni possit; an verè fuerit quantus, qualis, relativus, tum ad personam Verbi, tum ad reliquas personas; an agens, patiens, & sic de cæteris, dici possit.
}

Habes hîc Lector titulos & capita omnium earum rerum quæ de Christo dici & scribi possunt; verbo, infinitam penè de toto Incarnationes mysterio docendi scribendique materiam; Restat ut jam ea ampliandi dilatandique modum & rationem uno atque altero Exemplo doceamus; Quot enim capita sunt, tot de eo disputationes institui poterunt, quas omnes ex nostris principiis Regulisque supradictis adornabis, eo, qui sequitur, modo. Sit itaque prima Quæstio.

PARADIGMA II.

An Christus verè & propriè homo fuerit?

℞. Quod sic. Et hoc pacto probatur.

Per { Omne quod {
B. Habet *essentiales* ad hominem constituendum rationes, id hominem esse necesse est. Christus eas habet. Ergo.
M. Ex *partibus componentibus* homini competentibus, essentialiter distinctis *componitur* & *integratur*, anima videlicet rationali & materia, id hominem esse necesse est. Christus est talis. Ergo.
D. *Firmam* & *durabilem* homini convenientem consistentiam habet, id hominem esse necesse est. Christus hanc habet. Ergo.
P. *Potentias* tùm interiores tùm exteriores ad operandum humano more requisitas habet, id hominem esse necesse est; Christus id habet. Ergo.
S. *Scientiam* habet, *dividit*, *componit*, *infert*, comparatis per sensus notitiis, id hominem esse necesse est. Christus habuit talem scientiam. Ergo.
Vo. Perfectum & *liberum* operationum suarum *arbitrium* habet, id hominem esse necesse est. Christus hoc habet. Ergo.
Vi. *Facultates* & *vires* habet humanis operationibus congruentes, id homo est. Christus has habet. Ergo.
Ve. *Intellectum* habet *conformem rebus*, quas concipit modo humano, is homo est. Christus habet. Ergo.
G. *Finibus* rerum cognitis in iis perfectè *quiescit* & *gloriatur*, homo est. Christus id habet. Ergo.
}}

Per ☰.

Per — Omne quod

⩧.	*Differentem* habet membrorum ſitum, differentes ſenſus tum interiores, tum exteriores, ad ratiocinandum aptos, id hominem eſſe neceſſe eſt. Chriſtus hoc habet. Ergo.
♡.	*Concordiam* habet membrorum ad totum, & obedientes ſibi habet potentias tam interiores quàm exteriores, id homo eſt. Chriſtus id habet. Ergo.
o●.	*Contrarietatem* habet quoad corpus ratione temperamenti, & quoad animam libertatem habet actionum ſuarum exequendarum & non exequendarum, homo eſt. Chriſtus hoc habet. Ergo.
α.	*Principium* eſt operationum ſuarum, id eſt, *cauſat* omnes illos effectus, qui propriè homini competunt, homo eſt. Chriſtus hoc habet. Ergo.
⊙.	Cognoſcit *media proportionata* ad finem, is homo eſt. Chriſtus cognoſcit &c. Ergo.
ω.	*Finem ultimum* appetit, variiſque ratiociniis in eo tandem quieſcit, id homo eſt. Chriſtus id habet. Ergo.
M.	Quantò quis perfectior eſt in operationibus ſuis, tantò *major* homo eſt. Chriſtus talis eſt. Ergo.
Æ.	Quandocunque operationes alicujus *æquantur* communibus hominum operationibus, id hominem eſſe neceſſe eſt. Chriſtus habuit omnia communia cum hominibus excepto peccato. Ergo.
Min.	Communibus humanæ naturæ *miſeriis*, uti neceſſitatibus humanis & *morti* expoſitum eſt, id hominem quoque eſſe, neceſſe eſt. Chriſtus talis fuit. Ergo.

Ex quibus ſingulis patet, Chriſtum perfectum hominem fuiſſe. Hiſce declaratis, procedes jam ad Quæſtionum Regulas, quarum ope omnia, quæ in dictis propoſitionibus difficultatem annexam habent, facilè diſſolvere poteris. *V. G.* Utrum Verbum omnia ea, quæ homini competere poſſunt, per unionem hypoſtaticam, unitam Verbo, aſſumpſerit? ut ſunt quatuor humores, ſudor, pili, & ſimilia. Quid, & in quo iſta aſſumptio conſiſtat; utrum iſta aſſumptio competat Patri, & Spiritui Sancto? Chriſto in quantum homo; quanta, qualis fuerit iſta aſſumptio?

His pariter expeditis procedes ad novem ſubjecta eſſentialia: Utrum Verbum aſſumere potuerit naturam Angelicam; Utrum purè ſenſitivam, vegetativam aut elementarem naturam; quæ omnia per dicta 18 principia deduces; Deinde per Artem Analogicam; quantus fuerit Chriſtus comparatione facta ad Angelos, & ad reliquas creaturas; cujuſmodi ſunt: quomodo leoni, bovi, agno, viti, petræ comparatus ſit; quæ denuò ingentem farraginem propoſitionum offerunt. Tandem procedes ad virtutes & vitia eo ordine, quem Alphabetum continet, per antitheſin quandam ea exagitando.

Nota hoc loco, omnes titulos in præcedenti Catalogo poſitos dicto modo deduci poſſe. Quod ſi quiſpiam Majorem aut Minorem negaverit, ſtatim tibi ſeſe offerent argumenta, ad ea quæ probata ſunt, ſtabilienda. *V. G.*

Si quis objiceret; Chriſtus non fuit purus homo, Ergo non perfectus homo. Ratio Antecedentis; quia non fuit à ſemine humano; Ergo non perfectus.

℞. Eſſentiale hominis non conſiſtere in eo, quod ſit ex ſemine humano; alioquin Adam primus homo, homo verus & perfectus non fuiſſet, quod erroneum eſt; & hoc pacto infinitis modis variare poteris; Exempl. gratia: perfectionem hominis in Chriſto facile variaveris comparando eum cum reliquis attributis tum abſolutis, tum reſpectivis, ſubjectiſque univerſalibus, deinde mixtione propoſitionum in præcedentibus claſſibus poſitarum. *V. G.*

Si quis quærat; In quo ergo Chriſtus differat à cæteris hominibus; ſi non eſt purus homo.

℞. per ⩧. Juxta 9 Principia abſoluta; quod differat perfectione, integritate, duratione, potentiâ, ſapientiâ, voluntate, virtute, veritate, gloriâ. Deinde per Reſpectiva, quod Oppoſitione rerum admirandâ, Cauſalitate, mediatione, finalitate, Majoritate, æqualitate, Minoritate; in omnibus enim hiſce eum à puro homine partim differre, partim cum illo concordare reperies; quemadmodum per Quæſtiones illa examinanti luculenter patebit. Sed aliud demus Exemplum.

Quæratur itaque. Quomodo unio duarum naturarum in Chriſto facta ſit. An in natura,

natura, an in perſona, an per modum compoſitionis, an accidentaliter. Hanc quæſtionem paraphraſticè per principia ita deduces.

℞. Per
- B. Divinam & humanam naturam eſſe *perfectam* in Chriſto.
- M. Non per modum *compoſitionis*; haberent enim ſe, ut materia & forma, ex quibus *componitur* integrum aliquod.
- D. Neque anima prius corpori fuit *Unita*; cæteroquin Chriſtus aliquando non completè fuiſſet homo; ſed uno inſtanti anima corpori, & totum, Verbo unitum.
- P. Si duæ naturæ in Chriſto fuiſſent unitæ per modum compoſitionis, illæ eſſent in *potentia*; quod dici non poteſt; neque accidentaliter; eſſet enim Chriſtus homo per accidens.
- S. Cùm igitur *divina natura* incarnata dicatur, ſenſus eſt: ſibi univit carnem in perſona Verbi; neque dici debet, perſonam converſam in carnem, ſed Verbum aſſumpſiſſe carnem.
- Vo. Neque unio ita abſorbuit humanam naturam in divina, ut Chriſtus in quantum homo non habuerit *liberum arbitrium*; ut proinde duæ in Chriſto voluntates concedendæ ſint, divina & humana.
- Vi. Univit omnipotens *Virtus Verbi* ſibi humanam naturam ita, ut ea non ut perſona puri hominis, ſed ut ſuppoſitata in Verbo ſubſiſteret; æquum enim erat, ut & anima & corpus Chriſti advenerint perſonæ præexiſtenti nobiliori.
- Ve. Hinc licet natura humana ſit mutata, Verbum tamen manſit nulla in ſe mutatione facta; naturam ſiquidem humanam ei non accidentaliter, ſed vi unionis adveniſſe conſtat.

Patet igitur, unionem factam eſſe in perſona ſive in hypoſtaſi aut Suppoſito Verbi, quia perſona ad hypoſtaſin non addit niſi determinatam naturam, id eſt rationalem & intellectualem; minimè tamen dici poteſt in natura ſive eſſentia factam; natura ſiquidem denotat eſſentiam ſpeciei, perſona verò ſignificat totum habens naturam ſeu partem formalem & perfectivam ſui; cùm ergo natura humana non pertineat ad naturam & eſſentiam Verbi, pertinebit ad perſonam, alioquin non eſſet unita Verbo.

Verùm hoc aſſumptum thema per 9 quoque prædicamenta deducere poteris, per antitheſin quandam, hoc pacto.

Chriſtus in quantum DEUS in nullo *prædicamento* locum habuit; in quantum homo, ſic.

Quantus enim ut DEUS dici minimè poteſt; ut homo, ſic. habebat enim perfectum partium membrorumque *ſitum, extenſionemque partium* extra partes.

Qualis, ut DEUS, non fuit; quia *accidens* in eum cadere non poterat; ut homo, ſic. quia corpus ejus verè omnium accidentium (excepto peccaminoſo) fuit capax.

Relatio prædicamentalis, ut DEUS, in eo non fuit; ut homo, ſic. quia filius Matris Mariæ Virginis.

Nec *Actio* vel *Paſſio* in Chriſto ut DEO fuit prædicamentalis; cum omne agens agendo repatiatur, idque hoc ipſo imperfectionem annexam habeat, quæ DEO non competit, eſt enim impaſſibilis; Chriſto uti homini verè uti cæteris hominibus competit.

Ubi in Chriſto uti DEO locum non habuit, cùm ſit immenſus incircumſcriptus, loco contineri neſcius; in Chriſto ut homine, ſic.

Neque prædicamentum, *Quando*, uti DEO, cùm ſit æternus; in Chriſto, uti homo, ſic. Quia fuit in tempore.

Neque *ſitus* uti DEO convenit, cùm ſitûs ſit expers, uti homini, ſic. Ob corporearum partium ſitum & diſpoſitionem.

Neque *habitus* uti DEO, quia adjacentia iſta habitus DEO non competit, uti homini, ſic. Atque hæc de propoſito argumento ſufficiant.

Habes hîc Lector infinitam penè de Chriſto diſcerendi materiam; Unde concludes Chriſtum θεάνθρωπον univerſam naturam, divinam, humanam, incorpoream, corpoream, formalem materialemque omnem conditionem ita in ſe complicuiſſe, ut nihil in univerſo rerum ambitu ſit, quod Verbum unà cum humana natura, mediante unione hypoſtatica, non aſſumpſerit; Chriſtus enim ut homo eſſe habuit cum petra, vitam cum planta, cum animali ſenſum; ratiocinatus eſt ut homo, intellexit ut Angelus, omnia in omnibus & per omnia operatus eſt, ut DEUS, ſumma rerum æqualitas, abſolutum utriuſque creatæ & increatæ naturæ medium, mundanæ & ſupramundanæ eſſentiæ vinculum unicum & connexio ineffabilis; unde, uti diſſertationem hanc cœpi, ita eandem concludam.

Chriſto nihil eſſe

Melius.	Potentius.	Virtuoſius.
Majus.	Sapientius.	Verius.
Durabilius.	Amabilius.	Glorioſius.

ARTIS

ARTIS MAGNÆ SCIENDI, SIVE COMBINATORIÆ, LIBER QUARTUS.

QUO

Veluti proprio loco Artis Combinatoriæ modus & ratio exponitur.

PRÆFATIO.

QUamvis Ars Combinatoria, id est modus in combinandis propositionibus procedendi, cujus nomine totum hoc opus inscripsimus, primum sibi locum vendicare possit; quia tamen illa, sine terminis, noviter à nobis constitutis, quos in II. Libro exposuimus, vix intelligi posse videbatur, ne Lector nos in ordinis ratione confuse Processisse censere posset, illam tanquam opportuniore loco Libro huic IV. consultius inferendam censuimus.

PARS I.

De combinatione terminorum tam simplicium, quam compositorum.

CAPUT I.

De mira & incomprehensibili numerorum vi.

RAtionalis fabricæ naturale quoddam pullulans principium numerus est, mentis enim expertia, uti bruta non numerant; sed & hic ipse nihil aliud est, quam ratio explicata, ideo enim numerus principium eorum quæ ratione attinguntur, esse probatur, ut eo sublato nihil omnium remanere ratione convincatur; Est autem principium omnium numerorum Unitas, utpote à qua omnis numerus profluit, ipsaque omnium finis, in hanc enim omnis numerus resolvitur; neque tamen unitas ab ullo alio suam nanciscitur originem, aut in aliquem dividitur numerum, sed omnis numerus ita essentialiter dependet ab unitate, ut sine illa tantùm abest ut existat, ut omnia potius sine ea in nihilum abire certum sit. Est autem hæc unitas sempiterna DEI essentia, omnium principium & finis, α & ω, omnia aperiens, omnia claudens, atque adeò omnia rerum creatarum entia nihil aliud sunt, quàm illius supremæ Unitatis signacula. Monas ergo, ut cum Trismegisto loquar, principium omnium numerorum continet, à nullo contenta, omnemque gignit numerum, nullo numero genita, id sanè quod augescit, virtute Monadis augetur, evanescit autem imbecillitate propria, cum ulterius monadem capere nequeat, ex qua sola, omne id quod est, veluti ex fæcunda matrice in innumerabilem & incomprehensam, rerum varietatem & multitudinem propagatum dilatatumque, est, vivit, sentit, intelligit, ut proinde, uti ex prima unitate omnis emanavit numerus, ita is meritò, Divo Augustino & Platone testibus, rerum creandarum in animo Conditoris exemplar fuisse, in confesso sit. Hinc Pythagoras ab Ægyptiis edoctus sub numeris omnia latere asserebat; cum enim sensibilia, eorum quæ invisibilia sunt, quædam veluti simulacra existant, atque adeò omnia quandam,

ad se

ad ſe invicem, tametſi occultam nobis atque incomprehenſam proportionem habeant, quæ cùm ſine ſimilitudine concipi non poſſint, hinc veteribus eas maximè imagines in entium ſupernorum contemplatione adhibere viſum fuit, quæ uti ſimpliciores abſtractioreſque, ita ſublimium quoque rationes aptius exprimerent. Hinc rectè Plato in Timæo. Intelligis numeros, intelligis omnia; latent enim in toto ſcientiarum ambitu quædam veluti divinitatis latentis ſemina, quorum fæcundo incremento ad unitatem illam rectà pervenis, in qua ſunt omnia. Quod quàm verum ſit, in hujus libri decurſu nobis dante DEO demonſtrandum eſt. Quemadmodum itaque omnis numerorum multitudo ex ſe confuſa, indiſtincta indigeſtaque eſt, ita ut ab omni is confuſione vindicetur, neceſſariò regula aſſignanda eſt, cujus directione omnia quæ numeris conſtant, ex unitate in diſtractam, etiamſi nobis inconceptibilem multitudinem, & ex hac in unitatem reducatur; Atque hanc dicimus Artem Combinatoriam, cujus dignitas & excellentia tanta eſt, ut nihil ferè ſit quod non occulta quadam vi vel per analogiam, vel per ſyntheſios analyſioſque leges ſapienter indaget, atque indagata exiguo numerorum diſtrictu ita exhibeat, ut numerorum multitudinem, tametſi oculi diſcernant, lingua exprimat, eam nulla tamen humani intellectus profunditas concipere poſſit; Et ut rem exemplis nonnullis demonſtremus. Quis crederet, ex 24 literarum, quas Latinum Alphabetum continet, combinatione, tantum exurgere combinatarum literarum multitudinem, ut librorum iis conſcribendorum incapax ſit, vel ipſa ſolaris Sphæræ concavitas. Mirantur multi in ripa maris aut in deſerto quopiam ſabuloſo arenæ multitudinem, quam fieri non poſſe putant, ut ſub numerorum leges cadere queat, quod tamen tantum abeſt ut ἀδιώατον ſit, ut nihil potius Combinatoriæ Arti magis quadret, quàm non tantùm omnes & maris & deſertorum ſabuloſorum arenoſos montes ſub numerum cogere, ſed quotnam eorum univerſæ Telluris concavum; dicam amplius, totius firmamenti vacuitas capax ſit, numero & quidem non niſi unitate & 50 Cyphris expreſſo, exhibere, ſequens exemplum demonſtrat:

Numerus granorum papaveris, quos firmamenti concavitas capere poteſt.

100000000000000000000000000000000000000000000000000.

Quæ omnia meritò παράδοξα καὶ ἄπιστα iis, qui proprietatem numerorum neſciunt, videri poſſent, niſi irrefragabili Mathematico ratiocinio id demonſtrari poſſet, atque ab Archimede jam olim demonſtratum fuiſſet; Si itaque prædicta granorum multitudo tam incomprehenſibilis ſit, quantam numerum ad centum, mille, decem millia, centena millia, millena millia combinatum, granorum multitudinem exhibiturum putas? Quid ſi ad unius milliaris intervallum dicta numerorum ſeries, ſi à polo terræ arctico uſque ad antarcticum extenderetur? Sub continuata Meridiani linea deſcriberetur? Quid ſi denique hujuſmodi numerorum congeries ab ultimo mundialis diametri puncto ad oppoſitum ejuſdem extenderetur? Certè non arbitror ingenium futurum tam acre, tam perſpicax, tam ſubtile & penetrativum; qui eum vel intimis animi conceptibus exprimere poſſit; tantus profectò is foret, ut granula per dictum numerum combinata non dicam unum hunc Mundum, ſed vel mille Mundorum myriades explere poſſint, unde non immeritò quiſpiam ad tantam rerum multitudinem ſtupefactus & attonitus hæreat: Sed quid totum hoc ad æternitatis immenſitatem? Quid aliud totum hoc, niſi 0 ad 1. Sicuti enim Zyphræ quantumvis infinitæ, nunquam tamen ad unitatem pertingere poſſunt; ita numerus quantumvis ſub quadam infinitudinis umbra ludat, ad infinitum tamen & æternum nunquam pertinget. Hinc magnus quidam DEI ſervus, hæc conſiderans, magno animæ ſuæ fructu, iſthoc ſeſe exemplo aut ad beatam æternitatem conſequendam, aut infelicem impiorum ſortem evitandam ſolabatur; Si enim inquiebat, ab ultimo puncto mundanæ diametri ad ejus oppoſitum extremum punctum continuata numerorum naturali ordine conſequentium ſeries deſcriberetur, & juxta combinationis leges numeri ab unitate uſque ad ultimum ducerentur, quantum inde numerorum multitudinem emanaturam putas? is haud dubiè nullo humano ne dicam Angelico intellectu comprehendi poſſet. Inferebat poſtea, quid ſi tanto annorum ſpatio, quantum numeri hujuſmodi inter ſe combinati continent, tibi inferorum pœnis immorandum foret, quid non ageres? Quid non ad tam innumerabilium annorum pœnas acerbiſſimaque ſupplicia evitanda molireris? & ſi ad multa millia annorum tibi terrenæ vitæ gaudia, voluptates dignitateſque conceſſæ eſſent, an eas illis commutandas expedire videretur? Stolida ſanè ea foret & inſenſatæ mentis electio. Sed quid tandem tota illa annorum congeries ad æternitatem, niſi purum punctum, nihil? O quam felices ſeſe infelices illi barathri infernalis incolæ reputarent, ſi poſt tot annorum myriades millionum, nonnulla tandem conſequendæ ſalutis ſpes

Æternitatis conſideratio.

ſpes affulgeret, ſed fruſtra; ubi enim hi finiti fuerint, alii infiniti in perpetuas æternitates, juſtis ad gloriam & gaudium; impiis ad ſupplicia nunquam interitura, ſubſequentur. Sed hæc per tranſennam dicta ſint. Quare ad derelictum filum revertamur.

CAPUT II.

Quid & quotuplex ſit Ars Combinatoria.



ARs Combinatoria in hoc potiſſimum conſiſtit, quòd datis quibuslibet rebus, quoties aut quot modis illæ inter ſe combinari, ſive quoties res illæ inter ſe permutari poſſint, demonſtret: Amplectitur autem quidquid univerſo Mundi ambitu concluditur, non tantùm quoad univerſalia rerum principia, ſed & particulares rerum, quæ in quatuor elementorum contemplatione eluceſcunt, effectus; uti poſtea oſtendetur. Exercuit hanc Artem primùm æterna DEI Sapientia in primordiali Mundi conditu, dum ex confuſa Chaoticæ maſſæ mole elementorumque quaternorum adaptatione tantam rerum varietatem eduxit, quantam uti mente non concipere, ita ſatis admirari non poſſumus. Mirantur multi tantam varietatem diverſitatemque in ſolis hominum inclinationibus, vultibus, vocibus, inceſſibus, dum nullum inveneris ita alteri ſimilem, qui non vel inclinatione ad nonnihil diverſum, vel vultu, vel voce, vel inceſſu ab altero diſtingui poſſit, ut ex differentiſſimis humanæ vitæ ſtatibus & conditionibus luculenter patet, quæ ſanè aliundè originem non habent, niſi ex temperamentis ſub tali & tali proportione elementorum ita combinatis, ut nullum inde alteri prorſus ſimile emergat; ſicuti in univerſa numerorum multitudine nullus numerus alteri ſecundum naturalem ſuam conſiſtentiam, ſimilis eſſe poteſt; Nam ut rectè Philoſophus: numeri ſeſe habent, ut rerum ſpecies, ideo binarius ſemper eſt binarius, ternarius eſt ternarius &c. quibus ſi vel minimum quid demas aut addas, jam eſſentiâ numeri binarii aut ternarii deſtructâ, ad alteram numeri ſpeciem tranſitus fiet; ita in temperamentis ſi quid vel addideris vel dempſeris, jam illud in aliud ſpecie temperamentum degenerare adeò certum eſt, quàm certi ſunt effectus quotidiani tùm in hominibus, tum in reliquis ſubſtantiis naturalibus, quos cum admiratione intuemur.

Artis combinatoriæ excellentia.

Hominum varietas in vultibus vocibus, inceſſibus.

Eſt itaque Ars Combinatoria facultas Arithmologica; qua quoties & quot modis compluribus principiis & terminis aſſumptis illi inter ſe permutari & diverſimodè per compoſitionem & reſolutionem comparari docetur; quæ & pro varia rerum comparandarum ratione, varia eſt: Alia ſiquidem verſatur circa vocum duntaxat & dictionum quarundam literas, & haud incongruè Anagrammatica dici poteſt; qua quot diverſos quælibet vox aut dictio, ſenſus in ſe contineat, exploratur; Alia circa quantitatem tam continuam quàm diſcretam occupatur, & docet, quoties quælibet quantumvis involuta quæſtio, numeris tranſpoſitis, additis, ſubſtractis, multiplicatis, diviſis radicumque extractione exhiberi poſſit; & hæc optimo jure Algebraica nuncupatur; dum nihil non perplexum, difficile & intricatum ſolvit & demonſtrat. Alia circa elementarium qualitatum permutationes poſſibiles verſatur. Alia denique circa artium & ſcientiarum principia, terminos, propoſitiones, Syllogiſmos occupatur, & eſt illa, quam nos in hoc opere proſequimur. Qua verò induſtria & methodo, jam tempus eſt, ut aperiamus; quod ut quàm optimè fiat, primò propoſitiones nonnullas ad firmiorem rerum demonſtrationem præmittemus.

Quid ſit Ars Combinatoria.

Combinatio Anagrammatica.

Algebraica.

Elementaris.

Circa Artes & ſcientias verſatur.

CAPUT III.

De variis ſpeciebus Combinationis.



COmbinatio variè hoc loco conſiderari poteſt. Latè, ſtrictè, ſtrictiſſimè. *Latè ſumpta* Combinatio conſiderat omnem rerum combinandarum poſſibilem immutationem: id eſt, quoties res aſſumptæ & combinandæ præciſè inter ſe locum mutare poſſint. *Strictè* verò ſumpta Combinatio reſpicit utilium tantùm rerum aſſumptarum comparationem. *Strictiſſimè* verò ſumpta Combinatio reſpicit eſſentialem rerum ad invicem comparationem. De quibus ſingulis per totidem propoſitiones agendum eſt.

Primus Modus Combinandi res universali quadam ratione.

PROPOSITIO I.

Quandocunque tot ſerie naturali conſequentes ſe numeri, quot res Combinandæ propoſitæ ſunt, aſſumantur, illi inter ſe multiplicati dabunt ſummam Combinationis quæſitam.

Sint *V. G.* duæ res propoſitæ A & B. Dico eas bis mutari poſſe non pluries; quia A primum locum ſemel, & B ſemel tantùm primum pariter locum occupare poteſt. Ergo 1 in 2 ductum producit 2 numerum combinationis quæſitum. At ſi tres res aſſumantur; dico eas ſexies tantùm mutari poſſe, quia hi numeri 1, 2, 3. in ſe ducti 6. efficiunt. Ut in exemplo patet.

EXEMPLUM I.

ORA
OAR
RAO
ROA
ARO
AOR

In hoc exemplo vides in tribus hiſce literarum ordinibus bis ſemper unam, & eandem literam poni, in principio medio & fine, unde 2 in 3 ductis, naſcuntur 6 trium literarum Vocis ORA Combinatio quæſita.

EXEMPLUM II.

Si verò quatuor rerum Combinationem deſideres: ponantur ordine naturali quatuor res, hoc pacto 1, 2, 3, 4. quæ in ſe ordine ductæ, dabunt 24. combinationem quatuor rerum quæſitam. Uti in ſequenti exemplo eluceſcit.

1.	2.	3.	4.
AMEN	MAEN	EAMN	NAME
AMNE	MANE	EANM	NAEM
AEMN	MEAN	EMAN	NMAE
AENM	MENA	EMNA	NMEA
ANEM	MNAE	ENAM	NEMA
ANME	MNEA	ENMA	NEAM

In quo vides ex multiplicatione 6 in 4, naſci 24. rerum quatuor diverſarum deſideratam combinationem in qua vides quoque numerum 6 indicare, ſingulas quatuor literas AMEN ſexies primum locum obtinere poſſe; in reliquis verò tribus ordinibus literarum, ſingulas bis vel immediatè, vel alternè, vel tranſultim poni; 2 deinde ducta in 3 dant pariter 6, quæ ductæ in 4 iterum ut priùs, 24 producunt.

COROLLARIUM.

Ex hoc ſequitur, quomodò facili negotio Anagrammata conſtitui poſſint; Sit enim dictio quinque literarum *V. G.* PATER. & noſſe cupias, quoties hæc dictio combinari poſſit: ſic procede, ſcribantur ordine naturali numeri quinque, uti ſequitur: 1, 2, 3, 4, 5. quos ſi ordine inter ſe multiplicaveris, prodibunt 120 combinatio quæſita: toties enim & non pluries literæ hujus nominis PATER mutari poſſunt. Cum verò hic numerus ex multiplicatione 24 in 5 producatur; hinc ſingulæ literæ nominis PATER, vigeſies quater primum locum occupare debent, in reliquis verò quatuor ordinibus literarum, ſingulæ iterum promiſcua poſitione ordinentur. 4 Verò ducta in 24 dant 96, quibus primus literarum ordo 24 additus, denuò prodit 120. quinque literarum propoſitarum combinationem, in qua omnes mutationes differunt.

Hoc pacto, dato numero quarumvis rerum propoſitarum, eaſdem combinationes habebis, Si tot numeros ordine naturali conſequentes, quot res propoſitæ fuerint, in ſe multiplicaveris; ſumma enim dabit combinationem rerum propoſitarum quæſitam. Verùm ut Lectorem à computandi faſtidio liberemus, hîc Tabulam ponemus, ex qua dicto citiùs propoſitarum quarumvis rerum combinationem calculatam reperies.

TABULA

TABULA GENERALIS.

Ex qua omnes rerum ſimpliciter commutandarum conjugationes poſſibiles eruuntur.

1	1. A.
2	2. B.
3	6. C.
4	24. D.
5	120. E.
6	720. F.
7	5040. G.
8	40320. H.
9	362880. I.
10	3628800. K.
11	39916800. L.
12	479001600. M.
13	6227020800. N.
14	87782912000. O.
15	1307674368000. P.
16	20922789888000. Q.
17	355687428096000. R.
18	6402373705728000. S.
19	121645100408832000. T.
20	2432902008176640000. V.
21	51090942171709440000. X.
22	1124000727777607680000. Y.
23	25852016738884976640000. Z.
24	620448401733239439360000.
25	15511210043330985984000000.
26	403291461126605635584000000.
27	10888869450418352160768000000.
28	304888344611713860501504000000.
29	8841761993739701954543616000000.
30	265252859812191058636308480000000.
31	8222838654177922817725562880000000.
32	263130836933693530167218012160000000.
33	8683317618811886495518194401280000000.
34	295232799039604140847618609643520000000.
35	10333147966386144929666651337523200000000.
36	371993326789901217467999448150835200000000.
37	13763753091226345046315979581580902400000000.
38	523022617466601111760007224100074291200000000.
39	20397882081197443358740281739902897346800000000.
40	815915283247897734349611269596115893872000000000.
41	33452526613163807108334022053440751647352000000000.
42	1405006117752879898550028926244511569188784000000000.
43	60415263063373835637651243828513997475117712000000000.
44	2658271574788448768056654728454615888905179328000000000.
45	107659998778932174106294516512411943500659762784000000000.
46	4952359943830880008889547759570949401030349088064000000000.
47	232760917360051360417808744699834621848426407139008000000000.
48	11172524033282465300054819745592061848724467542672384000000000.
49	547453677630840799702686167534011030587498909590946816000000000.
50	1273726838815420399851343083767005515293749454795473408000000000000.

USUS TABULÆ.

Habet hæc Tabula duplices literas in binas columnas divisa; prior continet numeros ordine naturali se consequentes, & rerum combinandarum numeros designat; Altera verò columna magno numerorum fœtu prægnans, denotat, quot, quibuslibet rebus assumptis ex eorum permutatione aliter & aliter facta, conjunctiones differentes emergant. *V. G.* Si quis velit scire, quoties septem res assumptæ inter se permutari possint, sive quot simpliciter conjunctiones assignari possint; mox tibi omnium possibilium conjunctionum multitudinem in Secunda Columna correspondens numerus exhibebit; *Verbi Gratia* 5040, toties enim septem differentes res inter se permutari poterunt, non pluries. Vides itaque combinandarum rerum numerum semper habere è regione correspondentem numerum conjunctionum differentium quantitatem. Vides quoque decem res toties permutari posse, quoties numerus K continet unitates: pari ratione Viginti toties permutari possunt, quoties numerus V demonstrat. Extendimus autem hanc Tabulam ad 50, ne quicquam ad curiositatem Lectoris satiandam omisisse videremur.

STRUCTURA TABULÆ.

Conficitur hæc Tabula duplici modo: Si numerus rerum combinandarum ordine naturali extendatur; omnes enim ordine in se ducti dabunt summam rerum combinandarum quæsitam: *V. G.* Si duodecim res combinandæ sint, eæ ordine naturali describendæ sunt hoc modo. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. Si deinde hi ordine, quo scripti sunt, inter se multiplicentur, prodibit numerorum congeries in Tabula è regione 12 signata litera M. toties enim non pluries res dictæ permutari possunt. Vel etiam brevius: Duc proximè præcedentem productum numerum in secunda columna in eum qui consequitur in columna prima, & idem prodibit, uti Tabula docet.

COROLLARIUM.

Ex quibus sequitur Combinatarum rerum incrementum in tantam paulatim multitudinem exurgere, quantam verbi gratia ultimus, 50, primæ columnæ numerus adnexam exhibet, qui sanè tantus est, ut, si totum universum arena maris impleretur, eam alteri adhuc Mundo implendo sufficientem asseverare ausim.

Ex quibus patet, quantus Combinationum numerus exurgeret; si non 50, sed 100, 1000, 10000, 100000, 1000000, imo si numeri ad unius milliaris spatium, aut ex polo ad polum extenderentur, quæ tamen combinationes etsi humano ingenio inconceptibiles sint, nihil tamen & non nisi punctum, aut unitas ad æternitatem comparata existunt.

Secundus Modus Strictior.

Si nosse cupias, quotcunque rebus propositis, quot simpliciter conjunctiones ex ipsis fieri possint, non solùm intelligendo, quandò binæ sumuntur, sed etiam, uti postea patebit, quandò ternæ, quaternæ, quinæ &c. hoc est, quot modis distinctis inter se comparari possint; efficietur id hac arte & industria.

PROPOSITIO II.

Quandocunque tot numeri in dupla proportione quot res sunt propositæ, assumuntur, & à summa omnium subtrahatur numerus rerum; reliquus indicabit, quotnam distinctis modis res propositæ inter se comparari possint.

Verbi Gratia. Si scire cupias, quotnam modis distinctis quatuor primæ qualitates inter se comparari valeant, ita operare. Ponantur ab unitate incipiendo quatuor numeri in dupla proportione hoc pacto. 1, 2, 4, 8. quorum summa est 15, abjectis ergo ab hisce 4, tot videlicet res, quot combinandæ proponuntur, & remanebunt 11. numerus combinationum quæsitus, uti in sequenti exemplo patet.

Vides in hoc Exemplo solas attendi combinationes, id est, quotnam modis distinctis quatuor qualitates primæ ad invicem conjungi possint, sive sint possibiles sive impossibiles, &

	A			
1	*Cal.*	*Frig.*		
2	*Cal.*	*Sicc.*		
3	*Cal.*	*Hum.*		
4	*Frig.*	*Sicc.*		
5	*Frig.*	*Hum.*		
6	*Sic.*	*Hum.*		
7	*Cal.*	*Frig.*	*Sic.*	
8	*Cal.*	*Sicc.*	*Hum.*	
9	*Frig.*	*Sicc.*	*Hum.*	
10	*Cal.*	*Frig.*	*Hum.*	
11	*Cal.*	*Frig.*	*Sicc.*	*Hum.*

quod id fieri non possit, nisi undecies, uti in præsenti typo literâ A signato patet. Si verò strictissimè, quotnam modis illæ inter se ita combinari possint, ut possibiles tantùm combinationes elucescant, id consequêris hac ratione: Multiplicentur quatuor res propositæ per numerum immediatè minorem, videlicet per tria 3. & productum inde numerum dimidia, & provenient 6, qui est numerus combinationis strictissimè sumptæ; Id est, si binæ tantùm res semper suman-

ſumantur, ut in ſequenti Exemplo litera B ſignato apparet.

B.

1.	*Cal.*	*Sic.*	Ignis.	Poſſibilia.
2.	*Hum.*	*Cal.*	Aër.	
3.	*Frig.*	*Hum.*	Aqua.	
4.	*Sic.*	*Frig.*	Terra.	
5.	*Cal.*	*Frig.*	Contraria Incompoſſibilia.	
6.	*Hum.*	*Sicc.*		

Vides in hoc Exemplo binas tantùm qualitates comparari, non tres aut quatuor, ut in præcedente. Unde hæc combinatio ſtrictiſſimè ſumitur: poteſt tamen utraque regula, tam hæc quàm præcedens ad omnes res extendi, uti in præcedenti Exemplo, quinque res, uti ſunt quinque prædicabilia vigeſies ſexies combinari poſſunt, id eſt, inter quinque prædicabilia, 26 comparationes fieri poſſunt, ut ex numerorum ſub dupla proportione poſitorum in ſe ductorum numero patet. Sed exemplum apponamus.

Sint quinque res ſub dupla proportione poſitæ 1, 2, 4, 8, 16. Si enim ultimum 16 duplicaveris; & 5. à producto numero 32 abſtraxeris, remanebunt 27. numerus comparationum faciendarum quæſitus. Hoc pacto invenies quotnam diverſæ ſeptem planetarum aſpectuum conjunctiones fieri poſſint, ſiquidem juxta regulæ proceſſum invenies 120. Verùm de his omnibus ſuo tempore uberrima dabuntur Exempla. Quare hoc loco conſtituendarum combinationum tantùm regulas dediſſe ſufficiat.

Tertius Modus combinandi res, quarum aliquæ eædem.

PROPOSITIO III.

Quandocunque datis quibuslibet rebus, inter quas aliquæ eædem vel ſimiles ſunt, & non omnes differentes; quotnam hujuſmodi combinationes fieri queant, reperire.

Solet nonnunquam contingere, ut duæ aut tres, aut quatuor, aut quinque inter res propoſitas, ſimiles & prorſus eædem reperiantur; Itaque quotnam combinationes ex iis exoriri queant, indagandum nobis reſtat; certum enim eſt, hujuſmodi res non tantam combinationum copiam admittere, quàm res certò numero comprehenſæ, quæ prorſus diſtinctæ ſint.

Sint itaque res propoſitæ, in quibus, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10. &c. ſint prorſus ſimiles & eædem, ut videre eſt in ſequentibus polyſyllabis:

Nomen triliterum.	ALA.
Quadriliterum.	SARA.
Pentagrammatum.	MARIA.
Pentagrammatum.	AMARA.
Hexagrammatum.	PAULUS.
Heptagrammatum.	POPULUS.
Octogrammatum.	MARABANA.
Octogrammatum.	PERIMERE.
Enneagrammatum.	PARASANGA.

Literas aſſumimus, quia nobis rem explicant, & omnibus aliis rebus facilè pari analogia applicari poſſunt.

Ubi vides, in voce ALA, A, literam bis reperiri in SARA quadrilitero pariter bis; in Pentagrammato MARIA iterum bis; in AMARA, A, ter: in voce Hexagrammata PAULUS, U bis; in voce POPULUS Heptagrammata, bis U, & bis P; in MARABANA Octogrammato A quater; in PERIMERE bis R & E ter: in PARASANGA denique, A, quater. His itaque poſitis: quoties dictorum nominum literæ inter ſe combinari poſſint, & quotnam ex iis conjunctiones, omnes differentes fieri queant, jam per totidem regulas explicandum eſt. Sit itaque.

Regula I. Primò vide, quot res combinandæ ſint propoſitæ. Secundò vide, quoties una & eadem inter res propoſitas occurrat. Si itaque duæ ſimiles inveniantur, tunc divide combinationum numeros rerum diverſarum, numero propoſitarum rerum reſpondentes, quos tabula generalis continet, per 2; & habebis quæſitum ſcil. 3 ut quoniam in voce ALA triliteга duæ literæ eædem ſunt, tunc divides 6. numerum trium rerum propoſitarum per 2 & provenient 3 numerus quæſitus, uti in margine patet. Si verò quadriliteram SARA duas literas habuerit ſimiles, divides 24 numerum combinationum quatuor rerum propoſitarum per 2, & prodibit 12. numerus quæſitus. Sic vides in Pentagrammato MARIA, A bis poni: Divide itaque 120 numerum combinationis quinque rerum per 2. & habebis 60. numerum quæſitum; ſexagies enim hoc nomen combinari poterit non pluries. Et hoc pacto procedes in infinitum.

ALA.
AAL.
LAA.

1	SARA.
2	SAAR.
3	SRAA.
4	ASAR.
5	ARAS.
6	AARS.
7	AASR.
8	RAAS.
9	RASA.
10	RSAA.
11	ARSA.
12	ASRA.

Regula II. Quandocunque inter res propoſitas tres inveniuntur ſimiles, tunc numerum Combinationum numero rerum propoſitarum correſpondentem divides per 6. & habebis intentum. *Verbi Gratia* noſſe cupis, quoties, AMARA, vox Pentagrammata

mata in qua tria AAA continentur, combinari possit, divide 120 numerum combinationis, numero quinque rerum propositarum in Tabula generali respondentem, per 6, & habebis 20. atque toties vox AMARA combinari poterit, non pluries.

Regula III. Quandocunque inter res propositas quatuor res inveniuntur similes & eædem, tunc divides numerum combinationis numero rerum propositarum correspondentem, per 24, & habebis quæsitum. *V. G.* in voce MARABANA octilitera, litera A quater invenitur: quæritur combinationis numerus; Divide itaque combinationem, octo rerum propositarum numero correspondentem, videlicet 40320. per 24 & habebis 1680. combinationis numerum quæsitum.

Regula IV. Quandocunque inter res propositas quinque res similes reperiuntur; tunc combinationum numerum numero rerum propositarum correspondentem divides per 120, & quotiens dabit quæsitum.

Regula V. Quandocunque inter propositas res plures quam octo sex inveniuntur similes, tunc divisio combinationis rerum, numero rerum propositarum correspondentis instituenda est per 720, ut habeat quæsitum in quotiente.

Regula VI. Si verò inter res propositas plures quam octo vel novem septem similes inveniantur, numeri combinationis divisio instituenda est per 5040, & quotiens dabit quæsitum. Et sic in infinitum.

Verùm ut unico oculorum intuitu omnia comprehendas, hîc Tabulam subjungere volui, in qua statim, datis rebus propositis, & dato numero rerum inter eas similium & earundem, dicto citius datarum rerum combinationem reperies.

TABULA II. COMBINATORIA,

Ostendens numerum mutationum, rerum, in quibus non præcisa diversitas, sed quædam sunt similes.

1 Series rerum diversarum.	2 Combinatio rerum omnium diversarum.	3 Combinatio rerum in qua 2 similes	4 Combinatio rerum in qua 3 similes	5 Combinatio rerum in qua 4 similes	6 Combinatio rerum in qua 5 similes	7 Combinatio rerum in qua 6 similes	8 Combinatio rerum in qua 7 similes	9 Combinatio rerum in qua 8 similes	10 Combinatio rerum in qua 9 similes
I	0								
II	2	0							
III	6	3	0						
IV	24	12	4	0					
V	120	60	20	5	0				
VI	720	360	120	30	6	0			
VII	5040	2520	840	210	42	7	0		
VIII	40320	20160	6720	1680	336	56	8	0	
IX	362880	181440	60480	15120	3024	504	72	9	0
X	3628800	1814400	604800	151200	30240	5040	720	90	10
	I	II	III	IV	V	VI	VII	VIII	IX

USUS TABULÆ.

Habet hæc Tabula decem Columnas, ordine proportionaliter deſcendentes; in prima continentur decem numeri ſignificantes res combinabiles, ſive ſeriem rerum combinabilium. Secunda Columna continet combinationes rerum, quarum ſingulæ inter ſe differunt; ita res quinque mutari poſſunt 120. vicibus: Septem verò res 5040. Tertia Columna continet Combinationes rerum, quarum duæ eædem ſunt. Quarta Columna continet Combinationes rerum, quarum tres eædem ſunt, & ſic de cæteris ordine Columnis uſque ad decimam columnam, in qua Combinationes rerum, quarum novem eædem ſunt continentur.

Uſus Tabulæ. Uſus igitur hujus Tabulæ hic eſt; ſi quis ſcire cupiat, quoties nomen aliquod octo, *Verbi Gratia* literarum mutari poſſit, quod tamen quatuor literas habeat eaſdem, uti hoc fictum nomen MARABANA oſtendit, in quo cùm quatuor literæ ſint eædem, quæritur, quoties id combinari poſſit. Quære igitur, in prima columna. VIII. (tot enim literarum nomen propoſitum eſt) deinde Columnam Combinationis rerum, quarum quatuor eædem ſunt, & angulus communis dabit 1680; & toties propoſitum nomen octo literarum, quarum quatuor eædem ſunt, combinari poterit. Ita nomen ſex literarum, quarum tres eædem ſunt, 120. vicibus commutabile eſt, quem numerum habebis in angulo communi, ſi à numero VI. in prima Columna tranſverſim, & in quarta Columna deorſum progreſſus fueris.

Ita vides ſex res omnes differentes 720. vicibus mutari poſſe; Si verò illarum duæ fuerint eædem, 360. Si tres eædem 120. ſi quatuor eædem, 30. ſi quinque eædem, ſexies. Si ſex res eædem, 0. Haud ſecus procedes de aliis rebus quotlibet intra denarium contentis. Compoſuimus autem hanc Tabulam ex Regulis paulò ante traditis, ut proinde difficile non ſit, eam ad quemcunque numerum extendere.

Si verò cuipiam lubeat hanc Tabulam ulterius extendere, is ita procedet. Primò videat Tabulam generalem ad 50 extenſam & habebit negotium peractum, ſi ordine numeros Combinationum diviſerit per numerum proximè minorem. *Verbi Gratia* in hac Tabula, ſecunda Columna eſt deprompta ex Tabula generali, & rerum prorſus differentium Combinationes continet. Si itaque inter tres res propoſitas duæ fuerint ſimiles, vide in prima Columna numerum III, tunc in ſecunda Columna numerum 6. tribus rebus propoſitis correſpondentem divide per 2. immediatè minorem in eadem Tabula, & prodibunt 3. quæ inſeres in Columna tertia, cujus titulus eſt, (*In qua duæ res ſimiles*) in angulum communem; & ſi per eundem numerum 2 dividas 24. Combinationem quatuor rerum propoſitam, prodibit 12. quem in Columna in correſpondente loco pones. Haud ſecus ſi 120. per duo diviſeris, habebis 60. Si per eadem 720, 5040, 40320. rerum propoſitarum Combinationes diviſeris, habebis quotientes 60, 360, 2520, 20160. in Columna tertia ordine collocandos numeros; hi enim monſtrant, quoties dictio quotlibet literarum, quæ tamen binas eaſdem habuerit, combinari poſſit.

Secundò, ſi in dictione quotlibet literarum tres literæ ſimiles fuerint, tunc divides omnes Combinationum in Secunda Columna numero propoſitarum rerum in prima Columna correſpondentium numeros per 6. qui tertium ab unitate locum obtinet. Et ſi quatuor in quacunque dictione literæ fuerint ſimiles, tunc dictos Combinationum in Secunda Columna numeros ordine divides per numerum minorem, & quartum ab unitate locum obtinentem, id eſt per 24, & habebis omnes ordine numeros in quinta Columna collocandos; Et ſi quinque literæ in quapiam congerie literarum fuerint ſimiles, tunc omnes productos in ſecunda Columna numeros divides per numerum, quintum ab unitate locum obtinentem, id eſt, per 120, & habebis omnium literarum, in quibus quinque fuerint ſimiles, Combinationum numeros in ſexta Columna collocandos. Pari pacto, ſi in congerie quadam literarum ſex fuerint ſimiles, tunc Combinationum in ſecunda Columna diviſio fiet per numerum, ſextum ab unitate locum continentem, qui eſt 720, & quotientes ordine Columnæ ſeptimæ inſerendæ. Hoc pacto vides Columnæ octavæ numeros, omnes eſſe quotientes numerorum ſecundæ Columnæ per 5040. diviſorum, & nonæ Columnæ numeros, quotientes eſſe numerorum in ſecunda Columna, per 40320 diviſorum: Et decimæ Columnæ numeros quotientes eſſe numerorum in ſecunda Columna contentorum, per 362880. diviſorum, & ſic tabulam continuabis in infinitum. Verùm quoniam negotium hoc ob diviſiones intricatiſſimas non tam utile quàm laborioſum eſt, nos tabulam ad 10. tantùm extendimus, ut vides. Si verò quiſpiam ſcire velit, viginti res differentes, in quibus 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, uſque ad 20 ſimiles fuerint, id conſequetur hac ratione: Divide numerum Combinationis 20 rerum; *Verbi Gratia.* 2432902008176640000,

per 2, & quotiens dabit combinationem rerum, in quibus duæ fuerint ſimiles: Si verò eundem hunc numerum per 6. diviſeris, habebis quotientem combinationis rerum, in quibus tres fuerint ſimiles, quæſitum. Si res quatuor fuerint ſimiles, divides dictam combinationem per 24; & habebis combinationem rerum, in quibus quatuor ſunt, ſimiles, & ſic ordine procedes, dividendo dictum numerum per conſequentes ordine numeros combinationum in tabula generali contentos, uſque ad 19, per cujus combinationis numerum 121645100408832000, ſi diviſeris ſuprà exhibitum viginti rerum combinationis numerum, quotiens dabit combinationem rerum 20, in quibus novemdecim ſunt ſimiles, & vigeſies tantùm combinari poterunt. Non ſecus in omnibus aliis procedes.

CAPUT IV.

De Applicatione dictorum ad Artis noſtræ principia, per varias combinationum ſpecies.

Modus I. *Combinationis applicatus permutativus terminorum ſimplicium.*

VT Lector innumerabilem & incredibilem combinationum ubertatem luculenter videat, hoc loco primùm de ſimplici combinatione terminorum agendum eſt, qua oſtenditur, quot res differentes inter ſe permutari queant, ut nunquam coincidant inter ſe comparatæ. Primò itaque conſidera terminos Artis noſtræ, ſive principia quadruplici Alphabeto propoſita, cujuſmodi ſunt. Novem quæſtiones; totidem prædicata abſoluta, totidemque Reſpectiva, & denique novem ſubjecta; atque hæc ſunt Artis noſtræ principia omnium ſimpliciſſima; quibus ſi jungas novem prædicamenta, terminoſque ad novem prædicata abſoluta reducibiles; inde naſcetur tanta propoſitionum farrago, quantam ſuprà in combinationum Tabula numeris expreſſimus. Sed ut propoſitum nobis ſcopum adoriamur.

Nota nos hoc loco minimè udituros terminorum combinationem, in quantum abſolutè conſiderantur, ſed in quantum propoſitionibus formandis inſerviunt; Propoſitionum autem combinatio eò collimat, ut inde Syllogiſmi conficiantur univerſales ad propoſitæ quæſtionis veritatem demonſtrandam. Quemadmodum enim elementa, dum veluti ſimplices termini conſiderantur, poſitivè nullum in animo Auditoris conſenſum aut diſſenſum ponunt, niſi per definitiones, diſtinctiones, diviſiones, compoſitiones, in propoſitiones, & ex his in ſyllogiſmos demonſtrativos evolvantur, ita termini Artis noſtræ pariter per ſe conſiderati, nullum in animo veritatem aut falſitatem ponunt, niſi illi inter ſe, vel cum ſubjectis univerſalibus, aut cum iis, qui ad eos quovis modo revocari poſſunt, terminis aptè componantur.

Dico itaque, quod in hac terminorum Artis noſtræ combinatoriæ methodo ſemper ſtatuendi ſunt ad minimum duo termini ſeu principia, prius quidem veluti ſubjectum, ſive id abſtractivè, ſive concretivè conſideretur; alterum verò de quo ſubjectum veluti prædicetur. Verùm ut paulò propius accedamus; hic primum ſingula principia repetenda ſunt, ut Artiſta ſeriem rerum combinandarum liquidius aſſequatur. Principia Artis noſtræ, ut in primò libro expoſuimus, ſunt novem prædicata abſoluta ſeu eſſentialia, totidem reſpectiva, totidemque ſubjecta univerſalia, quibus termini applicandi ſunt.

Eſſentialia principia ſunt,

Bonitas.	Magnitudo.	Duratio.	Potentia.	Sapientia.	Voluntas.	Virtus.	Veritas.	Gloria.
Hiſce Litteris comprehenſa.								
B.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.

Reſpectiva ſunt,

Differentia.	Concordantia.	Oppoſitio.	Principium.	Medium.	Finis.	Majoritas.	Æqualitas.	Minoritas.
Hiſce Signis comprehenſa.								
=.	♡.	o●.	α.	⊙.	ω.	M.	Æ.	Min.

Subjecta ſunt,

Deus.	Angelus.	Cœlum.	Elementa.	Homo.	Natura ſenſitiva.	Natura vegetativa.	Mineralia.	Accidentalia.
Hiſce Signis comprehenſa.								
△.	[angel].	◎.	⊡.	[man].	[animal].	[tree].	⬠.	⁘.

QUÆ-

QUÆSTIONES.

An. Quid. Cur. Quantum. Qui. Quale. Ubi. Quando. Quibuscum. Atque sub hisce veluti in semine quodam fœcundissimo, quidquid cognitioni subest, virtute continetur, præsertim si per erotematicam enneadem singula apposite explicentur, & per aliunde assumpta reducibilium terminorum principia apte comparentur; de quibus postea.

Expositio principiorum.

Scias itaque velim Lector. Quod omne Ens primò essentiæ suæ ratione est, & hoc ipso quod est, ad agendum fit potens; & hoc ipso quod fit potens ad agendum, agit, & tandem actione sua quietem & perfectionem suam adipiscitur; Unde quicquid de re quapiam dici potest, ad esse, posse, agere & perfici reducitur. Hinc absolutorum principiorum enneas in tres triades optima ratione & judicio dividitur; ita ut prima B. M. D. ad esse; Altera P. S. Vo. ad posse. Tertia verò Vi. Ve. G. ad agere, pulchra ad naturæ exemplar, distributione, pertineat. (3. Triades principiorum omnia continent.)

(1. *Trias essentiæ.* Bonitas & ratio ejus.) Bonitas significat esse rei sive essentiam, quod est primum rei bonum, cui omnia reliqua superaddi dicuntur; quia esse, bonum est; non esse, malum; quoniam nullum bonum esse potest, quod non intensione vel extensione polleat; hinc nascitur secundus essentiæ gradus Magnitudo. (Magnitudo & ratio ejus.) Et quoniam frustra res aliqua bona & magna foret, nisi in essentiæ suæ continuatione permaneret; hinc nascitur tertius essentiæ gradus, Duratio, (Duratio.) quæ significat continuationem existentiæ, quæ est necessaria ad perfectionem, & ut ad actionem se promoveat; si enim statim ac est, periret, nil ageret. Altera trias potentialis est. (2. *Trias potentialis.*) Hoc ipso enim, quod res est, debet habere potentiam ad agendum requisitam; est enim potestas hoc loco considerata essentialis vis in subjecto ad aliquid agendum instituta, uti est ratio in homine ad discendas scientias. (1. Potentia. Ratio potentiæ.) Quoniam verò non sufficit habere potentiam ad agendum necessariam, nisi detur vis directiva, qua finem suum consequatur; & hæc est Sapientia, quæ in homine dicitur cognitio rationalis, in animalibus sensualis, in reliquis omnibus sive brutis, sive vegetabilibus, inanimatisque, instinctus. (2. Cognitio.) Quoniam verò frustra esset directio, si appetitus non esset, qui boni convenientis rationem sequeretur; hinc nascitur voluntas sive appetitus, sive is naturalis, sive rationalis sit, amoremque significat, qua bonum ab intellectu aut instinctiva cognitione propositum, cuncta naturaliter appetunt; quoniam verò bonum concupitum consequi nemo potest sine mediis & actionum efficacia; hinc nascitur Tertia Trias: Vi. Ve. G. (3. Appetitus.) (3. *Trias.*) his enim res quæpiam convenientes habens potentias ad agendum, agit perfectè per suam virtutem; (Virtus.) per veritatem verò id agit, quod verè & rectè agere debet, conformitate quadam intellectus cum re intellecta, (Veritas.) & sic tandem gloriam seu finem totius perfectionis consequitur. (Gloria.) Atque hæc omnia principia sumuntur partim essentialiter, ut in naturalibus, partim accidentaliter, ut in virtutibus moralibus.

Principia Respectiva pariter sumuntur vel essentialiter vel accidentaliter.

Differentia est specifica aut individualis, aut ratione accidentium, aut substantiarum. =.

Concordantia est vel generica, vel specifica, vel accidentalis. ♡.

Contrarietas essentialis est inter ea, quæ sunt ejusdem generis, & diversæ speciei; ut corpus animatum & non animatum; Sympathia & Antipathia naturalis; oppositiones per contrarietatem exponuntur uti in elementis calidum frigidum; humidum siccum; In politica, bella, dissidia; Pax, & concordia. ○●.

Principium sumitur pro causa, vel pro initio cujusvis rei, sive prioritatem, sive ordinem, sive aliud quodcunque inchoativum spectes. α.

Medium, pro mediis aut rei, aut rationis, aut instrumenti subservientis. ⊙.

Finis, pro bono, quod intenditur, uti scopus, centrum; aut pro rerum termino, ut mors est terminus vitæ. ω.

Hinc patet, omnem existentiam rei, involvere in se potestatem, actionem, gloriam; omnem quoque bonitatem, magnitudinem, durationem &c. esse in principio, medio & fine; sive quicquid est, esse respectu alterius in principio, medio, aut fine.

Majoritas dicitur comparativè ad alias magnitudines; quia nulla res est, quæ non respectu alterius nunc major, nunc minor dicatur. M.

Æqualitas est alia quædam identitas, cujus imago & similitudo est. Æ.

Minoritas dicit omnes defectus & negationes sive bonas, sive malas; ut avaritia in quantum nulli auxiliatur, est minoritas bonitatis; punctum indivisibile est minoritas magnitudinis; rerum inconstantia minoritas durationis; paupertas quæ notat carentiam divitiarum, & imbecillitas est minoritas potentiæ; ignorantia minoritas cognitionis. Min.

Hinc ſequitur, Omnes	Bonitates reduci,	Ad unam	Bonitatem.
	Magnitudines,		Magnitudinem.
	Durationes,		Durationem.
	Poteſtates,		Poteſtatem.
	Cognitiones,		Cognitionem.
	Voluntates,		Voluntatem.
	Virtutes,		Virtutem.
	Veritates,		Veritatem.
	Glorias,		Gloriam, quæ eſt vitæ æternæ.

Hinc ſequitur,
- Omnes differentias ad unam differentiam.
- Omnes concordantias ad unam concordantiam.
- Omnes contrarietates ad unam contrarietatem.
- Omnia principia ad unum principium.
- Omnia Media ad unum Medium.
- Omnes fines ad unum finem.
- Omnes Majoritates ad unam Majoritatem.
- Omnes Æqualitates ad unam Æqualitatem.
- Omnes Minoritates ad unam Minoritatem.

Quomodo prædicata abſoluta dicantur de Ente.

Prædicata abſoluta primò de omni Ente dicuntur affirmativè vel negativè, in concreto vel abſtracto, convertibiliter vel inconvertibiliter; at de DEO præcipuè omnia affirmativè, convertibiliter, abſtractivè & concretivè dicuntur; Sunt enim in principio rerum omnium, æqualia omnia; In creatis verò ſubinde convertuntur, ſubinde non, unde ſecundum varios caſus ponenda ſunt. *Exempli Gratia.* Sapientia de libro in caſu recto prædicari non poteſt; non enim dici poteſt, Liber eſt Sapiens: In obliquo tamen poteſt; ut dum dico, Liber eſt Sapientis, vel continet Sapientiam. Convertuntur tamen termini in abſoluto ſtatu conſiderati; ut dum dico, omnis magnitudo bona eſt, & omnis bonitas magnitudo eſt; vel dum dico, in omni Ente elucet magnitudo bonitatis, vel in omni Ente elucet bonitas magnitudinis.

Quomodo abſoluta principia dicantur de reſpectivis.

Præterea prædicata abſoluta cum reſpectivis ſubjectiſque comparata acquirunt perfectum propoſitionum Syllogiſmorumque formandorum ſtatum; ut dum dico, omnis bonitas eſt differens, concordans, contrarians, principians, medians, finiens &c. de quibus haſce regulas accipito.

Regula I. Pro ſubjecto ſumatur terminus abſolutus, pro prædicato pariter abſolutus. *V. G.* Bonitas magna.

Regula II. Pro ſubjecto uterque terminus poteſt eſſe reſpectivus; uti differentia principians, concordans, medians.

Regula III. Subjectum ſit terminus abſolutus, & prædicatum reſpectivus. Uti Bonitas differens. B. ⚌.

Regula IV. Subjectum ſit terminus reſpectivus, & prædicatum ſit abſolutus. Uti ⚌. B. Differentia bona, vel differens bonitas.

Quatuor iſti modi multiplicari poſſunt.

Primò. Subſtantivè: uti B. M. Bonitas Magna; Magnitudo bona: vel adjectivè; uti bonum magnum, vel magnum bonum.

2. Vel componendo ſubjectum, ut conſtet ex abſoluto & reſpectivo; ut magnitudo bona eſt differens; vel ex duobus abſolutis, ut bonitas magna eſt differens & durans.

3. Vel componendo prædicatum, ut concordantia eſt magnum bonum.

4. Vel componendo ſubjectum & prædicatum; ut concordantia principians eſt magnum bonum.

5. Vel poſito utroque in recto & altero in obliquo; ut differentia principiantis; vel utriſque in concreto, vel uno in concreto, & altero in abſtracto, vel utriſque in abſtracto: ut magnum bonum, magnum boni, magnitudo boni, magnitudo bona, magnitudo bonitatis: ex quorum combinatione naſcitur incredibilis combinationum multitudo, adeò ut tempus prius te, quam propoſitionum congeries deficiat, ut jam demonſtrabitur.

PARADIGMA.

Combinationis permutativæ paulò ante deſcriptæ, & primò quidem in terminis ſimplicibus faciendæ.

Tametſi hic modus inſtituto noſtro parum utilis eſſe poſſit, apponendum tamen eum duximus, ad paradoxam & incredibilem penè, quæ inde emanat, combinationum multitudinem firmius demonſtrandam. Imaginare itaque tibi, terminos abſolutos, ſive reſpectivos eſſe veluti diverſorum numerorum rerumve combinandarum ſeriem.

Verb.

Verb. Gr. Si noſſe cupias, quotnam modis ſimplices termini novem principiorum abſolutorum ita permutari poſſint, ut nunquam in idem recidant; tunc quæres in Tabula Combinatoria generali, in prima Columna 9. & correſpondens numerus, videlicet, 362880, dabit numerum rerum permutandarum quæſitam combinationem. Si verò hoſce ſimplices in propoſitiones cogere velis; pone è regione eandem terminorum ſeriem; & ſi ſcire velis, quot ex permutationum compoſitione propoſitiones inde emanent, duc 362880. in ſeipſum, & provenient 131664294400. numerus permutationum quæſitus.

Si verò principia abſoluta ordine junxeris reſpectivis, numero pariter 9. vel cum uno ſubjecto ex univerſalibus comparaveris, erunt permutationes propoſitionum: 121645100408832000. hunc numerum ſi quadraveris, habebis ſummam omnium propoſitionum, quæ ex octodecim terminis tam abſolutis quàm reſpectivis, in totidem terminos reducibiles ductis confici poſſunt, combinationem quæſitam. Si denique in unam columnam cogas quatuor Enneades Artis noſtræ, earumque terminos 36. cum totidem attributis ſeu prædicatis reducibilibus combines, invenies in prima Columna Tabulæ generalis Combinatoriæ propoſitionis primæ, ſequentem numerum.

Numerus propoſitionum, quæ ex quatuor Enneadum Artis Noſtræ, id eſt, 36. terminis cum totidem attributis reducibilibus, combinatione fieri poſſunt.

371993326789901217467999448150835200000000.

Si denique 50 termini cum totidem aliis, *Verb. Gr.* Quinque Enneadum termini cum 50 attributis divinis componantur combinatione permutativa, naſcetur ſequens numerorum congeries.

12737268388154203998513430837670055152937494547954734080000000000000.

Qui numerus tam immenſus eſt, ut totus Mundus libris de iis conſcribendis impleri poſſit; & ſi totus Oceanus, imò totius Univerſi humidum in atramentum converteretur, prius id deficeret, quàm librorum de iis conſcribendorum finis attingeretur, etiamſi millena millia annorum in iis ſcribendis omnes homines ab origine Mundi uſque ad finem ejus impenderent; quorum demonſtratio ex ſupra dictis clarè patet. Atque hæc tunc maximè patent, quanta principiorum Artis noſtræ cum attributis divinis ſit combinatio; ut vel ex hoc eluceſcat, combinationem hujuſmodi cum divinis perfectionibus infinitudinem quandam induere, nullo numero, pondere, aut menſura determinabilem. Quare relicta prima hac combinationis ſpecie, quæ in permutatione rerum conſiſtit, utpote parùm utili, & ſemper identica; ad ea tranſeamus, quæ inſtituto noſtro magis propria, & proportionata ſunt.

Modus II. *Combinationis applicatus.*

Secundus Combinationis modus in hoc conſiſtit, ut principia variè juxta terminos abſtractos, concretos, combinatos in propoſitiones ad formandos ſyllogiſmos evolvamus; Sunt autem termini vel *ſimplices*, vel *compoſiti*. *Simplices* ſunt, quando ii ſoli ponuntur, uti magna bonitas, vel magnitudo bona; vel in concreto, omne magnum eſt bonum, vel omne bonum eſt magnum &c. prout ſuprà in Regulis docuimus. *Compoſiti* termini ſunt, quando ſimpliciter termini alii ad abſoluta prædicata reducibiles aſſumuntur, ut omne bonum ſimpliciter & abſolutè durabile eſt infinitè magnum. Si itaque cuipiam animus ſit, terminos hoſce per compoſitionem in propoſitiones evolvere, is utetur methodo ſuprà in Propoſitione prima, deſcriptâ. *Verbi gratia.* Ex Tabula combinatoria generali conſtat, duas res bis tantùm combinari poſſe; tres, ſexies; quatuor, vigeſies quater: quinque centies vigeſies &c.

PARADIGMA.

Sint primò aſſumpti duo Artis noſtræ termini, ſeu principia abſoluta. B^{s}. M^{o}. Hi termini non ſecus ac binæ literæ bis comparari inter ſe poſſunt, non pluries: uti ex Tabula generali patet; quia tamen hi termini non ſimpliciter conſiderantur, ſed uti ad propoſitiones apti ſunt, ita variis modis inter ſe combinari poſſunt terminorum permutatione; vel enim abſtractè vel concretè uterque, vel unus in abſtracto, alter in concreto; vel unus in recto, alter in obliquo, uti ſuprà in Regulis docuimus; vel unus denique reſpectivus, alter abſolutus; & hoc pacto plurimam tibi ſuggeret propoſitionum materiem dicta combinatio; vel per propoſitiones indefinitas vel definitas, per particulam affirmativam vel negativam, id eſt, omne, nullum; quorum illud, o, circello, hoc puncto nigro ſignamus, facta ſuppeditabit, uti ſequitur.

1.	2.	3.	4.	5.	6.
Bs. Mo.	Bm. Mm.	Bs. Ma.	Bs. Mis.	Bs. ⩶. Ma.	Bs. ♡. Ma.
Mo. Bs.	Mm. Bm.	Mo. Ba.	Mo. Bis.	Mo. ⩶. Ba.	Mo. ♡. Ba.
7.	8.	9.	10.	11.	12.

Nota, *literis adjunctum* s. *aut* o. *aut* is. *significare abstractum*, a. *vel* m. *verò concretum*; *uti*,

Omnis { 1. Bonitas est magnitudo quædam. 7. Magnitudo est bonitas quædam. } Omnis { 3. Bonitas est magna. 9. Magnitudo est bona. }

Omne { 2. Bonum est magnum. 8. Magnum est bonum. } 4. Bonitas magnitudinis. 10. Magnitudo bonitatis.

Omnis { 5. Bonitas differens est magna. 11. Magnitudo differens est bona. } Omnis { 6. Bonitas concordans est magna. 12. Magnitudo concordans est bona. }

Omnis { Concordantia est bonitas magna. Differentia est magnitudo bona. } Et sic de cæteris.

Quibus inter se ritè combinatis, & partim absolutè, partim respectivè consideratis, nascentur propositiones omninò differentes 72. uti ex sequenti Pinacio Combinatorio patet.

Pinacium Combinationis per Binarium.

Combinatio Respectivorum cum absolutis.		*Absoluta Combinatio.*							
⩶.	Differens.	B. M.	M. D.	D. P.	P. S.	S. Vo.	Vo. Vi.	Vi. Ve.	Ve. G.
♡.	Concordans.	B. D.	M. P.	D. S.	P. Vo.	S. Vi.	Vo. Ve.	Vi. G.	
o•.	Contrarians.	B. P.	M. S.	D. Vo.	P. Vi.	S. Ve.	Vo. G.		
α.	Principians.	B. S.	M. Vo.	D. Vi.	P. Ve.	S. G.			
⊙.	Medians.	B. Vo.	M. Vi.	D. Ve.	P. G.				
ω.	Finiens.	B. Vi.	M. Ve.	D. G.					
M.	Majorans.	B. Ve.	M. G.						
Æ.	Æquans.	B. G.							
Min.	Minorans.								

Si verò tres terminos assumpseris, uti B. M. D. Dico ex illis sex combinationes resultare, non plures, uti ex sequenti patet schemate. Ubi vides primum terminum B. bis in prima serie, bis in 2da. bis in 3. reperieri, duæ priores semper naturam subjecti, tertia predicati locum possidet.

B. M. D.	Id est, Omnis	Bonitas magna, durabilis est.
B. D. M.		Bonitas durabilis, magna est.
M. B. D.		Magnitudo bona, durabilis est.
M. D. B.		Magnitudo durabilis, bona est.
D. B. M.		Duratio bonitatis, magna est.
D. M. B.		Duratio magna, bona est.

Vides igitur, si terminos tali ratione ordinaveris, statim nasci duas præmissas ad totidem syllogismos formandos opportunas, assumpto uno ex novem subjectis universalibus pro minore; Quæ omnia maximo compendio per literas tantùm indicantur, uti sequitur.

Syllogiſmi ex ſex Combinationibus nati.

	Subject. Præd.				Medium.				Concluſ.
Omnis	B. M. D.	Sed	△.	eſt	B. M.	Ergo	△.	eſt	D.
	B. D. M.		△.		B. D.		△.		M.
	M. B. D.		△.		M. B.		△.		D.
	M. D. B.		△.		M. D.		△.		B.
	D. B. M.		△.		D. B.		△.		M.
	D. M. B.		△.		D. M.		△.		B.

Si verò hæc cum aliis tum abſolutis tum reſpectivis combinare velis, præſtabis id ex ſequenti Pinacio, in quo ternæ literæ ita combinatæ ſunt, ut ex iis denuò Artiſtæ ingens propoſitionum ſyllogiſmorumque farrago emanet.

PINACION


Combinandi per tres terminos ſimplices quocunque ordine dato.

Principia abſoluta.

B. M. D.	M. D. P.	D. P. S.	P. S. Vo.	S. Vo. Vi.	Vo. Vi. Ve.	Vi. Ve. G.
B. D. P.	M. P. S.	D. S. Vo.	P. Vo. Vi.	S. Vi. Ve.	Vo. Ve. G.	
B. P. S.	M. S. Vo.	D. Vo. Vi.	P. Vi. Ve.	S. Ve. G.		
B. S. Vo.	M. Vo. Vi.	D. Vi. Ve.	P. Ve. G.			
B. Vo. Vi.	M. Vi. Ve.	D. Ve. G.				
B. Vi. Ve.	M. Ve. G.					
B. Ve. G.						

Principia Reſpectiva.	*Oppoſita principiorum abſolutorum.*	
☰.	Bonum.	Malum.
♡.	Magnum.	Parvum.
o●.	Durabile.	Non durabile.
α.	Potens.	Impotens.
⊙.	Sapiens.	Inſipiens.
ω.	Voluntas.	Noluntas.
M.	Virtus.	Imbecillitas.
Æ.	Veritas.	Falſitas.
Min.	Gloria.	Dedecus.

Comprehenduntur ſub hoc Pinacio Syllogiſmi affirmativi prorſùs differentes 144. & totidem negativi; qui juncti faciunt ſummam ſyllogiſmorum 288; quorum, ne cartam combinationibus referciremus, explicationem conſultò omittandam duxi, ſed eorum loco tantùm nonnullos ad meliorem rerum intelligentiam apponimus; & ſunt ſignificati per primam literarum ſeriem tranſverſam.

B. M. D.	Omne bonum Magnum, durabile eſt.	Sed		Ergo.
M. D. P.	Omne magnum durabile, potens eſt.			
D. P. S.	Omne ſummè durabilis potentia, ſapiens eſt.			
P. S. Vo.	Omne potens intellectuale, appetitivum eſt.			
S. Vo. Vi.	Omne intellectuale appetitivum, virtuoſum eſt.			
Vo. Vi. Ve.	Omnis appetitiva virtus, vera eſt.			
Vi. Ve. G.	Omnis virtus vera, glorioſa eſt.			

Per

Per Opposita sic argumenteris.

Nullum malum magnum, in creatis durabile est.
Nullum parum durabile, potens est.
Nullum impotens, sapiens est.
Nullum impotens, veræ cognitionis appetitivum est.
Nullum irrationale appetitivum, virtuosum est.
Nullus appetitus irrationalis virtus vera est.
Nulla virtus falsa, gloriosa est.

Per Respectiva sic argumenteris.


Omnis	B. M. D.	☰.	Differt,	Scilicet ab alia.
	M. D. P.	♡.	Concordat,	Cum alia.
	D. P. S.	○●.	Contrariatur,	Ad aliam.
	P. S. Vo.	α.	Principiat,	
	S. Vo. Vi.	⊙.	Mediat,	
	Vo. Vi. Ve.	ω.	Finem habet,	
	Vi. Ve. G.	M.	Majorat,	
		Æ.	Æquat,	
		Min.	Minorat.	

Notandum autem, hosce terminos non tantùm ordine recto, sed & retrogrado, imò promiscuo ordine assumi posse. Si itaque 144, per 2 multiplices, habebis 576, syllogismos, quorum nonnulli perfectè, quidam imperfectè concludunt; ex quibus prudens Lector ea potissimum seligere poterit, quæ ejus proposito magis conducere videbuntur; possunt tamen ad perfectionem reduci, vel unicâ particulâ (absolute) vel particulari affirmativâ aut negativâ (aliquid) aliquod non.

Tertius Combinationis Modus, qui est linearis, sive per linearum ductus.

Est & alius aptissimus sanè rebus combinandis modus, quo per ductus linearum in notitiam omnium combinationum deducimur, & ita se habet. Ponantur ex uno latere, ordine novem prædicata essentialia, ex altero, eadem replicentur; deinde ex singulis ad singula ducantur lineæ, & habebis combinationem quæsitam. Sed ad hoc intelligendum, nihil aliud nisi ocularis inspectio in subjecto Schemate requiritur, variisque modis confici potest. Primò Lulliana methodo per *Tivum*, *are*, *bile*, id est, per terminos principiorum absolutorum terminantium in tivum, are, bile; uti bonificativum, bonificare, bonificabile; hæc enim sunt tria cujusque rei principia coëssentialia, videlicet potentia activa, potentia passiva, & actus, quibus omnis innititur probatio. Secundò fit per terminorum absolutorum prædicationem cum totidem subjectis; quod dum fit, quodlibet ex prædicatis absolutis aut respectivis rationem subjecti, in opposita verò serie semper quodlibet rationem prædicati habet. Sed hæc in sequenti typo luculentius patebunt.

SCHEMA



Ex hac Combinatoria methodo clarè patet, ex novem prædicatis abſolutis in totidem oppoſita ductis, 81 propoſitiones fieri poſſe, quæ emanant ex multiplicatione 9. in ſeipſum; ſingula enim in ſingula oppoſita ducta dabunt 81. quibus quidem propoſitionibus, ſi in ſecunda propoſitione, pro ſubjecto ſtatuas unum ex 9 ſubjectis univerſalibus; *Verbi gratia*, DEUS; habebis totidem Syllogiſmos demonſtrativos, uti ex Schemate patet. *Verb. Grat.*

Omnis bonitas bonificat; DEUS eſt ipſa bonitas; Ergo bonificat.

Omnis magnitudo bonificat; DEUS eſt ipſa magnitudo infinita; Ergo bonificat.

Omnis duratio bonificat; DEUS eſt duratio æterna; Ergo.


Et ſic de cæteris ordine abſolutis idem judicium eſto, quæ & linearum ductus pulchrè docent. Secundò, pari ratione, ſi loco abſolutorum terminorum ponas, tivum, & bile, probabis eadem diverſo modo per correlationem quandam: ut omne bonificativum habet bonificabile, quod bonificat. Omne Magnificativum habet magnificabile, quod magnificet. Ubi tamen nota, non ſingulas propoſitiones directè concludere, niſi rectitudinem ſuam conſequantur ex nonnullis particulis additis vel in recto, vel in obliquo, vel particulari negativo, ut cum dico, omnis magnitudo bonificat, directè non concludit, cum magnitudo diverſam à bonitate formalitatem habeat; vera tamen eſt, ſubintelligendo bonitatem, quæ magnitudini ineſt; ut omnis bonitas magnitudinis alicujus, bonificat, ſivè, quædam magnitudo bonificat. Idem judicium eſto de aliis non directè concludentibus propoſitionibus; unde omnia illa prædicata, quæ rectis, non obliquis lineis connectuntur, tantùm directè concludunt, reliqua indirectè. *V. G.* Omnis veritas bonificat, ſubintellige, intellectum; Omnis, voluntas, ſubintellige bona, ſapientem facit; ſive, quædam voluntas ſapientem facit, ſcilicet, voluntas ſtudioſa & recti inveſtigatrix.

Tertiò. Si loco abſolutorum opponas, oppoſitos ſeu contrarios terminos, præpoſitâ particula negativa (nullus) habebis totidem propoſitiones negativas; ut nulla malitia bonificat; nulla parvitas magnificat; nullum non durans durare facit. &c.


Quartò. Si verò novem terminis abſolutis, novem reſpectiva junxeris, & ſingula linearum ductibus connexueris, habebis 324 propoſitiones ſyllogiſmis totidem formandis aptas; uti ex ſequenti Abaco patet.

EPILOGISMUS

Combinationis Linearis.



Quintò ſi hiſce præponas Enneadem aut Decadem Erotematicam, uti *An*, *Quid*, *Cur*, *Quantum*, *Quì*, *Quale*, *Ubi*, *Quando*, *Quibuſcum*, tum ampliſſimum habebis campum ſingula ſecundum artem examinandi.




Secundò. Quæſtio inſtituenda eſt cum prædicatis tum abſolutis tum reſpectivis, uti,

An,		Bonus.		An differat à ſe.
Quid in	△ ſit	Bonitas.	Et	Quænam ejus differentia.
Cur,		Bonitas.		Cur differat ab aliis; & ſic de cæteris.

Deinde eadem comparanda ſunt cum reliquis ordine prædicatis tum abſolutis, tum reſpectivis.

Quartò. Quæſtiones inſtituendæ ſunt cum attributis divinis tum eſſentialibus tum Relativis; verùm hæc omnia ſuo loco luculentius patefient.

Quintò. Data quacunque propoſitione, Combinationem inſtitues hac eadem methodo. *V. G.* Si probandum ſit, virtutes eſſe bonas; ſic procedes, Ponantur omnes, vel quotquot volueris, termini ad virtutem reducibiles, ſerie perpendiculari, deinde virtutes quotquot volueris è regione; deinde connectantur ſingula ſingulis per lineas, & habebis combinationem peractam, ut in ſequenti Schemate patet.



Vides in hac Combinatione, dum singula subjecta in totidem prædicata ducuntur, ex novem prædicatis & totidem subjectis nasci syllogismos omninò differentes 81. Et hoc pacto pro multiplicatione prædicatorum subjectorumque semper majorem & majorem resultare Syllogismorum numerum; Hac ratione ex triginta prædicatis & totidem virtutibus nascuntur syllogismi prorsus differentes & demonstrativi 900; Si verò per opposita seu contraria virtutibus ratiocinium tuum deducere velis, loco particulæ omnis, ponas, nullum vitium, & loco subjecti in Minori, Superbia, hac ratione: nullum vitium est bonum; Superbia est vitium, Ergo. Nascentur pro novem prædicatis & totidem vitiis, uti prius, 81 Syllogismi, & ex 30 vitiis comparatis pariter cum suis prædicatis 900 Syllogismi emergunt; Habes itaque juxta hunc modum 1800 Syllogismos. Vel etiam, hac industria per oppositorum etiam combinationem, dicto citiùs quotlibet syllogismos erues, si loco prædicatorum ponantur contraria prædicata, & loco virtutum vitia, & habebis intentum. Ut

Omne vitium est odibile, odiosum, DEO execrabile, vituperatione dignum, inhonestum, &c.

Sed Superbia, Avaritia &c. sunt talia. Ergo.

Atque ex hisce patet, dato subjecto, *Verbi Gratia*, Logico, Physico, Theologico, Medico, Mathematico, Rhetorico, Politico, &c. qualicunque tandem probando, quomodò dicto citius, hac Combinationis methodo & ratione quotlibet argumenta eruere possis. Sed hæc fusius in sequentibus prosequemur.

Quartus Modus, Combinatio rerum circularis.

Quartus Modus Combinationis, fit Artis nostræ terminis in circulos partim mobiles, partim immobiles, coactis; idque variis modis; vel simplicibus terminis solum iis impo-

impoſitis, vel junctis terminis ad eos reducibilibus. Nos ſingulos modos & rationes ordine exponemus, ut unuſquiſque apta ingenio ſuo haberè poſſit, ad combinandum ſubſidia. Primus modus eſt ſimpliciſſimus, & fit hoc pacto:



Delineantur quinque circuli in ſeparatis chartis ſemper minores & minores; in quorum primo, ſecundo & quarto, ordine deſcribantur novem prædicata eſſentialia; in tertio verò & quinto, novem ſubjecta univerſalia, & novem principia reſpectiva, uti in appoſita figura patet.

Deinde ſinguli centro affigantur verſatiles, & habebis Combinationis rotam peractam. Uſus ejus is eſt, qui ſequitur.

Explicatio Rotæ. Supponendum primò, in ſuperiori circulo omnes literas abſolutorum prædicatorum habere ſe per modum ſubjecti, id eſt, denotare in propoſitione ſeu antecedenti majori ſubjectum; In ſecundo circulo omnes literæ ſe habent per modum prædicati; In tertio verò circulo continentur ſubjecta univerſalia, quæ ſe habent per modum ſubjecti in propoſitione Minori. Sit igitur in quæſtione probandum, utrum Angelus ſit B. M. D. P. S. &c. Applica primò ad B. ſuperioris circuli, in ſecundo circulo literam B, eique ſuppones in tertio circulo ſubjectum ex novem univerſalibus , & in quarto circulo literam B, habebiſque hunc ſyllogiſmum: Omne Ens eſt bonum; Angelus eſt Ens; Ergo eſt bonus. Deinde promove B, ſecundi circuli, cum tertii & quarti circuli notis , & B. ſubter M, ſupremi circuli, & habebis ſecundum Syllogiſmum. Deinde ſimili induſtria promovebis ſecundi circuli literam B. ad omnes reliquas literas ſuperioris circuli, reliquis tribus ordine, & gradatim pariter promotis uſque ad 9, & habebis per revolutionem primam 9 Syllogiſmos, quibus probatur Angelum eſſe bonum, & ſunt hi.

B. B. [symbol]. B.	Omne	Ens eſt bonum; Angelus eſt Ens quoddam;	Ergo eſt bonus.
M. B. [symbol]. M.		Magnum eſt bonum; Angelus eſt magnus;	
D. B. [symbol]. D.		Durabile eſt bonum; Angelus eſt durabilis;	
P. B. [symbol]. P.		Potens eſt bonum; Angelus eſt potens;	
S. B. [symbol]. S.		Sapiens eſt bonum; Angelus eſt ſapiens;	
Vo. B. [symbol]. Vo.		Voluntate præditum eſt bonum; Angelus eſt voluntate præditus.	
Vi. B. [symbol]. Vi.		Virtuoſum eſt bonum; Angelus eſt virtuoſus.	
Ve. B. [symbol]. Ve.		Verum eſt bonum; Angelus eſt verus;	
G. B. [symbol]. G.		Glorioſum eſt bonum; Angelus eſt glorioſus;	

Hinc vides, ſi trium inferiorum circulorum notas eaſdem, ſuperioris circuli notis ordine & gradatim ſuppoſueris, ſemper novem naſci Syllogiſmorum differentium emanationes.

Nota tamen, quod ſi alicubi occurrerint identicæ propoſitiones, uti B B B, tum ſubjectum ſemper debet aſſumi reducibile ad quendam terminum abſolutum; ut Ens, unum, ſubſtantia, eſſentia ad bonum; extenſum, capax &c. ad magnitudinem, & ſic de cæteris, quos terminos reperies in præcedenti Libro, Sectione III.

REVOLUTIO I.

Ens.

Termini reducibil.	B.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.	Subjectum	Majoris.
Abſoluti.	B	B.	B.	B.	B.	B.	B.	B.	B.	Prædicatum	
	[symbol]. B.	[symbol]. M.	[symbol]. D.	[symbol]. P.	[symbol]. S.	[symbol]. Vo.	[symbol]. Vi.	[symbol]. Ve.	[symbol]. G.	Subjectum Prædicatum	Minoris.
Ergo.	B.	B.	B.	B.	B.	B.	B.	B.	B.	Concluſio.	

Termini reducibiles ad B.

Unum. Ens. Eſſe. Eſſentia. Tivum, are, bile. Beneficum. Amabile. Felix.

Poſt primam revolutionem, qua Angelus bonus eſſe probatur; ſi eum magnum eſſe probare volueris, tunc trium inferiorum circulorum notas M. [symbol]. M. ſuppones ſuperioris circuli ordine notis, ab M. incipiendo, & naſcetur ſecunda revolutio, quæ ſequentem propoſitionum ſyllogiſmorumque congeriem continebit.

REVOLUTIO II.

Angelus extenſus virtute ſua, non mole.

Termini reducibil.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.	B.	Subjectum	Majoris.
Abſoluti.	M.	M.	M.	M.	M.	M.	M.	M.	M.	Prædicatum	
	[symbol]. M.	[symbol]. D.	[symbol]. P.	[symbol]. S.	[symbol]. Vo.	[symbol]. Vi.	[symbol]. Ve.	[symbol]. G.	[symbol]. B.	Subjectum Prædicatum	Minoris.
Ergo.	M.	M.	M.	M.	M.	M.	M.	M.	M.	Concluſio.	

Termini reducibiles ad M.

Extenſum. Copioſum. Amplum. Integrum. Summum. Excellens. Dignum.

Revolutionem Tertiam hac ratione perficies: Subdantur tres inferiores circuli cum iiſdem notis D. ſuperioris circuli notæ, & deinde promoveantur in conſequentes ordine notas, circuli ſuperioris; & habebis alteram ſyllogiſmorum congeriem; ut ſequitur.

REVO-

REVOLUTIO III.

Æviternum.

Termini reducibil.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.	B.	M.	Subjectum	Majoris.
Abſoluti.	D.	D.	D.	D.	D.	D.	D.	D.	D.	Prædicatum	
	✿. D.	✿. P.	✿. S.	✿. Vo.	✿. Vi.	✿. Ve.	✿. G.	✿. B.	✿. M.	Subjectum Prædicatum	Minoris.
Ergo.	D.	D.	D.	D.	D.	D.	D.	D.	D.	Concluſio.	

Synonima, ſive Termini reducibiles ad D.

Æviternum. Æviternitas. Conſiſtens. Immortale. Inſolubile. Perpetuum. Permanens. Stabile. Immortale.

Reſolutionem quartam ſic auſpicaberis. Subdantur tres circuli inferiores cum iiſdem notis ſub circuli ſuperioris nota B. & deinceps ordine ad notas conſequentes, & habebis Combinatam Syllogiſmorum novem congeriem, ut in ſequenti patet.

REVOLUTIO IV.

Magnâ dignitate conſtitutum.

Termini reducibil.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.	B.	M.	D.	Subjectum	Majoris.
Abſoluti.	P.	P.	P.	P.	P.	P.	P.	P.	P.	Prædicatum	
	✿. P.	✿. S.	✿. Vo.	✿. Vi.	✿. Ve.	✿. G.	✿. B.	✿. M.	✿. D.	Subjectum Prædicatum	Minoris.
Ergo.	P.	P.	P.	P.	P.	P.	P.	P.	P.	Concluſio.	

Synonima, ſive Termini reducibiles ad P.

Auctoritate pollens. Dignitate conſpicuum. Dominio clarum. Facultatem habens. Forte. Sublimitate, gloriâ pollens.

Revolutionem Quintam ita perficies. Subdantur tres inferiores circuli ſuis notis, ſub circuli ſuperioris nota S. & deinceps ad alias ordine conſequentes notas applicentur, & habebis ſequentem Syllogiſmorum novem enneadem, ut ſequitur.

REVOLUTIO V.

Intellectuale.

Termini reducibil.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.	B.	M.	D.	P.	Subjectum	Majoris.
Abſoluti.	S.	S.	S.	S.	S.	S.	S.	S.	S.	Prædicatum	
	✿. Int.	✿. Vo.	✿. Vi.	✿. Ve.	✿. G.	✿. B.	✿. M.	✿. D.	✿. P.	Subjectum Prædicatum	Minoris.
Ergo.	S.	S.	S.	S.	S.	S.	S.	S.	S.	Concluſio.	

Synonima ad S.

Intellectuali vi pollens. Scientiâ conſpicuum. Intelligentiâ plenum. Providentiam habens.

Revolutionem ſextam pari pacto perages.

REVO-

REVOLUTIO VI.

Intellectuale.

Termini reducibil.	Vo.	Vi.	Ve.	G.	B.	M.	D.	P.	S.	Subjectum	Majoris.
Absoluti.	Vo.	Vo.	Vo.	Vo.	Vo.	Vo.	Vo.	Vo.	Vo.	Prædicatum	
	[sym]. Int.	[sym]. Vi.	[sym]. Ve.	[sym]. G.	[sym]. B.	[sym]. M.	[sym]. D.	[sym]. P.	[sym]. S.	Subjectum Prædicatum	Minoris.
Ergo.	Vo.	Vo.	Vo.	Vo.	Vo.	Vo.	Vo.	Vo.	Vo.	Conclusio.	

Synonima ad Vo.

Appetitivâ vi pollens. Amore impulsum. Finem in actionibus prætendens.

REVOLUTIO VII.

Termini reducibil.	Vi.	Ve.	G.	B.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Subjectum	Majoris.
Absoluti.	Vi.	Vi.	Vi.	Vi.	Vi.	Vi.	Vi.	Vi.	Vi.	Prædicatum	
	[sym]. Vi.	[sym]. Ve.	[sym]. G.	[sym]. B.	[sym]. M.	[sym]. D.	[sym]. P.	[sym]. S.	[sym]. Vo.	Subjectum Prædicatum	Minoris.
Ergo.	Vi.	Vi.	Vi.	Vi.	Vi.	Vi.	Vi.	Vi.	Vi.	Conclusio.	

Synonima ad Vi.

Potens ad agendum. Facultate pollens. Efficax, vigorosum.

REVOLUTIO VIII.

Conformis intellectui.

Termini reducibil.	Ve.	G.	B.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Subjectum	Majoris.
Absoluti.	Ve.	Ve.	Ve.	Ve.	Ve.	Ve.	Ve.	Ve.	Ve.	Prædicatum	
	[sym]. Ve.	[sym]. G.	[sym]. B.	[sym]. M.	[sym]. D.	[sym]. P.	[sym]. S.	[sym]. Vo.	[sym]. Vi.	Subjectum Prædicatum	Minoris.
Ergo.	Ve.	Ve.	Ve.	Ve.	Ve.	Ve.	Ve.	Ve.	Ve.	Conclusio.	

Synonima ad Ve.

Conformitas. Idea. Exemplum, intellectus possidens.

REVOLUTIO IX.

Termini reducibil.	G.	B.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	Subjectum	Majoris.
Absoluti.	G.	G.	G.	G.	G.	G.	G.	G.	G.	Prædicatum	
	[sym]. G.	[sym]. B.	[sym]. M.	[sym]. D.	[sym]. P.	[sym]. S.	[sym]. Vo.	[sym]. Vi.	[sym]. Ve.	Subjectum Prædicatum	Minoris.
Ergo.	G.	G.	G.	G.	G.	G.	G.	G.	G.	Conclusio.	

Synonima ad G.

Quietum, honore, potentiâ fruens, gaudio plenum.

Habes hîc trium Circulorum revolutiones cum superioris circuli prædicatis combinatas; & sunt 84 Syllogismi, quibus Angeli proprietates demonstrantur; Si verò eadem ratione procedas cum subjectis universalibus tertio circulo inscriptis, habebis Syllogismos omnes differentes (in Barbara) 672. Verùm antequam ulterius progrediamur, hæc te primò notare velim.

Primò.

Primò. Subjecta propoſitionis majoris, quæ in ſupremo circulo continentur, & principia abſoluta notant, non ſemper ſumenda ſunt in terminis explicitis; eſſent enim omnes illæ propoſitiones identicæ, & auribus acciderent injucundè (cujuſmodi ſunt, quæ primum locum in combinationum revolutionibus obtinent, uti B B ☁ B. M M ☁ M.) Sed loco abſolutorum ſive explicitorum prædicatorum, aſſumantur impliciti, ſeu ad illa reducibiles termini, quos in tertio circulo ſubjectis univerſalibus ſemper ceu media Syllogiſmorum adſcripta vides. Vocamus autem explicitos hoc loco terminos omnia prædicata ſeu principia abſoluta ſimpliciter, ſive in abſtracto, ſive in concreto poſita; Implicitos verò eos vocamus, quæ ad abſolutos terminos quovis modo revocari poſſunt; uti ad Bonum revocantur, Ens, eſſentia, eſſe, unum, & ſimilia, quæ in primo libro fusè expoſita ſunt, & ſingula ſingulis abſolutis prædicatis adſcripta reperiuntur, quorum & hic nonnulla ſingulis Revolutionibus, ad meliorem rerum intelligentiam appoſuimus.

Nota ad bene operandum.

His poſitis. Si alia combinationis lege, novarum propoſitionum ſupellectilem eruere velis, tunc per oppoſitos & contrarios principiorum abſolutorum terminos intentum tuum acquires, ea prorſus ratione, qua in præcedenti combinatione proceſſum fuit, & habebis alios 81 Syllogiſmos. *Verb. Gr.* Nullum Ens in quantum bonum, eſt malum. Angelus eſt ens & bonus; Ergo nullus Angelus in quantum bonus, eſt malus; & hoc pacto per leges artis oppoſitorum, 81 alios Syllogiſmos evolves, omnes in (*Celarent.*) Et ut artificium luculentius tibi pateat, nôris, omnes Syllogiſmos univerſales in (*Barbara*) per oppoſitorum terminorum applicationem mutari in Syllogiſmos in (*Celarent.*)

Operatio per oppoſitos terminos.

Vidimus modum & rationem, qua per Rotam combinatoriam magnam propoſitionum congeriem coacervare poſſimus, principiorum abſolutorum ſubſidio. Reſtat ut oſtendamus, quomodo principia reſpectiva, quæ in infimo circulo continentur, ad novam ſemper & novam propoſitionum Syllogiſmorumque materiam comparandam applicari debent.

Advertendum itaque, totum hoc negotium facilè expediri poſſe per Enneadem Erotematicam intra infimum circulum deſcriptam. *Exempli Grat.* Si quæratur: An Angelus differat ab aliis omnibus creatis rebus ratione bonitatis. Reſpondeo affirmativè, idque hoc pacto per notam differentialem = abſolutis principiis applicatam comprobabis. Supponantur tertius, quartus, quintus circulus ſub ſe invicem iſthoc notarum ordine ☁ B =. fietque B quarti circuli litera, ſubjectum propoſitionis majoris; = verò nota differentialis in quinto circulo, prædicatum: In minori vero propoſitione in tertio circulo ☁ erit ſubjectum, & B prædicatum, naſceturque hic Syllogiſmus:

Omne Ens ut bonum differt à quolibet alio ente bonitate ſua ſpecifica ſeu individuali.
Omnis Angelus eſt Ens in quantum bonus. Ergo bonitate ſua differt ab alio quovis ente.

Omne magnum differt ab aliis extenſione exiſtentiæ ſuæ in loco vel circumſcriptivè, vel definitivè.
Omnis Angelus eſt magnus. Ergo differt ab aliis exiſtentiæ ſuæ extenſione in loco non circumſcriptivè ſed definitivè.

Hoc pacto promovebis tertii & quinti circuli notas eaſdem ſemper ordine ſupra intermedii circuli literas, & habebis 9 Syllogiſmos de differentia Angeli, ut ſequitur:

REVOLUTIO I.

Termini reducibil.	B.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.	Subjectum	Majoris.
Abſoluti.	=	=	=	=	=	=	=	=	=	Prædicatum	
	☁. B.	☁. M.	☁. D.	☁. P.	☁. S.	☁ Vo.	☁. Vi.	☁. Ve.	☁. G.	Prædicatum Subjectum	Minoris.
Ergo.	=	=	=	=	=	=	=	=	=	Concluſio.	

Applicando verò tertii circuli notam ☁ & quinti circuli notam concordantiæ ♡ ad B intermedii circuli, ſic: B ♡ ☁ ♡, naſcetur hic Syllogiſmus:

Omne Ens concordat quo ad eſſe in communi naturæ gradu.
Omnis Angelus eſt Ens. Ergo concordat, &c.

Et ſic de cæteris, uti in ſecunda Revolutione infra poſita patet.

REVOLUTIO II.

Termini reducibil.	B.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.	Subjectum	Majoris.
Abſoluti.	♡.	♡.	♡.	♡.	♡.	♡.	♡.	♡.	♡.	Prædicatum	
	☁. B.	☁. M.	☁. D.	☁. P.	☁. S.	☁. Vo.	☁. Vi.	☁. Ve.	☁. G.	Subjectum Prædicatum	Minoris.
Ergo.	♡.	♡.	♡.	♡.	♡.	♡.	♡.	♡.	♡.	Concluſio.	

Atque de applicatione tertii & quinti circuli ſupra intermedii circuli notas idem ſit judicium; ubi tamen obſerva, non omnes ſyllogiſmos directè & univerſaliter concludere, niſi certis particulis, quas ſuprà aſſignavimus, determinentur. Obſervanda quoque ſunt, quæ in præcedenti libro, de differentia & concordantia cæterorumque principiorum reſpectivorum accidentibus docuimus.

Vides Lector, quomodo per quæſtionem (*Utrum*) termini Artis noſtræ in ſyllogiſmos ad propoſitam quæſtionem probandam, cogi debeant. Pari ratione, ſi per quæſtionem, (*Quid*) cæteraſque circumſtantias, propoſitum nobis thema ampliandum ſit. *V.G.* Quid Angelus propriè ſit. Expedies quæſtionem eâdem ſyllogiſmorum varietate, qua præcedentia probaſti. Quæritur, *Exempli gratia*, Quid ſit Angelus. Reſpondetur, eſſe ſubſtantiam creatam, completam, incorpoream, intellectualem. Hoc ut probes, applica extimum circulum notâ ſuâ B, ad B. ſecundi circuli notam, & ☁. tertii circuli infra; B. verò quarti circuli notam infra ☁. Sic.

Termini reducibil. B. S. Omne bonum creatum purè intellectuale, eſt ſubſtantia, incorporea, intellectualis, completa. B.

Per B. ☁. Omnis Angelus eſt bonum creatum purè intellectuale. B. S.

B. Ergo omnis Angelus eſt ſubſtantia incorporea, intellectualis, completa.

M. Omne Ens quod definitivum eſſe in loco habet, eſt ſubſtantia incorporea, intellectualis.

B. ☁. Omnis Angelus eſt Ens, quod definitivum eſſe habet in loco. Per M.

B. Ergo omnis Angelus eſt ſubſtantia incorporea, intellectualis. Et ſic de cæteris.

Si verò tres inferiores circulos ad ſupremi circuli notas ordine ſe conſequentes applicueris, habebis 9. Syllogiſmos, quibus propoſitam quæſtionem demonſtres; ſiquidem Combinatio Revolutionis primæ, paulò ante propoſita, litera A ſignata, huic quæſtioni abundè ſatisfaciet. Si rurſum propoſitam quæſtionem per reliquas ordine quæſtionum circumſtantias ſingulis abſolutis prædicatis applicatas evolveris, habebis unius & ejuſdem quæſtionis 81. Syllogiſmos, quibus intentum propoſitionis ſcopum demonſtres; ut interim innumera alia, quæ ſuis locis reſervavimus, multiplicationi propoſitionum argumentorum oportuna ſileam. Sed jam ad reliquos Combinationis modos explicandos progrediamur.

CAPUT V.

Combinatio rerum Tabularis, unicus Artis noſtræ ſcopus.



Ombinatio Tabularis docet numerum rerum Combinandarum in Tabulas aptè redigere, ut quoties res diverſimodè inter ſe comparari poſſint, ſcitè exhibeatur. Quæ ſanè methodus omnium pulcherrima, & ad operandum facillima eſt. Non ignoro, Lulliſtas varias hujus generis Tabulas proferre, ſed, ut quod res eſt, dicam, ita intricatas, ita obſcuras, ita ad operandum difficiles, ut vix ſit, qui hucuſque ex iis aliquem ſe fructum conſequi, ne dicam, ſcopum videre potuiſſe falſus ſit. Quare nos omiſſâ Tabulâ Lullianâ, quam magnam vocat, alias reponimus, meliori methodo diſpoſitas; quibus quicquid in omni ſcientia fuſè traditum eſt, tanquam ad quandam in nucis cortice Iliadem contractum, atque in innumeros uſus explicatum habetur.

Componitur autem prima Tabula ex præcedenti Combinatoria Rota; & continet in ſe Combinatos Syllogiſmos 729, qualium unumquodque principium abſolutum continet 81. Tabula ſequitur.

TABULA

TABULA I. COMBINATORIA,
Ex qua Argumenta desumuntur omni Scibili accommodata.

COMBINATIO I.
Bonitatis cum reliquis novem Principiis.

		1	2	3	4	5	6	7	8	9	
Ens.	1	B b b	B m b	B d b	B p b	B s b	B vo b	B vi b	B ve b	B g b	Acceptabile.
Esse.	2	B b m	B m m	B d m	B p m	B s m	B vo m	B vi m	B ve m	B g m	Æquum, justum.
Essentia.	3	B b d	B m d	B d d	B p d	B s d	B vo d	B vi d	B ve d	B g d	Beatum.
Actio.	4	B b p	B m p	B d p	B p p	B s p	B vo p	B vi p	B ve p	B g p	Appetibile.
Unum.	5	B b s	B m s	B d s	B p s	B s s	B vo s	B vi s	B ve s	B g s	Communicativum.
Substantia.	6	B b vo	B m vo	B d vo	B p vo	B s vo	B vo vo	B vi vo	B ve vo	B g vo	Dignum, rationabile.
Perfectio.	7	B b vi	B m vi	B d vi	B p vi	B s vi	B vo vi	B vi vi	B ve vi	B g vi	Diffusivum.
Simplicitas.	8	B b ve	B m ve	B d ve	B p ve	B s ve	B vo ve	B vi ve	B ve ve	B g ve	Nobile.
Communio.	9	B b g	B m g	B d g	B p g	B s g	B vo g	B vi g	B ve g	B g g	Pulchrum, utile.

COMBINATIO II.
Magnitudinis cum omnibus novem Principiis.

Extensum.	1	M b b	M m b	M d b	M p b	M s b	M vo b	M vi b	M ve b	M g b	Exuperans.
Amplum.	2	M b m	M m m	M d m	M p m	M s m	M vo m	M vi m	M ve m	M g m	Excellens.
Copiosum.	3	M b d	M m d	M d d	M p d	M s d	M vo d	M vi d	M ve d	M g d	Liberale.
Ens, esse, essentia.	4	M b p	M m p	M d p	M p p	M s p	M vo p	M vi p	M ve p	M g p	Magnificum.
Immensum.	5	M b s	M m s	M d s	M p s	M s s	M vo s	M vi s	M ve s	M g s	Multitudo.
Infinitum.	6	M b vo	M m vo	M d vo	M p vo	M s vo	M vo vo	M vi vo	M ve vo	M g vo	Dignum.
Capax.	7	M b vi	M m vi	M d vi	M p vi	M s vi	M vo vi	M vi vi	M ve vi	M g vi	Opulentum.
Unum.	8	M b ve	M m ve	M d ve	M p ve	M s ve	M vo ve	M vi ve	M ve ve	M g ve	Copiosum.
Substantia.	9	M b g	M m g	M d g	M p g	M s g	M vo g	M vi g	M ve g	M g g	Sublime.

COMBINATIO III.
Durationis.

Æternum.	1	D b b	D m b	D d b	D p b	D s b	D vo b	D vi b	D ve b	D g b	Fidelitas.
Æviternum.	2	D b m	D m m	D d m	D p m	D s m	D vo m	D vi m	D ve m	D g m	Constantia.
Temporale.	3	D b d	D m d	D d d	D p d	D s d	D vo d	D vi d	D ve d	D g d	Patientia.
Successivum.	4	D b p	D m p	D d p	D p p	D s p	D vo p	D vi p	D ve p	D g p	Perseverantia.
Ætas.	5	D b s	D m s	D d s	D p s	D s s	D vo s	D vi s	D ve s	D g s	Spes, confidentia.
Ens, esse, Essentia.	6	D b vo	D m vo	D d vo	D p vo	D s vo	D vo vo	D vi vo	D ve vo	D g vo	Constitutiones, leges statuta, decreta.
Existentia.	7	D b vi	D m vi	D d vi	D p vi	D s vi	D vo vi	D vi vi	D ve vi	D g vi	Firmum.
Perpetuum. Immortale.	8	D b ve	D m ve	D d ve	D p ve	D s ve	D vo ve	D vi ve	D ve ve	D g ve	Omnia quæ tempus.
Permanens. Stabile.	9	D b g	D m g	D d g	D p g	D s g	D vo g	D vi g	D ve g	D g g	Omnia quæ locum.

COMBINATIO IV.

Potestatis.

Vires rerum.	1	P b b	P m b	P d b	P p b	P s b	P vo b	P vi b	P ve b	P g b	Auctoritas.
Violentia.	2	P b m	P m m	P d m	P p m	P s m	P vo m	P vi m	P ve m	P g m	Dignitas.
Sympathia. Antipathia.	3	P b d	P m d	P d d	P p d	P s d	P vo d	P vi d	P ve d	P g d	Dominium.
Activum.	4	P b p	P m p	P d p	P p p	P s p	P vo p	P vi p	P ve p	P g p	Principatus.
Robur.	5	P b s	P m s	P d s	P p s	P s s	P vo s	P vi s	P ve s	P g s	Jurisdictio
Rerum proprietates.	6	P b vo	P m vo	P d vo	P p vo	P s vo	P vo vo	P vi vo	P ve vo	P g vo	Divitiæ.
Facultates.	7	P b vi	P m vi	P d vi	P p vi	P s vi	P vo vi	P vi vi	P ve vi	P g vi	Robur.
Virtus naturalis.	8	P b ve	P m ve	P d ve	P p ve	P s ve	P vo ve	P vi ve	P ve ve	P g ve	Leges.
Lex naturæ.	9	P b g	P m g	P d g	P p g	P s g	P vo g	P vi g	P ve g	P g g	Præcepta.

COMBINATIO V.

Sapientiæ.

Cognitio.	1	S b b	S m b	S d b	S p b	S s b	S vo b	S vi b	S ve b	S g b	Peritus.
Intelligentia.	2	S b m	S m m	S d m	S p m	S s m	S vo m	S vi m	S ve m	S g m	Sciens.
Intellectuale.	3	S b d	S m d	S d d	S p d	S s d	S vo d	S vi d	S ve d	S g d	Rationi conforme
Rationale.	4	S b p	S m p	S d p	S p p	S s p	S vo p	S vi p	S ve p	S g p	Prudentia
Scientia. Præ.	5	S b s	S m s	S d s	S p s	S s s	S vo s	S vi s	S ve s	S g s	Ratio.
Peritia.	6	S b vo	S m vo	S d vo	S p vo	S s vo	S vo vo	S vi vo	S ve vo	S g vo	Sagacitas.
Industria.	7	S b vi	S m vi	S d vi	S p vi	S s vi	S vo vi	S vi vi	S ve vi	S g vi	Studium.
Experientia.	8	S b ve	S m ve	S d ve	S p ve	S s ve	S vo ve	S vi ve	S ve ve	S g ve	Doctrina.
Artes & disciplinæ.	9	S b g	S m g	S d g	S p g	S s g	S vo g	S vi g	S ve g	S g g	Gradus artium.

COMBINATIO VI.

Voluntatis.

Appetitus intellectualis.	1	Vo b b	Vo m b	Vo d b	Vo p b	Vo s b	Vo vo b	Vo vi b	Vo ve b	Vo g b	Amor.
Appetitus rationalis.	2	Vo b m	Vo m m	Vo d m	Vo p m	Vo s m	Vo vo m	Vo vi m	Vo ve m	Vo g m	Desiderium.
Appetitus naturalis.	3	Vo b d	Vo m d	Vo d d	Vo p d	Vo s d	Vo vo d	Vo vi d	Vo ve d	Vo g d	Concupiscentia.
Appetitus sensualis.	4	Vo b p	Vo m p	Vo d p	Vo p p	Vo s p	Vo vo p	Vo vi p	Vo ve p	Vo g p	Libertas.
App. instinctivus.	5	Vo b s	Vo m s	Vo d s	Vo p s	Vo s s	Vo vo s	Vo vi s	Vo ve s	Vo g s	Cupiditas.
Vis omnis appetitiva.	6	Vo b vo	Vo m vo	Vo d vo	Vo p vo	Vo s vo	Vo vo vo	Vo vi vo	Vo ve vo	Vo g vo	Dilectio.
Vis omnis regulata ab intellectu.	7	Vo b vi	Vo m vi	Vo d vi	Vo p vi	Vo s vi	Vo vo vi	Vo vi vi	Vo ve vi	Vo g vi	Liberum arbitrium
Appetitus boni & finis.	8	Vo b ve	Vo m ve	Vo d ve	Vo p ve	Vo s ve	Vo vo ve	Vo vi ve	Vo ve ve	Vo g ve	Benevolentia.
Omnes inclinationes naturales.	9	Vo b g	Vo m g	Vo d g	Vo p g	Vo s g	Vo vo g	Vo vi g	Vo ve g	Vo g g	Leges.

COMBI-

COMBINATIO VII.

Virtutis.

Activum.	1	Vi b b	Vi m b	Vi d b	Vi p b	Vi s b	Vi vo b	Vi vi b	Vi ve b	Vi g b	Efficax.
Vis generativa.	2	Vi b m	Vi m m	Vi d m	Vi p m	Vi s m	Vi vo m	Vi vi m	Vi ve m	Vi g m	Robustum.
Potentia.	3	Vi b d	Vi m d	Vi d d	Vi p d	Vi s d	Vi vo d	Vi vi d	Vi ve d	Vi g d	Generosum.
Facultas rerum nativa.	4	Vi b p	Vi m p	Vi d p	Vi p p	Vi s p	Vi vo p	Vi vi p	Vi ve p	Vi g p	Studiosum.
Efficacia.	5	Vi b s	Vi m s	Vi d s	Vi p s	Vi s s	Vi vo s	Vi vi s	Vi ve s	Vi g s	Intentio.
Sympath. & antipathia rerum.	6	Vi b vo	Vi m vo	Vi d vo	Vi p vo	Vi s vo	Vi vo vo	Vi vi vo	Vi ve vo	Vi g vo	Zelus.
Ingenium.	7	Vi b vi	Vi m vi	Vi d vi	Vi p vi	Vi s vi	Vi vo vi	Vi vi vi	Vi ve vi	Vi g vi	Gloria.
Proprietates rerum.	8	Vi b ve	Vi m ve	Vi d ve	Vi p ve	Vi s ve	Vi vo ve	Vi vi ve	Vi ve ve	Vi g ve	Actiones virtuosæ.
Omnia quæ natura producit.	9	Vi b g	Vi m g	Vi d g	Vi p g	Vi s g	Vi vo g	Vi vi g	Vi ve g	Vi g g	Omnis vehementia.

COMBINATIO VIII.

Veritatis.

Ens.	1	Vebb	Vemb	Vedb	Vepb	Vesb	Vevob	Vevib	Veveb	Vegb	Adæquatio. } Intellectus.
Esse.	2	Vebm	Vemm	Vedm	Vepm	Vesm	Vevom	Vevim	Vevem	Vegm	Conformitas. } Intellectus.
Essentia.	3	Vebd	Vemd	Vedd	Vepd	Vesd	Vevod	Vevid	Veved	Vegd	Conformatio
Conformitas intellectus.	4	Vebp	Vemp	Vedp	Vepp	Vesp	Vevop	Vevip	Vevep	Vegp	Approbatio.
Adæquatio.	5	Vebs	Vems	Veds	Veps	Vess	Vevos	Vevis	Veves	Vegs	Fides supernaturalis.
Quidditas rerum.	6	Vebvo	Vemvo	Vedvo	Vepvo	Vesvo	Vevovo	Vevivo	Vevevo	Vegvo	Lex.
Proprietas rerum.	7	Vebvi	Vemvi	Vedvi	Vepvi	Vesvi	Vevovi	Vevivi	Vevevi	Vegvi	Constitutio.
Virtutes naturales.	8	Vebve	Vemve	Vedve	Vepve	Vesve	Vevove	Vevive	Veveve	Vegve	Decreta.
Proportionatũ. Quod aliter esse non potest.	9	Vebg	Vemg	Vedg	Vepg	Vesg	Vévog	Vevig	Veveg	Vegg	Approbationes.

COMBINATIO IX.

Gloriæ.

Gloria intellectualis.	1	G b b	G m b	G d b	G p b	G s b	G vo b	G vi b	G ve b	G g b	Gaudium.
Rationalis.	2	G b m	G m m	G d m	G p m	G s m	G vo m	G vi m	G ve m	G g m	Triumphus.
Instinctiva.	3	G b d	G m d	G d d	G p d	G s d	G vo d	G vi d	G ve d	G g d	Honor.
Beatitudo.	4	G b p	G m p	G d p	G p p	G s p	G vo p	G vi p	G ve p	G g p	Dignitas.
Gaudium:	5	G b s	G m s	G d s	G p s	G s s	G vo s	G vi s	G ve s	G g s	Nobilitas.
Honor.	6	G b vo	G m vo	G d vo	G p vo	G s vo	G vo vo	G vi vo	G ve vo	G g vo	Laus.
Majestas naturæ.	7	G b vi	G m vi	G d vi	G p vi	G s vi	G vo vi	G vi vi	G ve vi	G g vi	Fama.
Pulchritudo omnis.	8	G b ve	G m ve	G d ve	G p ve	G s ve	G vo ve	G vi ve	G ve ve	G g ve	Felicitas, DEUS.
Splendor rerum.	9	G b g	G m g	G d g	G p g	G s g	G vo g	G vi g	G ve g	G g g	Festivum.

Usus & Praxis Tabulæ.

Omnium facillimam argumentandi rationem tibi monſtrabit hæc præſens Tabula Generalis, utpote ex omnibus Alphabetis compoſita, diſponitque intellectum ad inveſtigandum, inveniendum, objiciendum, probandum, determinandumque per neceſſarias Concluſiones; cujus uſus eſt multiplex; Nam in quolibet loculamento hujus Tabulæ ſunt tres literæ; quarum prima eſt nota eorum, quæ in propoſitione loco ſubjecti ponuntur; Tertia eorum, quæ loco prædicati; Media denique medium terminum demonſtrat. Nota tamen in hac tabula eas ſolummodò triades literarum aſſumendas eſſe, quæ inſtituto magis fuerint congruæ, magiſque ad propoſitum applicabiles; neque enim hic numero, ſed pondere certandum eſſe tibi perſuadeas; nec ſunt centum deligenda Axiomata, quorum nonaginta ſunt deſerenda; ſed quod in Anagrammatis uſu venit, illi ſolùm, ſenſus qui ex propoſito themate anagrammaticè emerſerint, ſcilicet apti, venuſti, pulchrè & ſcitè propoſito themati quadrantes ſeligendi ſunt; omnibus inde emanantibus ſenſibus duris, inſulſis, coactiſque relictis. Siquidem in propoſita qualibet quæſtione tum ſubjectum, tum prædicatum, tum etiam tota complexio per locos Dialecticos traducenda ſunt, ut argumenta omnia, quæ ad rem pertinebunt, quaſi dato ſigno occurrant; nec enim neceſſe eſt, pulſare oſtium, & omnia latibula ſcrutari; quia ſi veri quidpiam habuerint, ad ſingulas quaſi inclamationes ex ſingulis hujus fæcundi penuarii noſtri concitata locis ſpontè prodibunt. Contrarium fit in magna Tabula Lulli, in qua tanta ſæpè ac inutilium argumentorum turba vel celeriter per omnes locos diſcurrentem ſequetur, ut vix ſummo labore ab ea te expedire poſſis.

Mediora ſemper ex propoſitionibus eligenda.

Tabula itaque noſtra ſingulari artificio conſtructa, non omnis tantummodo probationis, ſed & amplificationis incredibilem ſuppeditat materiam: Amplificantur enim res ex conglobatis definitionibus deſcriptionibuſve, ex partium enumeratione, ex antecedentibus, conſequentibus, & circumſtantiarum frequentia, ex multorum imparium, & parium ſimilium, & diſſimilium, contrariorum & teſtimoniorum collatione. Verùm quia breviori via ad Artis notitiam pervenitur, paradigmatica quadam demonſtratione, quàm fuſis verborum ambagibus; modò nonnulla paradigmata exhibenda ſunt, ut, quomodò hujus Tabulæ uſu in ſcientiarum acquiſitione procedendum ſit, Lector curioſus intelligat.

Expoſitio Tabulæ.

Primò. Tabula hæc habet novem areolas, juxta novem principia univerſalia ſeu abſoluta; quæ ſunt *Bonitas, Magnitudo, Duratio, Potentia, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria.* Singulæ harum areolarum habent novem Columnas, & ſingulæ Columnæ habent novem Syllogiſmos; ſinguli Syllogiſmi tribus ſignantur literis; quarum prior ſubjecti, altera prædicati, tertia medii, vel converſim; tertia prædicati, & ſecunda medii rationem habet.

Secundò. Singulas areolas ſtringunt utrimque Columnæ, quarum prior Synonima, ſive terminos implicitos ad *Bonitatem, Magnitudinem, Durationem, &c.* in genere naturæ reducibiles; altera verò terminos implicitos, morales, politicoſque, quæſtionibus hoc in genere propoſitis congruos continet, quorum ſinguli loco ſubjecti vel prædicati eſſe poſſunt in propoſita quæſtione: *V. G.* in hac triade literarum B B B. inconveniens foret, & prorſus identicum, dicere: Omne bonum eſt bonum; loco itaque boni, aſſumere poteris quodvis ex reducibilibus terminis Synonimum ſive epitheton; *V. G.* hac ratione: Omne Ens perfectivum eſt bonum; vel omnis entis perfectio eſt bona; vel omne Ens perfectum eſt bonum; hoc pacto reddetur propoſitio congrua, & ad inferendum apta.

TABU-

TABULA II.

De applicatione principiorum Reſpectivorum.

COMBINATIO I.

Bonitatis cum principiis reſpectivis.

	B = B	B ♡ B	B o● B	B α B	B ⊙ B	B ω B	B M B	B Æ B	B Min. B
	B = M	B ♡ M	B o● M	B α M	B ⊙ M	B ω M	B M M	B Æ M	B Min. M
	B = D	B ♡ D	B o● D	B α D	B ⊙ D	B ω D	B M D	B Æ D	B Min. D
	B = P	B ♡ P	B o● P	B α P	B ⊙ P	B ω P	B M P	B Æ P	B Min. P
Enneas 1.	B = S	B ♡ S	B o● S	B α S	B ⊙ S	B ω S	B M S	B Æ S	B Min. S
	B = Vo	B ♡ Vo	B o● Vo	B α Vo	B ⊙ Vo	B ω Vo	B M Vo	B Æ Vo	B Min. Vo
	B = Vi	B ♡ Vi	B o● Vi	B α Vi	B ⊙ Vi	B ω Vi	B M Vi	B Æ Vi	B Min. Vi
	B = Ve	B ♡ Ve	B o● Ve	B α Ve	B ⊙ Ve	B ω Ve	B M Ve	B Æ Ve	B Min. Ve
	B = G	B ♡ G	B o● G	B α G	B ⊙ G	B ω G	B M G	B Æ G	B Min. G

COMBINATIO II.

Magnitudinis cum principiis reſpectivis.

	M = M	M ♡ M	M o● M	M α M	M ⊙ M	M ω M	M M M	M Æ M	M Min. M
	M = D	M ♡ D	M o● D	M α D	M ⊙ D	M ω D	M M D	M Æ D	M Min. D
	M = P	M ♡ P	M o● P	M α P	M ⊙ P	M ω P	M M P	M Æ P	M Min. P
	M = S	M ♡ S	M o● S	M α S	M ⊙ S	M ω S	M M S	M Æ S	M Min. S
Enneas 2.	M = Vo	M ♡ Vo	M o● Vo	M α Vo	M ⊙ Vo	M ω Vo	M M Vo	M Æ Vo	M Min. Vo
	M = Vi	M ♡ Vi	M o● Vi	M α Vi	M ⊙ Vi	M ω Vi	M M Vi	M Æ Vi	M Min. Vi
	M = Ve	M ♡ Ve	M o● Ve	M α Ve	M ⊙ Ve	M ω Ve	M M Ve	M Æ Ve	M Min. Ve
	M = G	M ♡ G	M o● G	M α G	M ⊙ G	M ω G	M M G	M Æ G	M Min. G

COMBINATIO III.

Durationis cum principiis reſpectivis.

	D = M	D ♡ M	D o● M	D α M	D ⊙ M	D ω M	D M M	D Æ M	D Min. M
	D = D	D ♡ D	D o● D	D α D	D ⊙ D	D ω D	D M D	D Æ D	D Min. D
	D = P	D ♡ P	D o● P	D α P	D ⊙ P	D ω P	D M P	D Æ P	D Min. P
	D = S	D ♡ S	D o● S	D α S	D ⊙ S	D ω S	D M S	D Æ S	D Min. S
Enneas 3.	D = Vo	D ♡ Vo	D o● Vo	D α Vo	D ⊙ Vo	D ω Vo	D M Vo	D Æ Vo	D Min. Vo
	D = Vi	D ♡ Vi	D o● Vi	D α Vi	D ⊙ Vi	D ω Vi	D M Vi	D Æ Vi	D Min. Vi
	D = Ve	D ♡ Ve	D o● Ve	D α Ve	D ⊙ Ve	D ω Ve	D M Ve	D Æ Ve	D Min. Ve
	D = G	D ♡ G	D o● G	D α G	D ⊙ G	D ω G	D M G	D Æ G	D Min. G

COMBINATIO IV.

Potentiæ cum principiis respectivis.

Enneas 4.

P = P	P ♡ P	P ○● P	P α P	P ⊙ P	P ω P	P M P	P Æ P	P Min. P
P = S	P ♡ S	P ○● S	P α S	P ⊙ S	P ω S	P M S	P Æ S	P Min. S
P = Vo	P ♡ Vo	P ○● Vo	P α Vo	P ⊙ Vo	P ω Vo	P M Vo	P Æ Vo	P Min. Vo
P = Vi	P ♡ Vi	P ○● Vi	P α Vi	P ⊙ Vi	P ω Vi	P M Vi	P Æ Vi	P Min. Vi
P = Ve	P ♡ Ve	P ○● Ve	P α Ve	P ⊙ Ve	P ω Ve	P M Ve	P Æ Ve	P Min. Ve
P = G	P ♡ G	P ○● G	P α G	P ⊙ G	P ω G	P M G	P Æ G	P Min. G

COMINATIO V.

Sapientiæ cum principiis respectivis.

Enneas 5.

S = Vo	S ♡ Vo	S ○● Vo	S α Vo	S ⊙ Vo	S ω Vo	S M Vo	S Æ Vo	S Min. Vo
S = Vi	S ♡ Vi	S ○● Vi	S α Vi	S ⊙ Vi	S ω Vi	S M Vi	S Æ Vi	S Min. Vi
S = Ve	S ♡ Ve	S ○● Ve	S α Ve	S ⊙ Ve	S ω Ve	S M Ve	S Æ Ve	S Min. Ve
S = G	S ♡ G	S ○● G	S α G	S ⊙ G	S ω G	S M G	S Æ G	S Min. G

COMBINATIO VI.

Voluntatis cum principiis respectivis.

Enneas 6.

Vo = Vi	Vo ♡ Vi	Vo ○● Vi	Vo α Vi	Vo ⊙ Vi	Vo ω Vi	Vo M Vi	Vo Æ Vi	Vo Min. Vi
Vo = Ve	Vo ♡ Ve	Vo ○● Ve	Vo α Ve	Vo ⊙ Ve	Vo ω Ve	Vo M Ve	Vo Æ Ve	Vo Min. Ve
Vo = G	Vo ♡ G	Vo ○● G	Vo α G	Vo ⊙ G	Vo ω G	Vo M G	Vo Æ G	Vo Min. G

COMBINATIO VII.

Virtutis cum principiis respectivis.

Enneas 7.

Vi = Ve	Vi ♡ Ve	Vi ○● Ve	Vi α Ve	Vi ⊙ Ve	Vi ω Ve	Vi M Ve	Vi Æ Ve	Vi Min. Ve
Vi = G	Vi ♡ G	Vi ○● G	Vi α G	Vi ⊙ G	Vi ω G	Vi M G	Vi Æ G	Vi Min. G

COMBINATIO VIII.

Veritatis cum principiis respectivis.

Enneas 8.

Ve = G	Ve ♡ G	Ve ○● G	Ve α G	Ve ⊙ G	Ve ω G	Ve M G	Ve Æ G	Ve Min. G

PARADIGMA I.

Quæritur itaque, An Bonitas sit magna. Respondetur affirmativè, idque per transversam secundi ordinis areolam probabitur.

Nota triadem literarum semper Syllogismum denotare, in quo secunda litera & tertia propositionis majoris subjectum & prædicatum signant; prima verò & secunda propositionis minoris subjectum & prædicatum, atque unà medium continent; prima denique & tertia litera conclusionem ostendunt; possunt tamen etiam hæ tres literæ transmutari, ita ut M. semper medium locum teneat, reliquæ verò literæ primum & tertium, quæ omnia industriæ Curiosi Lectoris relinquimus.

Figura

Figura sequens transmutationem per numeros indicat, in quibus 1. significat connexionem subjecti cum prædicato in majori. 2. subjecti & prædicati connexionem in minori. 3. conclusionem.

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
B B M.	B M M.	B D M.	B P M.	B S M.	B Vo M.	B Vi M.	B Ve M.	B G M.

Per principia absoluta.

1.
1. Quodcunque se in omnia *diffundit* magnum est.
2. Bonitas se in omnia diffundit.
3. Ergo bonitas est magna.

Vides in hoc exemplo (diffundere se) esse terminum reducibilem ad bonitatem per B. notatum, quia omne bonum est diffusivum sui: optimo itaque jure hîc pro subjecto statuitur.

2.
1. Omne quod *extendi* potest, magnum est.
2. Bonitas extendi potest.
3. Ergo bonitas magna est.

Vides hîc particulam (extendi) esse terminum reducibilem ad magnitudinem, & ideo ponitur in propositione majori pro subjecto.

3.
1. Omne *durabile* magnum est.
2. Bonitas est durabilis.
3. Ergo bonitas magna est.

4.
1. Omne quod *potestate* pollet, magnum est.
2. Bonitas potestate pollet.
3. Ergo bonitas magna est.

5.
1. Omne quod *scientiam* confert, magnum est.
2. Bonitas intellectus scientiam confert.
3. Ergo bonitas magna est.

Ubi vides cognitionem & scientiam revocari ad sapientiam.

6.
1. Quodcumque *diligitur* ab omnibus, magnum est.
2. Bonitas diligitur ab omnibus.
3. Ergo bonitas magna est.

Ad Voluntatem revocatur amor, dilectio. &c.

7.
1. Quodcumque *vim* ad agendum confert, magnum est.
2. Bonitas vim confert ad agendum.
3. Ergo bonitas magna est.

8.
1. Quodcumque *veritatem* conservat, magnum est.
2. Bonitas veritatem conservat.
3. Ergo bonitas magna est.

9.
1. Quodcumque *gloriam* parit, magnum est.
2. Bonitas gloriam parit.
3. Ergo bonitas magna est.

Si verò jam per principia Respectiva procedere velis, ita operare.

Per Principia Respectiva.

1.
1. Quod unicuique, quod suum est *distribuit*, magnum est.
2. Bonitas justitiæ unicuique quod suum est, distribuit.
3. Ergo bonitas justitiæ magna est.


Ubi (distribuere) revocatur ad ═.


2.
1. Quod omnia *unit*, magnum est.
2. Bonitas omnia unit.
3. Ergo bonitas magna est,


Unire ad ♡ revocatur.


3.
1. Quod *separat* malum à bono, magnum est.
2. Bonitas separat malum à bono.
3. Ergo bonitas magna est.


Separatio contrariis adscribitur.


4 
1. Quod est *causa* rerum, magnum est.
2. Bonitas est *causa* rerum.
3. Ergo bonitas magna est.

5. 
1. Cujus *medio* omnia componuntur, magnum est.
2. Bonitate *mediante* omnia componuntur.
3. Ergo bonitas magna est.

6. 
1. Quod est *finis* rerum, magnum est.
2. Bonitas est *finis* rerum.
3. Ergo bonitas magna est.

7. 
1. Quod *prærogativas* continet, magnum est.
2. Bonitas *prærogativas* continet. Prærogativa ad M reducitur.
3. Ergo bonitas magna est.

8. 
1. Quod omnia *æquat*, magnum est.
2. Bonitas omnia *æquat*.
3. Ergo bonitas magna est.

9. 
1. Quod omnibus *resistit* magnum est.
2. Bonitas omnibus resistit. Resistentia ad Min.
3. Ergo bonitas magna est.

Et ut Artista majorem habeat Combinationis materiam, sciat, singulas tres literas non semel, sed sexies commutari posse. Hoc pacto sint B. M. D. & indicant, omne bonum magnum durabile esse. Dico sexies hanc propositionem mutari posse. Ponantur literæ ea Combinationis lege, quam in prima propositione hujus Libri docuimus.

		Vel per terminos explicatos.
B. M. D.	Omne bonum magnum durabile est.	Omne Ens bonum & magnum, durabile est.
B. D. M.	Omne bonum durabile magnum est.	Omnis bonitas durabilis, magna est.
M. D. B.	Omne magnum durabile, bonum est.	Omnis magnitudo durabilis, bona est.
M. B. D.	Omnis magnitudo bonitatis, durabilis est.	Omnis extensio bonitatis, durabilis est.
D. B. M.	Omne durabile bonum, magnum est.	Omnis duratio bonitatis, magna est.
D. M. B.	Omnis durabilis magnitudo, bona est.	Omnis durabilis extensio, bona est.

Atque hoc pacto ex una eademque literarum triade, per explicitorum terminorum cum implicitis connexionem, copiosam propositionum congeriem evolves, ex quibus eas tamen, quas proposito scopo magis profuturas cognôris, seliges. Quod autem de una literarum triade dictum est, de omnibus aliis triadibus dictum sit, semper in dispositione literarum eam servando legem, quam suprà docuimus, ut singulæ triadum literæ bis in principio, bis in medio, & bis in fine ponantur, uti in exemplo patet. Et quoniam Tabula 729 triades Syllogisticas continet, si hosce numeros per 6 multiplicaveris, habebis 4374 propositiones forma Syllogistica dispositas; & si denique hasce per terminos implicitos, sive ad explicitos reducibiles ampliaveris, inde haud dubiè nascetur ea propositionum multitudo, quæ numerari vix possit; De quibus omnibus Artistam instruere volui, ut variis hisce Combinationis modis, pro libitu suo utatur. Idem fit in principiis respectivis, dum absolutis miscentur. *Ex. G.*

B. ≡. M. Omnis bonitas differt à magnitudine.
B. M. ≡. Omnis bonitas magnitudinis differt.
≡. B. M. Differentia bonitatis magna.
≡ M. B. Differentia magnitudinis bona.
M. ≡. B. Magnitudo differens bona.
M. B. ≡. Magnitudo bonitatis differt.

B.♡.M.

B. ♡. M. Omnis concordantia bona magna eſt.
B. M. ♡. Omne bonum magnum concordat.
♡. M. B. Omnis concordantia magna bona eſt.
♡. B. M. Omnis concordantia bona magna eſt.
M. ♡. B. Omnis magnitudo concors bona eſt.
M. B. ♡. Omnis magnitudo bonitatis concordat.

Verùm ut hæc diffuſius deducantur, & ne quicquam ſit, quod Lectorem in operando remorari poſſit, hoc loco rationes, quibus principia reſpectiva tum inter ſe, tum cum abſolutis differant, concordent, contrarientur, principient, medient, finiant &c. apponemus.

Differentia.

Omnis { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } A quolibet alio { B. =. M. =. D. =. P. =. S. =. Vo. =. Vi. =. Ve. =. G. =. } Differt. Diſtinguitur. Dividitur. {

Bonitate eſſentiæ, effectibus, motu, vita, unitate individuali, accidentibus, eſſentia, potentia, operatione.
Magnitudine eſſentiæ, extenſione, finitudine, inæqualitate, æqualitate, in quantum majus & minus, eſſentia, potentia, operatione.
Duratione; temporis diuturnitate, brevitate, mora, ſucceſſione, quando, differentiis temporis, eſſentia, potentia, operatione.
Potentia, activitate, dominio, poteſtate, juriſdictione, minoritate, majoritate, gloria, eſſentia, potentia, operatione.
Sapientia, cognitione, intellectu, ſenſibus, varietate artium & ſcientiarum, experientia, peritia, effectibus, eſſentia, potentia & operationibus.
Voluntate, appetitus & finis diverſitate, mediis, amoris efficacia, proſecutione, fuga contrariorum, electione mediorum, eſſentia, potentia, operatione.
Virtute, viribus, proprietatibus, effectibus, accidentibus, pathematis, moribus, eſſentia, potentia, operatione.
Veritate, eſſe, actuali exiſtentia, conformitate intellectus majori vel minori, veriſimilitudine, operationibus.
Gloria, vera, falſa, dominio majori vel minori, ordinibus, gradibus, minoritate, majoritate.
}

Concordantia.

B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } ♡. Concordat cum {

Bonitate, in ente, eſſentia, convenientia, perfectione, unitate.
Magnitudine, ratione extenſionis, finitudinis.
Duratione, ratione temporis in communi, ſucceſſionis, moræ.
Potentia, ratione poteſtatis, dominii, ratione communis boni, felicitatiſque conſequendæ.
Sapientia, in cognitione, inquiſitione, inventione veritatis.
Voluntate, ratione finis, quod eſt bonum.
Virtute, ratione agendi & operandi in ordine ad finem.
Veritate, ratione objecti, intelligibilis, in ordine ad veritatem eliciendam.
Gloria, ratione fruitionis, delectationis, gaudii, quietis, poſſeſſionis.
}

Contrarietas.

Omne omnis { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Contrariatur oppositis. { *Bonitati. Magnitudini. Durationi. Potentiæ. Sapientiæ. Voluntati. Virtuti. Veritati. Gloriæ.* } Uti {

- Malum in genere naturæ & moris.
- Inextenſum, uti punctum, minimum.
- Non durabile, ratione momentanei, puncti temporis, inſtantis.
- Impotentia, ratione imbecillitatis, minoritatis.
- Ignorantia, ratione imperitiæ, inſcitiæ, incapacitatis.
- Noluntas, ratione diſplicentiæ, inviti animi difficultatum.
- Α᾽δυνάμια, pigritia, acedia, rancor.
- Falſitati, opinio, dubitatio, perplexitas, perfidia.
- Infamiæ, turpitudo, ſimiliaque gloriæ contraria.

}

Principium.

Omne omnis { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Cauſat, principiat in {

- *Bonitate* communicationem, diffuſionem, beneficiorum collationem.
- *Magnitudine* extenſionem, dilatationem, rarefactionem, determinationem.
- *Duratione* permanentiam, firmitudinem, conſtantiam, ſtabilitatem, moram.
- *Potentia* poteſtatem, vires, dominium, juriſdictionem, regnum.
- *Sapientia* ſcientiam, peritiam, varietatem artium & diſciplinarum, Juriſprudentiæ, Ethicæ.
- *Voluntate* appetitum, amorem, deſiderium, mediorum ſelectum ad finem conſequendum.
- *Virtute* robur, vires, efficaciam ad reſiſtendum, ſanitatem, morales virtutes.
- *Veritate* conformitatem intellectus cum re intellecta, ex qua naſcitur veritas ſcientiæ.
- *Gloria* gaudium, quietem, delectationem, honorem, dignitates, nobilitatem.

}

Medium.

Omne omnis { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Medium eſt inter aliam {

- *Bonitatem* ratione majoritatis & minoritatis, ratione exceſſus & defectus.
- *Magnitudinem* ratione exceſſus & defectus magnitudinis, ratione ſitus & ubi, ratione finis.
- *Durationem* ratione longi & brevis temporis & moræ, præſens duratio ratione præteriti & futuri.
- *Potentiam* ratione majoris & minoris potentiæ, ratione conſilii, electionis, deliberationis.
- *Sapientiam* ad cognoſcendum, ratiocinandum, inveniendum, inveſtigandum naturæ & moralitatis arcana.
- *Voluntatem* appetitivum & appetibile, inter principium & finem.
- *Virtutem*, ratione objecti & potentiæ, ratione exceſſus & defectus, activi & paſſivi.
- *Veritatem*, inter potentiam intellectivam & intelligibile, inter *Tivum* & *bile*, tum interiorem tum exteriorem facultatem.
- *Gloriam* ratione quietis, delectationis, gaudii, fruitionis.

}

Finis.

Omne omnis	*Bonitatis,*	Finis eſt	Felicitas, beatitudo, perfectio.
	Magnitudinis,		Bonum magnum facere.
	Durationis,		In eſſe ſuo conſervari.
	Potentiæ,		Acquiſitio opum, gloria, honor.
	Sapientiæ,		Cognitio, ſcientia, animi perfectio.
	Voluntatis,		Bonum, feliciter & beatè vivere.
	Virtutis,		Conſervatio ſui eſſe.
	Veritatis,		Quies intellectus.
	Gloriæ,		Fruitio, gaudium, delectatio, gloriæ poſſeſſio.

Majoritas.

B.	Unum majus eſt altero	*Bono.*	Ratione B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.
M.		*Magno.*	
D.		*Durabili.*	
P.		*Potente.*	
S.		*Sapiente.*	
Vo.		*Volito.*	
Vi.		*Virtuoſo.*	
Ve.		*Veritabili.*	
G.		*Glorioſo.*	

Æqualitas.

B.	Æquale eſt alteri	*Bono.*	Ratione	Eſſentiæ.
M.		*Magno.*		Æqualitatis quantitativæ.
D.		*Durabili.*		Permanentiæ.
P.		*Potenti.*		Poteſtatis, dominii, juriſdictionis.
S.		*Sapienti.*		Scientiæ, peritiæ, ingenii.
Vo.		*Volito.*		Finis, æqualitate virtutum, ratione intenſionis.
Vi.		*Virtuoſo.*		Proprietatis & activitatis.
Ve.		*Veritabili.*		Studii veritatis.
G.		*Glorioſo.*		Gaudii & quietis, in poſſeſſione gloriæ.

Minoritas.

B.	Minus eſt altero	*Bono.*	Ratione B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.
M.		*Magno.*	
D.		*Durante.*	
P.		*Potente.*	
S.		*Sapiente.*	
Vo.		*Volito.*	
Vi.		*Virtuoſo.*	
Ve.		*Veritabili.*	
G.		*Glorioſo.*	

Paradigma II.

Quæſtio II. *Sive, An Subſtantia ſit bona &c.*

Quæritur, Utrum Subſtantiæ generaliſſimæ competant cætera principia abſoluta. B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. Reſpondetur affirmativè. Probatur aſſumpta quæſtio per triades literarum, quæ in Abaco bonitatis diagoniam, ſive diametralem lineam obtinent, uti ſequitur: BBB. BMM. BDD. BPP. BSS. BVo. Vo. BVi. Vi. BVe. Ve. BGG. His poſitis ſelectiſque, ita ſubſtantiæ bonitatem per novem haſce triades demonſtrabis.

Per principia absoluta, & terminos ad ea in lateribus unicuique adscriptos, reducibiles.

1. 1. Omne quod dicit *actualitatem* essendi, bonum est.
2. Substantia generalissima dicit actualitatem essendi.
3. Ergo substantia generalissima est bona.

2. 1. Omne quod habet *sufficientiam* sui esse, est magnum.
2. Substantia generalissima habet sufficientiam sui esse.
3. Ergo substantia generalissima est magna.

3. 1. Quicquid dicit *permanentiam* essendi, est durans.
2. Substantia generalissima dicit permanentiam essendi.
3. Ergo substantia generalissima est durans.

4. 1. Omne quod potest *esse* & agere, est *potens*.
2. Substantia generalissima potest esse & agere.
3. Ergo est potens.

5. 1. Omne *directivum* actuum, sine quo finem non possent attingere, sapiens est.
2. Substantia generalissima directiva est actuum suorum.
3. Ergo substantia generalissima est sapiens.

6. 1. Omne quod inclinationem naturalem habet *consequendi* finem, appetitivum est.
2. Substantia generalissima habet appetitum consequendi finem.
3. Ergo substantia generalissima volens sive appetitiva est.

7. 1. Omne quod naturalibus facultatibus pollet, virtuosum est.
2. Substantia generalissima naturalibus *facultatibus* pollet.
3. Ergo Substantia generalissima virtuosa est.

8. 1. Omne *quod est*, hoc ipso quod est, verum est.
2. Substantia generalissima est.
3. Ergo hoc ipso quod est, vera est.

9. 1. Omne quod exaltat effectus suos quantum potest, *gloriosum* est.
2. Substantia generalissima hoc facit.
3. Ergo substantia generalissima gloriosa est.

Per principia respectiva ita probatur.

1. 1. Omne *ens*, quod differt à quocunque alio quod non est ipsum, bonum est.
2. Substantia generalissima tali ratione differt.
3. Ergo substantia generalissima bona est.

2. 1. Omne quod *concordat* in gradu naturæ abstracto, magnum est.
2. Substantia generalissima concordat in gradu naturæ abstracto.
3. Ergo substantia generalissima magna est.

3. 1. Omne quod *contrarietate* caret durabile, est.
2. Substantia generalissima contrarietate caret.
3. Ergo substantia generalissima durabilis est.

4. 1. Omne quod *principiat* substantialiter, potens est.
2. Substantia generalissima principiat substantialiter.
3. Ergo substantia generalissima potens est.

5. B.

5. (B 2, 3 ⊙, 1 S)
1. Omne *medium* ſubſtantiale ad cognitionem cognoſcitivum eſt.
2. Subſtantia generaliſſima medium eſt ſubſtantiale ad cognitionem.
3. Ergo Subſtantia generaliſſima, cognoſcitiva eſt.

6. (B 2, 3 ω, 1 Vo)
1. Omne quod appetit eſſe meliori modo quo eſt, id *inclinatur* ad finem.
2. Subſtantia generaliſſima appetit eſſe meliori modo, quo eſt.
3. Ergo ſubſtantia generaliſſima inclinat ad finem.

7. (B 2, 3 M, 1 Vi)
1. Quod accidentibus ſubſtat, majus eſt virtute illis, quibus ſubſtat.
2. Subſtantia generaliſſima accidentibus ſubſtat.
3. Ergo ſubſtantia generaliſſima major eſt, &c. Et ſic de cæteris.

CONSECTARIA.

Ex quibus manifeſtè patet, ſubſtantiam generaliſſimam prædicta principia in ſe formaliter includere, & à quolibet, excepta contrarietate, formalem prædicationem recipere, quorum tamen nullum ſubſtantia dici poteſt, ſed pars ſubſtantiæ, vel principium ſubſtantiale, duplici de cauſa; Primò, quod ſubſtantia ex principiis ſubſtantialibus ſit conſtituta, in quantum illa per ſe propriè exiſtit. Secundò, quia ſubſtat accidentibus, & ſic propriè ſubjectum dicitur; Cùm itaque ſubſtantia ſit conſtituta ex memoratis principiis, certè nullum eorum per ſe ſeparatim, ſed conjunctim, ut finis eorum, ob quem condita ſunt, conſequitur, quæ eſt ſubſtantia; Siquidem Philoſopho teſte *finis ponit neceſſitatem iis, quæ ſunt ad finem.* Hinc ſubſtantia, in tantum bona eſt, in quantum eſt & realiter exiſtit, neque fieri poteſt, ut ſubſtantia ſine bonitate aut bonitas actualem exiſtentiam habere aut ſine ſubſtantia eſſe poſſit in genere naturæ; unde bonitas rectè à nobis principium ſubſtantiale determinatur. Hinc & bonitas magna eſt, quia informatur à magnitudine; & contrà, magnitudo bona, quia informatur à bonitate; neque fieri poteſt, ut bonitas à magnitudine, aut magnitudo aut utrumque à ſubſtantia in quantum ſunt principia ſubſtantialia, ſeparetur. Neque bonitas vel magnitudo ſubſiſtere poſſunt, niſi durent; quod enim non durat, id neque bonum, neque magnum eſſe poteſt; neque durare poſſunt, hæc omnia, niſi potentiam habeant ad bonificandum, magnificandum, durandumque neceſſariam; neque potentia prodeſſe poſſet, niſi cognoſcitivum ſeu inſtinctivum principium ineſſet, appetituſque ad finem conſequendum, & ad ſe conſervandum requiſitus; & ſic de cæteris. Unde patet clarè. ſubſtantiam ex iis principiis ſubſtantialibus conſtitutam, ſine quibus nec eſſe, nec poſſe, nec operari queat; Unde ſubſtantialia principia illa dicere neceſſe eſt; quod ſi quis neget, id nova argumentorum congerie probabis quæ ſunt argumenta Lulli; quamvis aliqua valde obſcura ſint, more ei ſolito. *Argumenta Lulliana.*

1. Si ſubſtantia non eſſet ſubſtantialiter & formaliter bona, tunc accidens eſſet melius illà; ſed hoc eſt abſurdum; quia bonum ſubſtantiale, cum eſſe, per ſe, convertitur, minimè verò cum eſſe in alio, quod eſt accidens. B.

2. Si ſubſtantia non eſſet *magnum* ſubſtantiale, accidens pariter ſubſtantiâ majus eſſet, quod dici minimè poſſet, cum ſubſtantialis bonitas magna, bonum magnum, cum eſſe per ſe convertantur, atque adeo ſubſtantia de iis formaliter & ſubſtantialiter producatur. M.

3. Si ſubſtantia non *duraret* ſubſtantialiter, nulla ſubſtantia duraret per ſe ipſam, tranſiret enim in præteritum, & ſic non poſſet contrahi nec determinari, aliàs omnis potentia foret accidens, & ſic ſubſtantia plus poſſet per accidens, quàm per ſe, quod inconveniens eſt. D.

4. Si ſubſtantia non eſſet *potens* ſubſtantialiter, accidens plus poſſet, quàm ſubſtantia, quod inconveniens eſt. P.

5. Si ſubſtantia qualiſcunque tandem illa ſit ſubſtantialiter non eſſet *cognoſcitiva* aut appetitiva per inſtinctum naturæ, illa utique omnis operationis, quæ propter finem eſt, incapax eſſet, nec dirigere poſſet actus ſuos. Lullus quando loquitur de cognitione inſtinctiva, id ſemper de appetitu naturali omnibus indito intelligi debet. S.

6 Si præterea non haberet *appetitum* perveniendi ad finem, tunc neceſſariò quieſceret in principio & medio, non in fine, quæ omnia incongrua ſunt; talis autem appetitus non poteſt dici accidens, cùm ille præſcindat à quocunque accidente; naturæque eſſentialiter inſertus. Ergo eſt ſubſtantialis. Vo.

7. Si non eſſet *virtus* naturalis ſubſtantialis, nulla virtus moralis & accidentalis eſſe poſſet, ſed eſt moralis, ergo & ſubſtantialis à quo oritur & dirigitur. Vi.

8. Si nulla eſſet *veritas* ſubſtantialis, ſubſtantia magis eſſet vera per accidens, quàm per ſeipſam; quia de ſubſtantia prout in univerſa- Ve.

versalitate sua præscindit à quocunque posteriori, verum est dicere, quod est; hoc enim pacto, vera adæquatio ejus est ad intellectum.

G. 9. Si Substantia non esset *gloriosa* per se, nulla substantia haberet gloriam per seipsam; quia omnis substantia gloriatur in suo esse, & in sua operatione intrinsecè; aliàs nunquam daretur substantiæ quies, qua, bono suo contenta, frueretur.

Simili modo probabuntur, principia respectiva substantialia esse.

≡ 1. Si substantia non habet *differentiam* substantialem, tunc cessante operatione intellectûs Materia & forma necessariò erunt idem; hoc est absurdum; ergo.

♡. 2. Si *concordantia* non esset substantialis, deficerent ei bonitas, magnitudo, duratio &c. quoniam substantia cum substantia magis concordaret, quàm cum seipsa, & in se ipsa; neque bonitas & magnitudo se mutuo possent informare & substantiam constituere; est ergo inter illa concordantia substantialis.

o-●. 3. Soli substantiæ nihil est *contrarium*.

α. 4. Si substantia non est principium substantiale, consequenter non erit causa principians; sed hoc dici non potest; ergo.

⊙. 5. Si substantia non esset *medium substantiale*, ex materia & forma non fieret substantia; hoc dici non potest, ergo neque illud, unde consequitur.

ω. 6. Si *finis* non esset substantialis, major esset quies per accidens, quàm per se, & sic substantia non posset quiescere in aliquo fine sine accidente, quod falsum est, cum individuum de genere substantiæ, prius sit individuo de genere accidentis, Philosopho teste 7. Metaph.

M. 7. Si *Majoritas* non esset substantiale principium, illa non esset major accidente; sed hoc falsum est; cùm substantia habeat esse per se, & propter se, minimè verò accidens; una siquidem substantia dicitur major alterâ ob majorem finem.

Æ. 8. Pari pacto sine *æqualitate* substantiali non esset aliqua æqualitas substantialis major alterâ;

Min. 9. Nec fine *minoritate* substantiali esset aliqua pars substantialis minor altera. Quæ omnia hîc uberius deducenda duxi, ut ratio, cur principia Artis nostræ, principia substantialia & essentialia dicamus, Lectori patefiat. Sunt enim hæc principia ita cum substantia identificata, ut ab ea nulla ratione salva substantia separari queant, atque hoc pacto Lullus intelligenduus est.

Per 9. Categorias alia deductio.

Possunt & hæc ulterius deduci per novem Categorias; cujus ut exemplum habeas, sic operabere.

Quod substantia sit quanta probatur per,

B. M. Omne ens finitum & limitatum est *quantum*, sive extensive sive intensive. B.

Q. B. Sed substantia generalissima est ens finitum & limitatum.

B. Q. Ergo substantia generalissima est quanta, vel extensive vel intensive.

Quia si non esset limitata, esset illimitata & infinita, quod nulli enti creato convenit. M.

Quia omne deductum de non esse ad esse per suas partes, est limitatum & finitum.

Quando, est prædicamentum essentialiter ab aliis distinctum, & causatur ex novitate seu inceptione principiorum eo modo, quo sequitur. D.

Omne inceptum est novum & in tempore positum.

Substantia generalis est hujusmodi. Ergo.

Major est vera, secus enim esset, antequam esset, quod est impossibile.

Nota duo illa prædicamenta esse absoluta, ex eo, quod causantur à principiis absolutè sumptis, non tamen alia prædicamenta accidentalia ponuntur absque mutua relatione, ut patet in qualitate, quæ oriri non potest à principiis substantialibus, nisi mutuò se informare dicantur.

B. Omne quod informatur ab aliquo, *qualificatur* ab eo. Quid qualis.

Q. Sed bonitas substantiæ informatur à magnitudine, duratione &c.

Q. Ergo qualificatur ab ipsis.

Ubicunque est compositio, ibi est *actio & passio*; sine his enim fieri non potest, ut aliquid componatur. Quod agens & patiens.

Sed in substantia generalissima est compositio.

Ergo in substantia generalissima inter principia substantialia est actio & passio.

Ubicunque est *actio & passio*, ibi est relatio. Quod, relativa.

Sed inter principia substantiæ est actio & passio.

Ergo & relatio. Major patet ex 6. Met. Minor per se patet.

Ubi reperitur aptitudo rei *ubificantis* ad rem *ubificatam*, ibi reperitur *locus*. Ubi.

Inter principia substantiæ reperitur talis habitudo.

Ergo. Major nota est ex definitione: probatur Minor, sunt enim omnia principia in substantia.

Ubi

Ubi eſt habitudo *ſituantis* ad rem *ſituatam*, ibi eſt *ſitus*.
Inter principia ſubſtantiæ talis eſt habitudo.
Ergo.
Major per definitionem patet: Minor probatur: eſt enim bonitas, M. &c. in ſubſtantia ſituata, ut pars in toto.

Per habitum.

Ubi eſt *habitudo* rei habituantis ad rem habituatam, ibi eſt *habitus*.
Inter principia ſubſtantiæ eſt talis habitudo.
Ergo.
Major patet, ex definitione. Min. prob. eſt enim habituata bonitas ex magnitudine, duratione &c.

Nota igitur, quod quemadmodum ex Principiis ſubſtantialibus fit ſubſtantia, ſic ex finito ſeu finitudine quantitas completa; & ex inceptione principiorum Prædicamentum quando; & ex qualificatione qualitas; ex actionibus & paſſionibus actio & paſſio completa; ex relationibus relatio proprii generis; ex ubificatione ubi; ex ſituatione ſitus, ex habitibus habitus; quemadmodum enim ordine naturæ principia ſubſtantialia præcedunt accidentalia, ut bonitas & magnitudo; ita inde neceſſariò reſultat ſubſtantia, quæ emanat à principiis univerſalibus; quæ ſubjectantur in ea; & hoc modo habent eſſe effectivè ab ea, & ſubjectivè in ea, & ſunt finaliter propter eam.

CAPUT VI.

Tabula univerſalis ſeu Abacus polyſophus.

QUA

Quicquid in humanarum divinarumque rerum ſcientia latet abſconditum, eruitur.



Abes hîc in Tabula, quicquid curioſa mens deſiderare poteſt, tum ad diſcurſus facili negotio formandos, tum ad ſacras profanaſque authoritates amplè deducendas. Habes naturalium rerum, artium atque ſcientiarum omnium applicationes, & veluti themata quædam, eorum, quæ ſub quæſtionem cadere poſſunt, miro artificio conſtituta fœcundiſſima ſeminaria, quæ in copioſam meſſem haud dubiè, induſtriâ Lectoris, excreſcent.

TABULA COMBINATORIA

SIVE

Abacus Polysophus omnium principiorum tam absolutorum, quam respectivorum, quo veluti in epitoma quadam omnium scibilium rationes continentur.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
B B	B M	B D	B P	B S	B Vo	B Vi	B Ve	B G	B ⊟	B ♡	B ○●	B α	B ⊙	B ω	B M	B Æ	B Min
M B	M M	M D	M P	M S	M Vo	M Vi	M Ve	M G	M ⊟	M ♡	M ○●	M α	M ⊙	M ω	M M	M Æ	M Min
D B	D M	D D	D P	D S	D Vo	D Vi	D Ve	D G	D ⊟	D ♡	D ○●	D α	D ⊙	D ω	D M	D Æ	D Min
P B	P M	P D	P P	P S	P Vo	P Vi	P Ve	P G	P ⊟	P ♡	P ○●	P α	P ⊙	P ω	P M	P Æ	P Min
S B	S M	S D	S P	S S	S Vo	S Vi	S Ve	S G	S ⊟	S ♡	S ○●	S α	S ⊙	S ω	S M	S Æ	S Min
Vo B	Vo M	Vo D	Vo P	Vo S	Vo Vo	Vo Vi	Vo Ve	Vo G	Vo ⊟	Vo ♡	Vo ○●	Vo α	Vo ⊙	Vo ω	Vo M	Vo Æ	Vo Min
Vi B	Vi M	Vi D	Vi P	Vi S	Vi Vo	Vi Vi	Vi Ve	Vi G	Vi ⊟	Vi ♡	Vi ○●	Vi α	Vi ⊙	Vi ω	Vi M	Vi Æ	Vi Min
Ve B	Ve M	Ve D	Ve P	Ve S	Ve Vo	Ve Vi	Ve Ve	Ve G	Ve ⊟	Ve ♡	Ve ○●	Ve α	Ve ⊙	Ve ω	Ve M	Ve Æ	Ve Min
G B	G M	G D	G P	G S	G Vo	G Vi	G Ve	G G	G ⊟	G ♡	G ○●	G α	G ⊙	G ω	G M	G Æ	G Min
⊟ B	⊟ M	⊟ D	⊟ P	⊟ S	⊟ Vo	⊟ Vi	⊟ Ve	⊟ G	⊟ ⊟	⊟ ♡	⊟ ○●	⊟ α	⊟ ⊙	⊟ ω	⊟ M	⊟ Æ	⊟ Mi
♡ B	♡ M	♡ D	♡ P	♡ S	♡ Vo	♡ Vi	♡ Ve	♡ G	♡ ⊟	♡ ♡	♡ ○●	♡ α	♡ ⊙	♡ ω	♡ M	♡ Æ	♡ Mi
○● B	○● M	○● D	○● P	○● S	○● Vo	○● Vi	○● Ve	○● G	○● ⊟	○● ♡	○● ○●	○● α	○● ⊙	○● ω	○● M	○● Æ	○● Mi
α B	α M	α D	α P	α S	α Vo	α Vi	α Ve	α G	α ⊟	α ♡	α ○●	α α	α ⊙	α ω	α M	α Æ	α Mi
⊙ B	⊙ M	⊙ D	⊙ P	⊙ S	⊙ Vo	⊙ Vi	⊙ Ve	⊙ G	⊙ ⊟	⊙ ♡	⊙ ○●	⊙ α	⊙ ⊙	⊙ ω	⊙ M	⊙ Æ	⊙ M
ω B	ω M	ω D	ω P	ω S	ω Vo	ω Vi	ω Ve	ω G	ω ⊟	ω ♡	ω ○●	ω α	ω ⊙	ω ω	ω M	ω Æ	ω. M
M B	M M	M D	M P	M S	M Vo	M Vi	M Ve	M G	M ⊟	M ♡	M ○●	M α	M ⊙	M ω	M M	M Æ	M Mi
Æ B	Æ M	Æ D	Æ P	Æ S	Æ Vo	Æ Vi	Æ Ve	Æ G	Æ ⊟	Æ ♡	Æ ○●	Æ α	Æ ⊙	Æ ω	Æ M	Æ Æ	Æ M
Min.B	Min M	Min D	Min P	Min.S	Min Vo	Min.Vi	Min.Ve	Min.G	Min ⊟	Min ♡	Min ○●	Min α	Min ⊙	Min ω	Min M	Min Æ	Min Mi

EXPOSITIO TABULÆ.

Habes in hac Tabula quicquid in universo scibili latet absconditum, per arcanas argumentorum sedes, miro quodam artificio, ita dispoſita, ut data qualibet quæſtione, ingentem, ad eam probandam, argumentorum materiam paratam habere poſſis. Prima Columna monſtrat; quicquid de bonitate entium ſive realium ſive moralium, intentionaliumque, ſecundum totam naturæ latitudinem proponi poteſt.

poteſt. Secunda, quicquid ad extenſionem, intenſionemve, & magnitudinem proponi poteſt, obtinet. Tertia, Quarta, Quinta, Sexta, &c. Quicquid ad durationem, potentiam, cognitionem appetitum; &c. quovis modo revocari poteſt, continet. Idem de principiis reſpectivis dicendum eſt.

Literas binas in unoquoque Columnarum receptaculo poſſuimus; quarum utraque ſignificat terminum in abſtracto; prima quidem in recto, altera in obliquo; & nihil aliud, quàm quæſtionum themata denotant; Exempli gratia: M. B. non in concreto, ſed in abſtracto pronunciandæ ſunt; Magnitudo bonitatis; D. B. Duratio bonitatis. P. B. Potentia bonitatis, & ſic de cæteris per octodecim principia Artis noſtræ. Secunda Columna omnia themata exhibet, quæ ad magnitudinem pertinent; uti B. M. Bonitas Magnitudinis. D. M. Duratio magnitudinis, ita ut ſemper prima litera in recto abſtractè, altera in obliquo caſu pronuncianda ſit.

Sed quæret forſan nonnemo, Cur B.M. & M. B. ſimiliaque diverſè poſuerimus, cùm idem ſignificare videri poſſint. Hiſce reſpondemus, magnam eſſe differentiam inter Bonitatem magnitudinis, & magnitudinem bonitatis; illud enim bonum aliquod in magnitudine, hoc magnum quid in bonitate conſiderat; in Deo enim, magnitudo bonitatis cauſa fuit, quod Mundus conditus ſit; Bonitatis vero magnitudo cauſa fuit, ut ea quæ condidit, omnia præſentia ſua conſerventur, & ſic de cæteris, quæ omnia differentes in animo conceptus formant. Porrò in diagoniis tabulæ lineis, ſeu diametralibus receptaculis invenies omnia identica; uti BB. MM. DD. Bonitas Bonitatis. Magnitudo Magnitudinis. Duratio Durationis, quæ quidem nihil ad propoſitum facere videri poſſunt. Sed ſi, uti in præcedentibus dixi alterutram per terminos implicitos ſive ad abſoluta reducibiles expoſueris, magnam ſtatim invenies propoſitionum formandarum farraginem. Exempli cauſa B. B. Diffuſio bonitatis. M. M. extenſio magnitudinis. D. D. æternitas æviternitatis, temporalis durationis, & ſic de cæteris.

Verùm quoniam ei, qui in Arte necdum exercitatus eſt difficile futurum prævideo, ut ſedes thematum proprio Marte promptè inveniat, hinc in ſequenti Tabula, ſingulis litterarum Combinationibus, themata adjungere viſum fuit, ut ſic majorem haberet Artiſta de omni ſcibili diſcurrendi materiem.

Si tibi probanda fuerit aliqua quæſtio, ſtatim quod in ea ſubjectum, quod prædicatum ſit, diligenter nota, cognitaſque propoſitiones ad congruos terminos abſolutos ſive reſpectivos reduces. Atque hic eſt Lydius lapis, uti Ivo dicit, quo mentis conceptus probantur, ac confuſi luxuriante contextu in certas reducuntur propoſitiones. Verbi gratia.

1. Si fiat hæc propoſitio: An unita ſint fortiora? ℞. affirmativè. Et quoniam unio revocatur ad ♡ Concordantiam, forte verò ad P. poteſtatem, utrumque conjunctum dabit Combinationem P. ♡ potentia Concordantiæ. Quæ res itaque in Tabula ♡ P. & è regione abundantem reperies formandarum propoſitionum, Syllogiſmorumque materiam hoc pacto.

1. Ubicunque eſt rerum omnium in unum conſpiratio ibi eſt ♡ P.

Hoc fit in Mundo. Ergo.

2. Ubicunque eſt in bonum Commune promovendum unio, ibi eſt ♡ P.

Hoc fit in Republica benè ordinata. Ergo.

Hoc pacto varias promes propoſitiones ad propoſitam quæſtionem per variam inductionem probandam utiles.

2. Quæſtio ſi fiat, an adverſa ſint deſideranda; quoniam adverſa ad o● Contrarietatem, deſideranda verò ad Vo. Voluntatem pertinent; illa conjuncta dant hanc Combinationem, Contrarietas voluntatis, per has notas ſignificata, o● Vo. Quære itaque hæc ſigna in appropriatis Columnis, videlicet in Columna o● Vo. & ſtatim è regione exhibebuntur tibi argumenta, themata, ſeu materia formandorum diſcurſuum vaſtiſſima.

3. Quæritur. An, & Quanta ſit potentia bonitatis divinæ; hi termini cum expliciti ſint, & idem ac P. B. potentia bonitatis; illas notas quæres in Columna priori, & è regione P. B. invenies ingentem probandarum concluſionum materiam, hoc pacto.

Ubicunque eſt diffuſio virtutis magnæ ibi eſt potentia magnæ bonitatis.


In Deo dum Mundum condidit, & in opere Redemptionis fuit diffuſio virtutis magnæ.

Ergo in Deo dum Mundum condidit, & in opere Redemptionis fuit potentia magnæ bonitatis.

4. Quæſtio. An parentes honorandi: quoniam (parentes) revocantur ad, α, principium, & honorandi ad, G, Gloriam inde naſcetur hæc Combinatio, G. α. cui in Columna appropriata reſpondent argumenta, ſeu media, ad propoſitam quæſtionem probandam; & ſic in omnibus aliis propoſitionibus in ſuos terminos abſolutos reſolvendis

procedes. Veruntamen quoniam difficile est, statim & ex tempore Combinationem veram, ex propositione facta reperire; meliùs feceris, si diligenter Tabulæ juxta Columnas suas, processum observaveris, memoriæque mandâris; quod facili negotio fiet; Siquidem in prima Columna omnia 18 principia tam absoluta, quàm respectiva, prædicantur de B. In secunda, eadem de magnitudine. In tertia, eadem de D. In Quarta, eadem de P. In Quinta, eadem de S. In Sexta eadem de Vo. & sic de cæteris Columnis ordine idem judicium esto; Unde qui menti suæ firmiter impresserit 18 ordine principia per literas suas, is statim immensam & inexhaustam deducendarum propositionum segetem paratam habebit ex argumentis & thematis, seu mediis, è regione in certas classes redactis.

Verùm ne rem tam fœcunda materie præditam parcè attingam, exemplis eam deducere visum fuit, & ne statim confuso ordine progrediar, à prima statim Tabulæ universalis transversa serie negotium auspicabor. Primò itaque per novem quæstiones rem deduces.



An sit illa,
Quid sit illa,
Cur sit illa,
Quanta sit,
Qualis sit,
Quomodo sit,
Quando sit,
Ubi sit,
Quibuscum agat,

} Diffusio in {



9. Accid.

Ecce in hac dispositione simplici statim paratam habebis 162 argumentorum materiam, simplicibus terminis compositam, & per novem quæstiones, totidemque subjecta universalia deductam; quæ quidem tantò semper crescent amplius, quantò ad particulariora, quæ in universalibus virtute latent, descenderis profundiùs. Sed jam quomodo ea in formam Syllogisticam cogenda sint, ostendamus.

Quæstio

Quæſtio 1. per An.

Per B. B. *An* detur diffuſio bonitatis infinitæ. Reſpond. affirmativè, & oſtenditur per enneadem erotematicam.

Per B. M. Illud Bonum, quod ſine termino ſeſe *diffundit*, eſt infinitæ *bonitatis diffuſio.*
Deus ſine termino ſe diffundit.
Ergo in Deo eſt infinitæ bonitatis diffuſio.

2.

Nullum Ens creatum *infinitè* bonitatem ſuam diffundit.
Angelus, homo, Cœlum, eſt ens creatum. Ergo.

Quæſtio per Quid.

Per B. M. Illud à quo cuncta *participativè* ſunt *bona*, eſt bonitas magnitudinis infinitæ.
A Deo cuncta participativè ſunt bona.
Ergo.

Quæſtio per Cur.

Per B. M. Cujus ratio formalis *boni* eſt ipſa *eſſentia*, illa eſt *infinitæ* bonitatis.
Ratio formalis boni in Deo eſt ipſa eſſentia Dei.
Ergo eſſentia Dei eſt infinitæ bonitatis.

Quæſtio per Quantum.

Per B. M. Illa Bonitas, quæ nec *numerum* nec terminum habet, eſt *infinitè diffuſa.*
Bonitas Dei nec numerum nec terminum habet. Ergo.

Quæſtio per Quomodo.

Per B. D. Illud in quo eſſentia & duratio convertuntur, illud neceſſariò habet infinitæ bonitatis permanentiam.
In Deo eſſentia & duratio convertuntur.
Ergo.
Si enim non eſſet, non eſſet bonus; & ſi non duraret, pariter non eſſet bonus; Sed eſſentia Dei durat infinitè. Ergo & infinitæ bonitatis eſt.

Quæſtio per Quale.

Omne attributum, quod identificatur cum ſubjecto eſſentialiter, eſt infinitâ *bonitate* ſua *diffuſum.* Per B. M.
Bonitas in divinis identificatur cum ſubjecto divinæ eſſentiæ. Ergo.

Quæſtio per Ubi.

Quod nec *loco* nec *termino* comprehenditur, id eſt infinita bonitate ubique diffuſum. Per B. M.
Deus nec loco nec termino comprehenditur. Ergo.

Quæſtio per Quando.

Quod natura ſua *æternum* eſt, eſt infinitæ bonitatis. Per B. D.
Deus natura ſua æternus eſt.
Ergo infinitæ bonitatis. Et ſic de cæteris.

Vides itaque, quomodò tibi per ſingula, ad ſelectam propoſitionum congeriem comparandam, procedendum ſit. Scias prætereà, ſingulos horum Syllogiſmorum ad majorem varietatem per ſingula 18 principia deduci poſſe; uti paulò poſt patebit; ut proinde nec finis nec numerus ſit quæſtionum, quæ hac methodo haberi poſſunt in qualibet propoſita materia, uti in ſequentibus patebit.

CAPUT VII.

De Abaco Pantoſopho, quo de omni materia propoſita argumentorum loca reperiuntur.



EX præcedenti Tabula, deduximus hoſce Abacos, quos pantoſophos vocamus, quia de omni ſcibili ſuppeditant ingentem argumentorum copiam & ubertatem. Abaci ſunt duo. Primus continet Combinationem principiorum abſolutorum cum abſolutis; in cujus deſcendente Columna ponuntur principia abſoluta in abſtracto ſumpta, & in recto; In fronte verò ponuntur eadem ordine principia abſoluta, ſed in obliquo, uti Tabulam inſpicienti patebit. Secundus Abacus combinat abſoluta cum principiis reſpectivis.

Quorum uſus hic eſt. Si quæratur *Verb. Grat.* Utrum bonum ſit ſcire? reduces bonum ad bonitatem, & ſcire ad ſapientiam, & habebis Combinationem terminorum, quæ eſt Bonitas Sapientiæ. Accipe itaque Bonitatem in latere & Sapientiam in fronte, & angulus communis dabit loca & argumentorum ſedes propoſitæ quæſtioni congruas. Si verò quæſtio ſit de differentia aut concordantia bonitatis, quære in ſecunda Columna Differentiam aut concordantiam è latere, bonitatem verò in fronte, & angulus communis dabit argumentorum ſedes propoſitæ quæſtioni congruas. Si de-

nique sit quæstio de differentia & concordantia, & de cæteris principiis respectivis; *Verb. Gr.* Utrum principia differant; quæres principium in fronte, & differentiam in latere, & angulus communis dabit quæsitum.

Verùm cum praxin hujus Abaci in ultimum Librum reservaverimus, ejus usum & praxin hoc loco consultò omisimus; cùm hîc nihil aliud agamus, nisi ut Combinationum, quæ per varios Abacos & Tabulas quovis modo fieri possunt, varietatem ostendamus, atque adeò insignem subsidiorum, quibus in Arte nostra possidenda Tyronum conatus promoveantur, apparatum curioso gustui aptatum proponamus. Neque hoc loco Lector speret totius Artis praxin, quam non nisi paucis exemplis declarandam duximus; Sed ultimum hujus Operis Librum adire oportebit; ubi quicquid ad universalem Artis praxin pertinet, uberrimè per exempla comprobatum reperiet.

Abacus Polysophus argumentorum sedes explicans.

Quæstiones.	*Particulæ.*	1.	2.	3.	*Subjecta.*
An.	Omne.	B.	B.	B.	△.
Quid. Cujus. Cui.	Nullum.	M.	M.	M.	☁.
Cur. Quare.	Quod.	D.	D.	D.	◎.
Quantum.	Quodcunque.	P.	P.	P.	□.
Quomodo. Quî.	Quandocunque.	S.	S.	S.	🧍.
Quale.	Ubi.	Vo.	Vo.	Vo.	🐂.
Ubi.	Ubicunque.	Vi.	Vi.	Vi.	🌳.
Quando.	Quoties.	Ve.	Ve.	Ve.	⬠.
Quibuscum.	Quantò. Tantò.	G.	G.	G.	⁙
Unde.	Quot. Tot.	=.	=.	=.	Quantitas.
Ex quo.	Si non, Sequeretur.	♡.	♡.	♡.	Qualitas.
	Quò. Eò.	○●.	○●.	○●.	Actio.
	Quicquid.	α.	α.	α.	Passio.
	Quorum. Quibus.	⊙.	⊙.	⊙.	Relatio.
		ω.	ω.	ω.	Ubi.
		M.	M.	M.	Quando.
		Æ.	Æ.	Æ.	Situs.
		Min.	Min.	Min.	Habitus.

CAPUT VIII.

De mirifico Abaci polyſophi mobilis artificio.

ERademus hoc loco Lectori ultimam Combinationis methodum, tantò excellentiorem, quantò reliquis expeditior, facilior & brevior eſt; quicquid enim hucuſque de variis Combinationis modis, Tabularumque diverſitate dictum fuit, hac veluti in Epitome quadam pauciſſimis Columnis comprehendit; reſervavimus autem hanc methodum non immeritò in hunc locum, ut ex eo uberrimæ Artis noſtræ divitiæ & inventionum incredibilis varietas & multitudo luculentius pateret, ac Lectores Curioſi novum reperirent ad ſcientiarum cultum promovendum organum, mirum in modum facile & opportunum; Sic autem ſeſe res habet. Tribus Columnis planis, ſive chartaceis, ſive ligneis, mobilibus totum negotium conficitur.

Deſcribantur octodecim principia tam abſoluta, quàm reſpectiva in tribus Columnis, uti hîc juxta vides; & negotium confectum habebis.

Hiſce tribus Columnis, quicquid in Tabula Univerſali, quam Capite V expoſuimus, habetur per novem principiorum quà abſolutorum, quà reſpectivorum Combinationem expanſum, hîc contractum reperies; ſola mobilium Columellarum alia & alia applicatione; per duas etiam ſolas obtinebis, quicquid in Abaco polyſopho fuſè digeſtum latet. Sed in exemplo rem oſtendamus.

PARADIGMA I.

Per 2. ſolas Columnas.

Si velis duabus ſolis Columellis exhibere primam Columnam Tabulæ, ſeu Abaci polyſophi, Cap. VI. deſcripti; ſic operare.

Promove B. literam ſecundæ Columnæ ad ſingulas ordine literas, & ſigna primæ Columnæ, ad B. deindè ad M. & poſtea ad D. & ſic deinceps, & naſcetur prima Columna. Si deinde ſecundam Columnam Abaci polyſophi exhibere velis; promove ſecundam literam M. ſecundæ Columnæ hîc è latere poſitæ ſupra ſigulas ordine literas in prima Columna deſcriptas, & habebis quæſitum. Hoc pacto ſi tertiam literam D. ſecundæ Columnæ applices ſupra ſingulas ordine primæ Columnæ literas, habebis tertiam Columnam Abaci polyſophi. Si quartam denique ſecundæ Columnæ literam P, ſupra ſingulas ordine literas primæ Columnæ applices, habebis quartam Abaci polyſophi Columnam; & ſic de cæteris procedes uſque ad ultimam Columnam, Combinando ſingulas literas & ſigna cum ſingulis primæ Columnæ literis & ſignis, & reperies omnes Combinationes Tabulæ ſeu Abaci polyſophi Columnas 18. ſola harum mobilium Columnarum alia & alia applicatione, pulcherrimo jucundiſſimoque technaſmate exhiberi; quorum quidem uſus in ſequentibus uberrimè declarabitur.

PARADIGMA II.

Per 3. Columnas.

Quoniam verò ſingulas propoſitas quæſtiones per Syllogiſmos demonſtrativos probare contendimus, tres Columnas ad opus cum debita induſtria conficiendum aſſumere oportebit. Et quamvis ſuprà Cap. V. Tabulam univerſalem exhibuerimus, qua per Combinationem ternariam omnem poſſibilem principiorum inter ſe Syllogiſticam Combinationem oſtendimus. Scias tamen Lector, quicquid in dicta Tabula quàm fuſiſſimè præſtitum eſt, id ſolis tribus hiſce Columnis mirâ facilitate exhiberi poſſe, eo modo qui ſequitur.

Si quiſpiam velit ſolis hiſce tribus Columnis ſingulas ordine Combinationes in dicta Tabula deſcriptas exhibere, is ponat ante ſe dictam Tabulam, in qua primo loco occurrit abacus, cujus titulus eſt; Combinatio prima Bonitatis cum reliquis principiis. Et quoniam prima Columna bis ponit B B, & deinde replicato ordine reliquas principiorum literas iis annexas habet; primò tres Columnas eo ſitu pones, quo prima Combinatio docet, *V. Grat.* B b b. Deinde Tertiæ Columnæ literam ſecundam M ad B, deinde tertiam tertiæ Columnæ literam D pones ad B B. & poſtea quartam literam P iterum ad B B. & ſic deinceps ordine literas appones ad ſingulas duplicatas literas B D. & habebis primam Columnam. Secundæ Columnæ Combinationem B M B ſic perficies: Applica primæ Columnæ literæ B, ſecundæ Columnæ ſecundam literam M. & deinde tertiæ Columnæ primam literam; deinde replicatis literis ordine applicabis tertiæ Columnæ literas, & habebis quæſitum; & ſic in ſingulis novem Abacorum Columnis procedes, & habebis, quicquid in expanſa Tabula amplè deductum fuit, ſolis tribus Columnis exhibitum. Nil amplius dico, Lector modum operandi

ex

ex dictis facilè percipiet, atque experietur, quod quomodocunque has tres Columnas transmutaveris, semper Combinationes & propositiones tuo instituto maximè proficuas sint resultaturæ. Exposuimus modum operandi cum tribus hisce Columnis, nihil jam restat, nisi ut alia nonnulla ad facilitandum negotium oportuna addamus.

Certum est; in his tribus Columnis, omnia, quæ in dictis fusè descriptis tabulis continentur, exponi; quoniam verò non uniuscujusque est, tribus dictis literis aut signis, statim Syllogismos ex tempore, per congruos terminos, media & propositiones formare; hoc loco docebimus, Quanam facilitate fieri possit, ut pueri etiam & idiotæ nonnihil, dummodo legere, nôrint, in hoc negotio, non sine admiratione, etsi materiali quadam operatione, sint præstituri: paucis exponemus negotium. Primò fiant quotlibet Columnæ, exacta 18 loculamentorum divisione æquales, tum in longitudine tum in latitudine. In hisce describatur primò Enneas Erotematica; deinde in alia, particulæ affirmativæ & negativæ. In tertia Columna contineantur novem subjecta universalia. In cæteris Columnis describantur omnes termini reducibiles, ad principia videlicet Bonitatis, Magnitudinis, Durationis, Potentiæ &c. quos tibi exhibebit Liber primus, Caput 4. de principiorum definitionibus, & habebis Columnas ad operandum dispositas; sed modum dispositionis ex typo hîc apposito facilè intelliges.

USUS & PRAXIS.

Proposita quavis quæstione; *Verbi Gratia.* An △ sit bonus. Ad hoc probandum, primo loco ponatur Columna quæstionaria; Secundo Columna particularum, quarum ope propositiones formandæ sunt; (poterit autem formari quæstio, semper unà ex istis particulis, quæ Columnæ inscriptæ sunt.) Deinde tres Columnæ Alphabeticæ, uti vides; ultimo tandem Columna subjectorum universalium.

Hisce positis. Duplex modus operandi institui potest; vel per solas literas initiales principiorum, vel per terminos compositos reducibiles ad eadem. Prior propriè exercitatis in Arte competit; Alter iis, qui terminorum reducendorum modum nesciunt. De priori paucis hîc agam, de posteriori in separato Libro tractaturus; ubi & hanc Rabdologiam polysopham ad omnes scientias applicabilem obiter innuimus. Sed jam ad institutum.

Quæstio proposita fuit; An △ sit bonus; ad hoc probandum ita procedes quoniam enim tria B B B identicam propositionem faciunt; ideò pro primo B. unum ex terminis reducibilibus pones, cujusmodi sunt: Ens, unum, substantia, essentia &c. suprà descripta. Hoc posito sic argumentare: Omne Ens est bonum: △ est ens; Ergo est bonus. Ubi vides, semper primas duas literas exhibere majorem, in qua prior semper rationem subjecti & medii, altera verò rationem prædicati habet; Minor verò propositio semper pro subjecto, unum habet ex novem subjectis universalibus, uti hîc △. rationem verò prædicati, Ens seu B. unde Conclusio latere non potest; habebisque Syllogismos novem sequentes juxta enneadem erotematicam dispositos.

1. *An △. sit bonus.*

B. Omne Ens est bonum.
△. B. Deus est Ens.
B. Ergo est bonus.

2.

B. Omnis perfectio essentiæ est bona.
△. B. Deus est perfectio essentiæ suæ.
B. Ergo est bonus.

3.

B. Sine quo nil quidpiam operari potest, illud est bonum necessarium.
△. B. Sine Deo nil quidquam operari potest.
B. Ergo Deus est bonum necessarium.

4.

B. Suprema essentia est infinitum bonum.
△. Deus est suprema essentia.
B. Ergo est infinitè bonus.

5.

B. Ubi est perfectio perfectionum omnium possibilium, ibi est summum bonum.
△. Deus est perfectio perfectionum omnium possibilium.
B. Ergo Deus est summum bonum.

6.

B. Quod ubique est, illud infinitum bonum est.
△. Deus ubique est.
B. Ergo Deus infinitum bonum est.

7. B. Quod

7.

B. Quod æternum est, id summum bonum est.
△. Deus æternus est.
B. Ergo summum bonum est.

8.

B. Quod extra omne tempus fuit, est, & erit, illud summum bonum est.
△. Deus extra omne tempus fuit, est, & erit.
B. Ergo Deus summum bonum est.

9.

B. Cujus actio est ipsa essentia, illud est summum bonum.
△. Dei actio est ipsa essentia.
B. Ergo est summum bonum.

Habemus itaque primam propositionem per novem quæstiones deductam. Si porrò mediæ Columnæ singulas literas ordine applices primæ & tertiæ Columnæ primis literis, nascetur hæc Combinatio B M B. Omne ens bonum est magnum; & per B D B. Omne ens durabile est magnum; & per B P B. Omne ens potens bonum est; & sic de cæteris. Atque hoc pacto per varias trium Columnarum transpositiones atque applicationes, innumerabilem propositionum congeriem obtinebis, quæ omnes uti ab homine totius vitæ tempore, describi, ne dicam, numerari possunt; ita consultò eas paucis tantùm exemplis indigitandas duxi. Atque hæc de Arte Combinatoria sufficiant.



ARTIS MAGNÆ SCIENDI,

SIVE

COMBINATORIÆ,

LIBER QUINTUS.

QUO

Divisio Scientiarum Principiorumque ad eas assequendas necessariorum, eorumque unius ad alteram, singularumque ad singulas combinatio traditur.

PARS I.


De Scientiis modisque eas acquirendi.

PRÆFATIO.

ANtequam ad eam methodum, quam Artis nostræ ad omnes scientias applicatam modum & rationem docet, progrediamur, ordinis ratio postulare videbatur ut primò de scientiarum divisione, deinde de ipsis principiis sciendi ageremus, ne Lector in secuturarum scientiarum ad nostræ Artis principia applicatione dubius & anceps hæreat.

CAPUT I.

De Divisione Scientiarum.



QUicunque animus est ad rectè & legitimè philosophandum proclivis, is sequentia veluti Effata quædam irrefragabilia priùs supponenda sibi esse persuadeat.

Philosophia est studium Sapientiæ.
Sapientiæ Universitatis est cognitio.
Rerum Universitas constat ordine.
Ordo constat priori & posteriori.

Si quis à posterioribus philosophari inceperit, is rerum pervertit ordinem, quo perverso, intellectui non aliud, nisi tenebræ & caligo supersunt. A primis ergo philosophandi tibi initium sumendum putes; non ab incognitis sed cognitis; si enim ab incognitis ordimur, omnia sequentia nobis incognita erunt. A cognitis ergo nostræ disceptationis sumamus exordia.

Cognitio omnis à mente primam habet originem; à sensibus prima sui habet incunabula,

nabula, cùm nihil ſit in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu. Inter ſenſus, uti viſus naturæ nobilitate viriumque præſtantia, & actionum dignitate princeps eſt, ita totius meritò philoſophiæ præcipua cauſa dici debet; huic individuus comes auditus, ſecundum in rebus cognoſcendis locum poſſidet; hic enim ex concordi audibilium rerum conſenſu exactam format harmoniam, ſive proportionem harmonicam, quæ omnibus ineſt rebus, tum corporeis quæ compoſitione conſtant, tum incorporeis ſecundum analogiam. Reliqui verò ſenſus, uti circa qualitates primas, ſecundas, tertias occupantur, ita ignobiliores meritò cenſentur, ad plenam tamen rerum cognitionem, neceſſarii. Sed ut ad viſum revertamur.

Lux, Lumen & Color, uti primigeniæ lucis ſemina, ita ante omnia reliqua primò cognoſcuntur; eorum ope innumeræ pateſiunt differentiæ. Primum quod mortalibus obvium fit, lux eſt & lumen; per hæc à naſcentis Mundi primordiis, homines ſublimia, media, infima conſpexerunt, conſpecta, ſunt admirati, admirando ſunt contemplati, contemplando ſunt philoſophati.

Hinc omnis ſcientiarum origo; ſenſus enim ſingularum rerum ſpecies intulerunt; primùm phantaſiæ, hæc examinandas contulit facultati æſtimatrici id eſt rationi, hæc ab omni fœce turbida expurgatas tandem eas obtulit intellectui, intellectus depuratas & ſub abſtractiori naturæ conſtitutione, in puriſſimo ſui fonte conſideratas, cauſas earum detexit, detectis iis ſcientiam condidit, quæ eſt cognitio veri, totius humanæ felicitatis finis.

Philoſophia itaque à pleriſque dividitur in Theoricam & practicam; hanc iterum vel in moralem activam, vel in effectivam aut factricem ſubdividunt. Illa contemplatur ut ſciat; altera ut agendo moralium virtutum opera efficiat; Tertia ut efficiat, faciatque, & ſub Artis nomine comprehenditur; Sub Theorica omnes ſcientiæ divinæ & humanæ, ſub Practica omnes morales, Politicæ, & factivæ diſciplinæ comprehenduntur. Nos verò ne ſub univerſali hac notione confuſas exhibeamus, eas meliori & Arti noſtræ magis congrua diviſione in certas Claſſes diſpertitas, quantum fieri poteſt, minutim ante oculos ponemus Curioſi Lectoris.

Dividitur omnis ſcientia in Divinam & humanam; Divina pro objecto ſuo DEUM habet, & Theologia dicitur, quæ uti ſub varia formalium rationum conſtitutione conſideratur, ita in varias quoque ſpecies dividitur. Humana ſcientia in varios ramos pariter dividitur: & ſunt Metaphyſica, Phyſica, Mathematica, Moralis, quæ in innumeros iterum ramos diſpeſcitur; uti ex ſequentibus patebit.

CLASSIS I.

Theologica.

Theologia, alia eſt

- *Supernaturalis*, hæc vel
  - Prophetica. Per lumen divinitus affuſum.
  - Extatica. Per exceſſivos divini amoris raptus.
- *Scholaſtica*, hæc vel
  - Thomiſtica.
  - Scotiſtica.
  - Quarum utramque in Scolis paſſim exponunt Doctores.
- *Dogmatica*, quam
  - SS. PP. per S. Scripturam & traditiones
  - Commentatores in ſacras Litteras
  - Quadruplici ſenſu exponere ſolent.
    - Literali,
    - Allegorico,
    - Tropologico,
    - Analogico,
    - Pro objecto habet verbum Dei ſcriptum & non ſcriptum.
- *Poſitiva*
  - Concionatoria. Quæ DEUM per virtutum ſtudium imitandum docet.
  - Controverſiſtica. Quæ DEO per verbum DEI ſcriptum & non ſcriptum revelato credere docet.
- *Naturalis*
  - Vera. Cujus objectum DEUS in creaturis eluceſcens.
  - Poëtica ſeu fabuloſa. Cujus objectum varii DEI effectus per divinitatem in omnia diffuſam, eluceſcentes.
- *Moralis*
  - Canonica ſive caſuum. Objectum eſt, conſcientiæ ſtatus ut ad ſalutem conſequendam dirigibilis.
  - Aſcetica. Cujus tres gradus,
    - Purgativus.
    - Illuminativus.
    - Perfectivus.
    - Ejuſque objectum, perfectio animæ ejuſque cum DEO per amorem unio.
- *Profana*
  - Hieroglyphica
    - Hermetica ſeu Ægyptiaca.
    - Platonica ejuſque Sectatorum.
    - Objectum utriuſque DEUS eſt, uti Auctor naturæ, principium, & finis omnium; de quibus vide *Syntag. XII. Tom. II. Oedipi Ægypt.*
  - Cabalica, cujus quatuor ſunt ſpecies
    - Gemura.
    - Notariaca,
    - Themura,
    - Sephirotica,
    - Quorum objectum eſt DEUS ſub obſcuro Hebraicarum literarum tegmine & involucro revelatus. De quo vide *Oedipi tom. II. Syntag. V. de Cabala Hebræorum.*

CLAS-

CLASSIS II.

Metaphysicæ partes.

Metaphysica cognoscit Axiomata prima, primasque propositiones, ut est mens seu habitus principiorum; ut verò est sapientia, denominatur, ex iis principiis certas de rebus divinis conclusiones colligit, estque triplex.

Metaphysica
- *Divina.* — DEUM ab omni materia seu physica seu metaphysica abstractum contemplatur.
- *Transcendens.* — Ea spectat, quæ abstrahunt à genere prædicamenti, licet ad genus contrahi possit; sic ens abstrahit à substantia & accidente, à spiritu & à corpore; potest enim ens substantia esse vel spiritus vel corpus, vel accidens.
- *Angelica.* — Quæ Angelicam naturam in puritate naturæ suæ constitutam à corpore longè semotam in abstracto considerat.

CLASSIS III.

Physica.

Naturalium rerum scientia dividitur in quinque potissimum partes, quarum prima.

Philosophia naturalis, est vel
- *Scholastica* seu Acroamatica — Cujus objectum est corpus mobile; naturaliumque rerum Principia, Materiam, Formam, Privationem, eorumque causas, proprietates & rationes exponit; in quantum generationi, corruptioni, incremento, decremento, atque motui locali substant.
- *Historica,* — Omnium Mundi corporum naturas & proprietates, tam animatorum quàm inanimatorum in genere & specie describit; Animalium quadrupedum, volucrum, pissium, insectorumque, uti & vegetabilis mineralisque naturæ; elementorum denique omniumque mixtorum rationes exponit.
- *Magia naturalis,* triplex est
  - Astrologia,
  - Alchimia,
  - Empyrica,

  Quæ potissimum ex Sympathia & Antipathia paulò ante memoratorum artium mirandos effectus per applicationem activorum cum passivis præstare docet.
- *Jathrica* sive Medicinalis, de qua in sequenti Classe.

CLASSIS IV.

Medica.

Jatrica sive Medicina circa naturam & proprietates humani corporis, prout sanabile est, versatur; & amplectitur totius scientiæ naturalis ambitum; cum nihil sit in naturæ inferioris Oeconomia, quod Medicus in suos usus ad humani corporis salutem non assumat; In complures ramos dividitur ut sequitur.

Phyfica, Jatrica, *five* Scientia, Medicinalis, Eft vel

- *Empyrica* five veterinaria quæ fola experientia fulta curat. Ejus partes funt.
  - *Veterinaria*, quæ in cura plantarum & animantium verfatur.
  - *Plebea*, quæ in nonnullis fecretis herbarum, metallorum, animalium confiftit.
- *Rationalis* five *Dogmatica*, omnia diligenter perfpicit, rationem experientiæ fulcit, & eft vel
  - *Etiologiftica*, quæ morborum caufas indagat, & unicuique appropriata remedia adhibet.
  - *Botanica*, quæ herbarum, plantarum, arborum, feminum, fructuum vires & proprietates indagat.
  - *Zootica*, quæ animalium fingularum partium vires & proprietates medicatrices explorat.
  - *Antropologica*, univerfam hominis naturam & conftitutionem inveftigat.
  - *Phyfiologica*, de illius elementis, humoribus, fpiritibus, temperamento, femine, fimilibufque differit.
  - *Critica*, quæ ex fignis, pulfibus venarum, coloribus, urina, fymptomatibus variis de morbi ftatu indicat.
- *Methodica* practica eft, & tota in morborum curis fe impendit, eftque vel
  - Therapeutica. Morbos præfentes curare intendit mediis fupradictis.
  - Prophylactica. Corpus ne in morbos incidat, congruas mediis præfervat.
  - Pharmaceutica. Purgationibus fubftractioni humorum fuperfluorum intendit, aut defectui eorundem fuccurrit.
- *Anatomica* totius humani corporis compagem diffolvit, eftque vel ... De
  - Myologia. — Mufculorum ductibus.
  - Ofteologia. — Offium ftructura.
  - Neurologia. — Nervorum propagatione.
  - Artereologia. — Arteriarum conftitutione.
  - Phlebologia. — Venarum ductu & correfponfu.
  - Arthologia. — Singulorum principalium 7. membrorum pofitione, natura, viribus.
- *Chirurgica* externi corporis morbos curandos fpectat, confiftitque vel in
  - Sectione, ut calculi, apoftematum, ulcerum.
  - Medicatione vulnerum quovis modo inflictorum, externique corporis membrorum læfione
- *Characteriftica.* Ex fignis extrinfecis plantarum, animalium in interioris latentis virtutis notitiam pervenit.
- *Chimica.* In metallorum mineraliumque ad morbos propulfandos præparatione, q[illegible] tis effentiis, falibus, fpiritibus fuam induftriam ponit.
- *Magica.* Quæ fignis, characteribus, amuletis, aliifque fuperftitiofis ritibus, ad morborum depulfionem utitur.

CLAS-


CLASSIS V.

Mathematica.

Mathematica ſcientia eſt, vel

- *Arithmetica.*
  - Elementaris, tradens varios Algorithmos
    - Integrorum.
    - Fractorum.
  - Regularis, continens Regulam
    - Auream, ſive proportionum.
    - Societatum.
    - Alligationis.
    - Falſi, ſive Poſitionum.
  - Logiſtica,
    - Popularis.
    - Aſtronomica ſeu Phyſica.
    - Canonica ſive Tabularis, de Sinubus Tangentibus, Secantibus, & Logarithmis.
  - Apologiſtica,
    - Principum.
    - Mercatorum.
  - Analogiſtica,
    - Progreſſionum.
    - Proportionum.
    - Combinationum.
  - Figurata de Geneſi & Analyſi
    - Polygonorum.
    - Poteſtatum.
  - Geometrica, de
    - Ineffabilibus ſeu ſurdis.
    - Incommenſurabilibus.
- *Algebra.* Cujus partes Zetetice, Poriſtice, & Exegetice
  - Laterum, Quadratorum, Cuborum. Altiorum, Graduum,
    - Purorum.
    - Affectorum.
      - Arithmeticè.
      - Geometricè.
- *Geometria,* de Magnitudinum
  - Deſcriptione, Dimenſione, Auctione & diminutione, Sectione, Transformatione, Proportione,
    - Euthymetrica.
    - Embadometrica.
    - Stereometrica.
- *Muſica.* &c. Vide pag. ſeq.

Muſica.


Muſica.
Plana ſive Choralis,
Compoſitrix.
Uſualis.
Figurata,
Compoſitrix.
Uſualis.
Muſarithmica.
Vocalis.
Inſtrumentaria.
Mixta.
Logiſtica proportionum harmonicarum.
Geometrica Monachordi diviſio.
Coſmographia. Cujus partes
Aſtrologia,
Introductoria
Canonica.
Thematica.
Judiciaria
Catholica.
Meteorologica.
Genethliaca.
Merica ſeu Particularis.
Aſtronomia, ſive Uranoſcopia,
Obſervatrix.
Syſtematica.
Sphærica.
Theorica Planetarum
Communis.
Propria.
Computatrix, cujus partes ſunt
Supputatrix,
Geometrica.
Tabularis.
Computus
Aſtronomicus.
Politicus.
Eccleſiaſticus.
Geographia,
Abſoluta.
Comparata.
Chorographica.
Graphica
Univerſalis.
Particularis.
Nautica.
Gnomonica ſive Horologiographia Sciatherica triplex,
Directa.
Reflexa.
Refracta.
Quorum ſingulis totius primi Mobilis doctrina per umbram & lucem exhiberi poteſt. Ex hiſce naſcitur Uranographia directa, reflexa, refracta; quam in Arte noſtra Magna Lucis & Umbræ tradimus.

- *Optica*, eaque vel
  - Propriè Optica, ut
    - Perſpectiva.
    - Proſpectiva.
      - Orthographica.
      - Stereographica.
      - Schenographica.
  - Catoptrica de ſpeculis
    - Planis.
    - Convexis.
    - Concavis.
    - Uſtoriis.
  - Dioptrica, ſive tractat de obſervatione, phœnomenorum Cœleſtium per tubos aliaque inſtrumenta in hunc uſum ab Aſtronomis inventa.
  - Diocatoptrica.
- *Statica*, eaque
  - Elementaris.
  - Centrobaryca.
  - Iſorropoſtatica.
  - Mechanica, quæ iterum multiplex, uti
    - Zygoſtatica.
    - Mochloſtatica.
    - Trochleoſtatica.
    - Onoſtatica.
    - Sphenoſtatica.
    - Polymechanoſtatica.
    - Seu
      - Libra.
      - Vecte.
      - Trochlea.
      - Ergata.
      - Cuneo.
  - Hydroſtatica, cujus partes
    - Bareocolymbia,
    - Bareodyſia,
    - Hydatholcia,
    - Seu de
      - Iis, quæ natant in
      - Iis, quæ merguntur in
      - Attrahendis & deducendis
      - Aquis.
  - Aëroſtatica.
  - Pyroſtatica.
  - Polymeſoſtatica.
  - Automatica.
  - Hydraulica.
  - Thaumaturga.
  - Magnetica.
  - Archetypa.
  - Angelica.
  - Mundana.
  - Cœleſtis.
  - Humana.
  - Elementaris.

- *Ichnographica.*
  - Mathematicis ſubalternantur vel iiſdem multùm indigent
    - Medicina.
    - Politica.
    - Hiſtoria.
    - Chronologia.
    - Architectonica.
    - Militaris.
    - Oeconomica.
    - Horologiographia.
    - Automatica.
    - Pictura.
    - Sculptura &c.

CLASSIS VI.

De Philoſophia Morali.

Philoſophia Moralis mores hominum in univerſum ſpectat. Si de moribus hominis ſolitarii loquitur, dicitur Monaſtica. Si de familiæ moribus, Oeconomia. Si de moribus civitatis, politica, & ſic de cæteris, quorum diviſio ſequitur.

- Ethica ſive Philoſophia morum eſt,
  - *Moralis*, alia
    - Sacra per virtutis & perfectionis ſtudium Chriſti imitationem præſcribit & propria eſt Religioſorum.
    - Alia moralis propriè, omni homini cujuſcunque conditionis convenit, & virtutum moralium ſtudium ſuadet, ex dictamine rationis, quæ propriè eſt Philoſophia Moralis, quam ex Ethnicis quoque ſectati ſunt Epictetus, Seneca, aliique.
  - *Politica*, & eſt vel
    - Monarchica. Leges docet Imperatorum Regumque ſtatui congruas.
    - Ariſtocratica. Optimatum benè beatéque peragendam adminiſtrationem præſcribit.
    - Democratica. Reipublicæ benè beatéque adminiſtrandæ formam.
    - Oeconomica. Domeſticæ privatæque familiæ benè inſtituendæ rationes dictat.
    - Polemica, ſive militaris. Leges belli docet.
  - *Juriſprudentia* continet ſub ſe
    - Jus civile. Exortas lites & diſſidia circa humanarum rerum ſtatum, juſtitiæ bilance dirimit, unicuique quod ſuum eſt, tribuit.
    - Jus Canonicum Eccleſiaſticas ſive Pontificias leges & conſtitutiones exponit.
    - Polemicum. Jura belli decernit.

CLASSIS VII.

- Scientia ſermocinatrix eſt, vel
  - *Vocalis.*
    - Grammatica. Legendi, ſcribendi, componendiq; ſtudium docet.
    - Rhetorica. Rectè & eleganter diſcurrendi exponit rationes.
    - Poëtica. Legibus poëticis quæ ſoluta erant, in verſus ſtringere docet.
    - Logica. Intellectualium operationum uti dirigibiles ſunt, artem præſcribit.
    - Dialectica. Terminos Logicæ & Syllogiſticam Artem dictat.
  - *Hiſtorica* ſunt vel
    - Chronologia.
      - Sacra, & S S. Literarum hiſtoriam, uti & Eccleſiaſticam, Vitas S S. & illuſtrium virorum ortum & & tempora in genere & ſpecie deſcribit.
      - Profana, Monarchiarum, Imperiorum, Regnorum, Rerumpub. & privatas civitatum origines exponit.
    - Geneologia.
      - Sacra, Succeſſionem & originem, propaginemque Patriarcharum.
      - Profana, Profanarum rerum, familiarumque origines deducit.
  - *Divinatoria* ſunt
    - Aſtrologia judiciaria.
      - Licita. Mutationem temporum, Nauticam, Medicinalia, & quo quævis oportuno tempore aggredi debeamus, exponit.
      - Illicita. Quæ humanæ libertati vim infert.
    - Phyſiognomia.
      - Metopoſcopia. — Ex — Fronte ſigna futurorum eventuum colligit.
      - Chiromantia. — Ex — Lineis manuum.
      - Nœvorum. — Ex — Nœvis & maculis totius corporis.
    - Sortilegia, ſuperſtitioſa.
      - Geomantia. — Ex — Punctorum temerè in chartam conjectorum ſtatu, futura colligit.
      - Pyromantia. — Ex — Igne. — Futura colligit.
      - Aëromantia. — Ex — Aëre. — Futura colligit.
      - Hydromantia. — Ex — Aqua. — Futura colligit.
      - Auguratrix. — Ex — Avibus. — Futura colligit.

Sunt & Innumeræ aliæ divinationis ſpecies, quas in primo libro recitavimus.

Artes Illiberales.

Vitriaria.	Agricultura.
Plaſtica.	
Encauſtica.	Conquinaria.
Metallaria.	Et innumeræ aliæ.

Expoſitio prædictæ Subdiviſionis in ordine ad Scientiarum conſtitutionem.

Certum eſt, omne quod eſt, eſſe vel per ſe, vel in alio.

Omne ens quod eſt per ſe, eſt vel incorporeum vel corporeum, ſive quod idem eſt, immateriale vel materiale.

Omne quod eſt incorporeum eſt vel increatum vel creatum.

Analyſis 1. Omne quod eſt increatum eſt neceſſariò per ſe, ex ſe, à ſe, infinitum, æternum, uti DEUS.

DEUS conſideratur vel ut ens ſupernaturale, vel ut naturale.

Si conſideratur uti eſt objectum ſupernaturale revelatum; naſcitur Scientia quæ Theologia dicitur; eaque ratione diverſarum formalitatum, ſub quibus conſideratur, alia & alia eſt, uti in prima Claſſe patet.

Si uti naturale objectum conſideratur, Theologiam naturalem parturit, cujuſmodi eſt illa, quam Platonicam & Hermeticam; partim etiam Metaphyſicam vocant.

Mixta eſt, quæ partim principiis revelatis, partim Metaphyſicis principiis utens, DEUM attingit, ut Theologia Scholaſtica.

Analyſis 2. Omne corporeum ſive materiale eſt vel animatum vel inanimatum.

Omne corporeum quod inanimatum eſt, ſub ſe continet, vel Cœlum, planetas, ſtellas, elementa, vel mixta tam perfecta quàm imperfecta, quorum objecta uti innumeris formalitatibus diſtincta ſunt, ita ſcientias quoque innumeras parit.

Si conſideretur Cœlum ut ſubſtantia ſive Corpus mobile, naſcitur Phyſica Cœlorum.

Si ut quantum menſuris & numeris ſubditum, naſcitur Aſtronomia.

Si in quantum variis viribus & influxibus præditum, quæ menſuris & numeris indagentur, naſcitur Aſtronomia judiciaria.

Si prima quatuor principia ſive elementa naturæ conſiderat, naſcitur Stæchejologia, quæ circa quatuor elementa eorumque tum primas tum ſecundas & tertias qualitates potiſſimùm diſcutiendas occupatur.

Si in quantum circa mixtorum imperfectorum originem verſatur, naſcitur Meteorologia.

Si in quantum mixtum perfectum in ſua principia reſolubile, tum naſcitur Chimia, ſive Mineralium, Metallorumque ſcientia.

Si verò in quantum corpus animatum eſt, conſideretur, naſcetur ſcientia, quæ Botanologia ſive plantarum herbarumque cognitio dicitur.

Si ut ſenſitivum, tum naſcetur ſcientia, quæ Zoologia, ſive quæ de animalibus eſt, eorumque affectiones, proprietates, vires, uſuſque exponit, & quadruplex eſt ſcientia. { Quadrupedum. Volatilium. Natatilium. Inſectorum. }

Si verò corpus animatum ſenſitivum ut rationale conſideratur, tum naſcitur ſcientia, quæ Anthropologia dicitur.

Anthropologia duplex eſt, Theorica & Practica; Illa principia tum interna ab intellectu & ratione emanantia, tum externa, quæ à ſenſibus dependent, contemplatur, & partim Logicam, partim Metaphyſicam, partim Phyſicam ſibi vendicat. Practica eſt, quæ hominem uti per præcepta moralia dirigibilem ſpectat; & inde profluit Philoſophia moralis ſive Ethica.

Ethica vel publicum bonum ſpectat, & inde emanat ſcientia politica, & eſt vel Monarchica, vel Ariſtocratica, vel Democratica, vel Reipublicæ, vel Oeconomica; quorum omnium finis eſt ſalus publica & felicitas in ſuo quæque ſtatu.

Vel privatum hominis, uti per virtutum moralium ſtudium dirigibilis ſtatum conſiderat, & Ethica propriè dicitur.

Sermocinatrix, quia ante omnia legendi ſcribendique præcepta tradit, inde naſcitur Grammatica. Si verò appoſitè conſtructionem rerum aſſumptarum in numeros colligat, naſcitur Poëſis; Si ad perſuadendum aptè diſponit, naſcitur Rhetorica, Ars bene dicendi. Si denique eadem ad rectè de quavis re diſcurrendum utatur, naſcitur Dialectica.

Iterum vel conſiderat hominem in quantum variis infirmitatibus ſubjicitur, & uti eſt ſanabilis, & naſcitur Jathrica ſive Medicinalis ſcientia, quæ omnes ſupradictas ſcientias naturales ſui juris facit; Siquidem ad corpus humanum conſervandum applicat influxus Cœleſtes, & oportunum remediis adhibendis tempus, elementarem corporis ſanandi conſtitutionem ſive temperamentum examinat; deinde activa paſſivis applicando deſideratum ſanitatis portum ingreditur; Itaque dum quis herbarum ſcientiâ utitur, Botanicus

nicus dicitur; Si mineralium plantarumque extractis, Chimicus. Dum fabricam tum internam tum externam humani corporis explorat: Anatomicus: Si compoſitioni Medicinalium unicè intendit, pharmocopæus: Denique ſi externas tantùm corporis infirmitates conſiderat, Chirurgus dicitur.

Vides igitur quomodò ex diverſis formalitatibus unius ſubjecti, quod eſt corpus phyſicum, diverſæ naſcantur ſcientiæ.

Analyſis. Omne corpus naturale conſideratur, ut quantitate affectum vel continua vel diſcreta.

Si affectum quantitate continua, naſcetur Geometria; quæ iterum triplex eſt; Nam ſi verſatur circa altitudines, longitudines & latitudines metiendas, Grammometria dicitur; Si circa longum & latum ſive ſuperficies, Embadometria ſeu planimetria; Si circa longum, latum & profundum, Stereometria appellatur.

Si ut affectum quantitate diſcreta, tunc naſcitur Arithmetica, quæ ut ex Claſſe ejus patet, varia & multiplex eſt.

Iterum ſi corpus quantitate affectum conſideratur ut ſonorum, naſcetur Muſica, quæ eſt ſcientia numeri ſonori.

Si verò corpus quantum ſub ratione viſibilium ſpecierum attingitur, naſcitur Optica vel Perſpectiva, quæ triplex eſt: { Directa. Reflexa. Refracta.

Si ut grave & ponderoſum, inde naſcitur Statica; quæ uti ex Claſſe patet, iterum varia & multiplex eſt.

Si denique uti in varios uſus humanos cadere poteſt, inde naſcentur Mechanicæ Artes; quæ tam variæ ſunt, quàm varia eſt tam liberalium quàm illiberalium artium cultura; quæ tamen omnes, ut poſtea dicetur, principia ſua ex prædictis ſcientiis deducunt.

Demum omnes hæ ſcientiæ reales utuntur ſcientia accidentium, quæ ſunt entia in alio ſive adhæſiva & inhæſiva alteri, quæ nobis præbent novem prædicamenta accidentalia, & ſunt principia omnis operationis; de quibus in primo libro fuſè dictum eſt.

CAPUT II.

De principiis diſciplinarum applicabilibus ad Artem noſtram.

DUo ſunt humanarum actionum principia, Cognitio & Appetitus; Illa rem percipit qualis ſit; hic eandem cognitam aut ſectatur aut fugit.

Cognitio ita fit; primò *objectum* movet ſenſum, ut pulchritudo viſum, ſonorum auditum, dulce guſtum, ſuave odoratum; molle aut durum, tactum.

Quomodo fiat cognitio. Secundò communis *ſenſus* ea, quæ externis ſenſibus offeruntur, excipit, & judicat excipiendo.

Tertiò *phantaſia* ſimulacra rerum ſenſibilium format & fingit.

Quartò *memoria* excepta phantaſmata fideliter ceu theſauraria retinet.

Quintò *Appetitus* ſequitur cognitionem ſenſitivi ſeu animalis, quatuor illis gradibus conſtantem, quia vel objecta ſenſuum conſectatur, vel ea fugit & aſpernatur, & niſi coerceatur, erroribus obnoxius eſt: Eſt enim vehiculum imaginum, quo ab uno ſenſu ad alium ſpecies transfvehuntur, uti ab aure aut oculo ad ſenſum communem, ab hoc ad phantaſiam, à phantaſia ad memoriam. Et quoniam intellectus immaterialis, corporeæ imaginis incapax eſt; hinc ſpecies ſenſibiles ſeu phantaſmata à ſua corporeitate, antequam in intellectu recipiantur, depurare oportet: Non poteſt autem corporeæ imaginis phantaſma defœcare ſeipſam; ſi non per ſeipſam, ergo ab alio, qui non eſt alius, quàm intellectus, qui duplex eſt, Agens & Patiens. Agens facit intelligi & intelligere; Patiens & intelligit & recipit intelligibilia. Si Agens facit intelligi & intelligere, ergo & ſpecie ſenſibili faciet ſpeciem intelligibilem. Intellectus agens.

Occupatur ergò circa phantaſma juxta illud: Sapientem oportet phantaſmata ſpeculari. Quod dum fit, illud ſua exuit corporeitate, & ad ſpiritualis lucis ſplendorem excitat & evehit; non ſecus ac lux externa colores illuſtrat, eoſque actu viſibiles facit, qui antea viſibiles erant tantùm in potentia: Hæc defœcatio à philoſophis dicitur abſtractio; quæ juxta diverſitatem ſcientiarum varia eſt.

Intellectus verò patiens rem intellectam judicat. Hinc res in quantum intelligibilis, dicitur objectum intellectus Agentis; in quantum intellecta Patientis; quum verò Agens jungitur Patienti intellectui, tunc dicitur intellectus adeptus. Intellectus Patiens.

Sunt proinde cognitionis intellectivæ tres gradus, & à Logicis tres operationes intellectus appellantur. 3. Gradus cognitionis.

Primus gradus eſt apprehenſio notionum

ſimplicium, quas ſicuti intellectus patiens recipit, ita agens tractat & apprehendit; primò quidem ſingulares, deinde univerſales, ac inde formæ eliciuntur.

Secundus gradus eſt compoſitio & diviſio notionum, in qua eſt veritas vel falſitas, ſive affirmatio & negatio; componenda autem ſunt conſentanea, diſſentanea dividenda.

Tertius gradus eſt Ratiocinatio ſeu diſcurſus, qui eſt illativus in Inductione & Syllogiſmo, vel ordinativus in Methodo.

Appetitiva vis. Quoniam verò intellectiva vis ſine appetitiva nihil exequitur; hinc voluntatem, qui appetitus rationis eſt, ſemper eum concomitari neceſſe eſt; utpote ſine qua ad agendum non impelleretur; cujus ſeptem gradus ſunt: ut ſequitur.

7 Gradus appetitivæ facultatis.

Primus eſt *Voluntas* finis, ſeu ejus rei quam volumus, & βȣ́λησις Græcis dicitur, ſeu volitio.

Secundus dicitur à Philoſopho ζήτησις ϗ σκέψις. Inquiſitio & Conſideratio, qua ad id, quod neſcimus, cognoſcendum impellimur.

Tertius βȣλὴ dictus, & eſt conſilium, quo deliberamus, an rem aggredi conveniat, an non.

Quartus γνώμη ſeu ſententia, qua id, quod affectamus, & probamus, judicio noſtro approbamus.

Quintus προαίρεσις, & dicitur delectus, quo id quod melius eſt, eligimus, & electio quoque dicitur.

Sextus ὁρμὴ ſive profectio dicitur, & eſt inſtar ſtimuli, quo ad agendum & proſequendum incitamur.

Septimus eſt χρῆσις ſive uſus, quo in re, quam appetivimus, cognita, veluti bono adepto quieſcimus, ſive qui eſt finis cognitionis.

His itaque gradibus ad ſapientiæ apicem aſcendimus; In quo intellectui ſeſe varia objecta offerunt; quorum primum eſt, Liber naturæ. Liber naturæ eſt Mundus, Mundus vel magnus vel parvus; uterque Mundus dicitur principium cognoſcendi objectivum, ſicuti intellectus recipiens ſubjectivum; effectivum verò quod facit, ut ſubjectum poſſit recipere objectum; Eſt enim Mundus teſte Sancto Baſilio nihil aliud, quàm DEI Optimi Maximi Schola, in qua Homo diſcipulus, Cœlum codex, Terra ſuggeſtus, Microcoſmus inſtitutiones, ſingulæ partes ſinguli libri, partium partes ſingulæ, capita. Atque adeò in omnibus diſciplinis hæc tria conſideranda ſunt, ſubjectum, objectum & media: Et objectum quidem & ſubjectum jam explicatum eſt, reſtat ut & media exponamus.

Mundus Liber Naturæ.

Media in Arte noſtra ſunt notitiæ, quæ ſunt regulæ de rebus, in quantum ſunt cognitæ; Siquidem nihil eſt in intellectu, quod non priùs fuit in re cognita præexiſtente.

Notitiæ ſunt vel primæ, vel ſecundæ, illæ dicuntur principia, hæ concluſiones; quicquid enim in diſciplinis occurrit, id vel principium eſt, vel concluſio.

Principium eſt notio prima, quæ per ſe nota, probatione pro ſe non eget, ſed quo omnis cognitio aliorum principiorum probatione egentium regitur, eſtque primum in ordine cognitionis, ante quod nil tale eſt, & ad quod omnia principia ſequuntur, & in id reſolvuntur. Principia.

Eſt autem principium vel coëſſentiale, vel incomplexum, vel complexum; immediatum vel mediatum; Theoricum vel practicum aut factivum; vel tandem innatum & acquiſitum. Singula exponamus.

Lullus ponit in Arte ſua tria principia coëſſentialia, quæ vocat, Ivum, bile, are, vel io. Vocantur principia coëſſentialia, quia ipſiſſimam cujuſque rei eſſentiam conſtituunt; de quibus in primo libro ex profeſſo actum; & Ivum quidem notat potentiam activam; *Verbi Gratia:* DEUS ab æterno fuit creativus, non autem creator actu; Homo verò fuit ab æterno creabilis; Bile enim notat potentiam paſſivam; Are verò denotat ipſum actum creationis, quo creativum fit creans, & creabile creatum; hinc creatio eſt activa vel paſſiva; una nempe eademque actio hoc pacto dividitur reſpectu termini à quo, ad quem: atque adeò omnia entia conſtant hiſce coëſſentialibus principiis; ſed de hiſce in ſequentibus plura. Conſiderantur autem hæc principia coëſſentialia in omnibus principiis incomplexis & abſolutis.

3 Principia Lulliana tivum, are, bile, coëſſentialia.

Incomplexum principium prima & ſimplex rerum notio, ut ens, unum, verum, bonum, & in Arte noſtra omnia principia abſoluta.

Complexa verò principia ſunt compoſita ex pluribus terminis; ut totum eſt majus ſua parte. Varia principiorum ſumptio.

Immediatum principium eſt illud, quod ex ſe & ſua natura eſt indemonſtrabile. Mediatum verò, quod ex immediatis ſua haurit demonſtrationis principia; vocatur & à Philoſophis immediatum ſive innatum Theoricum, ſicuti mediatum practicum & acquiſitum; illud ſciendorum, hoc agendorum regula dicitur; ſicuti factivum regula eſt efficiendorum.

Ens itaque eſt primum principium incomplexum theoricum; eſt primum, quia eſt irreſolubile; eſt irreſolubile, quia commune; eſt commune, quia omnibus innatum, & na-

& naturæ lumine cognitum, & quia naturæ lumine cognitum est, & ex se & per se notum; ut quodlibet est vel non est; ideò immediatum quoque dicitur, utpote cui medium per quod demonstretur, non datur; & quia primum immediatum, irresolubile, commune, ideò omnes scientiæ de ente tractant; Theologia enim de ente summo & absoluto supernaturali: Metaphysica de ente summo, uti ratione attingitur. Physica de ente ut mobili. Arithmetica, ut numerabile. Geometria ut mensurabile, & sic de cæteris, tractant.

CAPUT III.

De Principiis incomplexis mediatis, in quantum applicabilia sunt Arti nostræ.

PRima principia incomplexa immediatè sunt ens & bonum; principia verò incomplexa mediata sunt attributa entis & boni. Hæc attributa sunt vel subjecta vel prædicata, vel quæstiones. Hinc non sine ratione Lullus, quem nos interpretamur, omnium disciplinarum principia digessit, in novem subjecta universalia, totidemque prædicata tum absoluta, tum respectiva, & quæstiones.

Subjecta Artis nostræ, ut jam sæpè sæpius dictum fuit sunt novem: △ ◎ □ ⬠ ⁝⁝

△ sive DEUS est principium omnis boni. Angelus principium boni est, proximè DEO subserviens. ◎ Cœlum est principium boni influens in inferiora proportionaliter. □ sunt principium boni mixtorum constitutiva. est principium boni humanitatis constitutivum. est principium boni naturæ sensitivæ constitutivum. est principium boni, quo vegetabilia vivunt. ⬠ est principium boni, quo mineralia & metalla sunt id, quod sunt.

Prædicata absoluta sunt novem: B. M. D. P. S. V. V. V. G. totidemque respectiva: =. ♡. o●. α. ⊙. ω. M. Æ. Min. Quæ hoc pacto definiuntur à Lullo.

B. *Bonitas* est id, cujus ratione ens producit bonum, quod appetit.

M. *Magnitudo* est id, ratione cujus bonitas & reliqua principia sunt magna.

D. *Duratio* est id, ratione cujus, Bonitas, Magnitudo, & reliqua principia durant & permanent.

P. *Potentia* est id, ratione cujus reliqua principia B. M. D. agunt.

S. *Sapientia* est id, ratione cujus sapiens B. M. D. P. &c. intelligit & cognoscit.

Vo. *Voluntas* est, ratione cujus B. M. D. P. S. sunt amabilia & desiderabilia.

Vi. *Virtus* est origo unionis B. M. D. P. S. Vo. cæterorumque principiorum.

Ve. *Veritas* est, ratione cujus B. M. D. P. S. Vo. Vi. vera sunt.

Gloria est, in qua ceu fine B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. delectantur & quiescunt. G.

Differentia est, ratione cujus principia absoluta sunt clara & inconfusa. =.

Concordantia est, ratione cujus principia in uno pluribusve concordant. ♡.

Contrarietas est quorundam mutua resistentia propter contrarios fines. o●.

Principium est id, quod ad reliqua se habet ratione alicujus prioritatis. α.

Medium est id, quod naturam utriusque extremi participat. ⊙.

Finis est id, in quo principium quiescit. ω.

Majoritas est id, per quam B. M. D. &c. principia sunt excellentiora. M.

Æqualitas est id, per quod unum principium alteri æquale est. Æ.

Minoritas est, per quam unum principium inferius est altero. Min.

Quæ si per Enneadem Erotematicam examinentur, innumerarum mox exurget conclusionum multitudo.

Atque hæc sunt principia illa generalia Artis nostræ, in quibus uti particularia in universalibus, ita in hisce omnium aliorum principiorum particularium, principia implicitè continentur, eruunturque per applicationem, dum particularia generalibus, veluti partes toti adaptantur; siquidem omnes bonitates ad unam bonitatem; omnes magnitudines ad unam magnitudinem generalem, & sic de cæteris, reducibiles sunt.

Omnes itaque propositiones circa novem subjecta universalia factæ in Ens ultimatè resolvuntur; ultra quod nihil restat considerandum, quemadmodum ex sequentibus Combinationibus patet, quas in novem Columnas distribuimus, juxta naturæ scalem ita dispositas, ut primus terminus majoris propositionis semper unum ex novem universalibus subjectis sit subjectum, & medius propositionis terminus prædicatorum rationem habeat, ex quibus semper infallibiles conclusiones inferuntur, ut sequitur.

Typus

Typus reſolutionis rerum in primum principium Theoricum incomplexum, quod ens eſt metaphyſicè conſideratum.

Reſolutiones.	*Compoſitiones.*	△	☁	◎	□	🧍
8.	1.	DEUS.	Michaël, Gabriël, Raphaël.	Sol. ☾ ☿ ♀ ♂ ♃ ♄	Ignis, aër, aqua, terra.	Petrus.
7.	2.	Unum, principium.	Angelus.	Aſtrum.	Elementum non ſimplex. Ergo elementatum.	Homo.
6.	3.	Verum.	Spiritus.	Mobile.	Compoſitum ex Cal. Frig. Hun. Sicc.	Animal rationale.
5.	4.	Bonum.	Eſſentia ſimplex.	Compoſitum.	Corpus materiale.	Compoſitum.
4.	5.	Eſſentia.	Incompoſita.	Corpus inſenſitivum.	Corpus inſenſitivum.	Mixtum ſenſitivum.
3.	6.	Natura.	Incorporea.	Corpus inanimatum.	Corpus inanimatum.	Corpus vitale.
2.	7.	Subſtantia.	Subſtantia.	Subſtantia naturalis.	Subſtantia naturalis.	Subſtantia.
1.	8.	Ens.	Ens.	Ens.	Ens.	Ens.

🦁	🌳	⬠	⁞⁞
Leo.	Arbor.	Marmor.	Accidens.
Animal irrationale.	Planta.	Lapis.	Quantitas.
Compoſitum.	Compoſitum.	Compoſitum.	Extenſiva.
Mixtum perfectum.	Mixtum.	Mixtum.	Menſurabilis.
Corpus ſenſitivum.	Corpus inſenſitivum.	Corpus inſenſitivum.	Inſubſiſtens per ſe.
Corpus animatum.	Corpus animatum.	Corpus inanimatum.	Corpus afficiens.
Subſtantia.	Subſtantia.	Subſtantia.	Subſtantiæ additamentum.
Ens.	Ens.	Ens.	Ens totum in alio.



Ἀνάλυσις ſeu *Reſolutio.*

Si DEUS eſt, ergo ens eſt per ſe.
Si ens eſt per ſe, ergo ſubſtantia.
Si ſubſtantia, ergo operatur.
Si operatur, ergo eſſentia.
Si eſſentia, ergo bonum.
Si bonum, ergo verum.
Si verum, ergo unum.
Si unum, ergo ens.

Compoſitio.

Si ens eſt, ergo unum eſt.
Si unum eſt, ergo verum eſt.
Et verum eſt, quia bonum eſt.
Et bonum eſt, quia eſſentia eſt.
Et eſſentia eſt, quia operatur.
Et operatur quia ſubſtantia eſt.
Et ſubſtantia eſt, quia ens eſt per ſe.





Σύνθεσις ſeu *Compoſitio.*

S. Michaël eſt, ergo Angelus eſt.
Sed Angelus eſt, quia ſpiritus eſt.
Spiritus eſt, quia eſt eſſentia ſimplex per ſe.
Et eſſentia ſimplex eſt, quia incompoſita phyſicè.
Incompoſita eſt, quia incorporea eſt.
Incorporea eſt, quia ſubſtantia immaterialis.
Subſtantia immaterialis eſt, quia ens eſt immateriale per ſe ſubſiſtens.

Reſolutio.

Si ens immateriale per ſe ſubſiſtens, ergo incorporeum.
Si hoc, ergo incompoſitum.
Si hoc, ergo eſſentia ſimplex per ſe ſubſiſtens.
Si hoc, ergo ſpiritus eſt.
Si ſpiritus eſt, ergo Angelus eſt.
Sed S. Michaël eſt ſpiritus, ergo & Angelus.



Compoſitio.

Si Sol eſt, ergo aſtrum eſt.
Si aſtrum eſt, ergo mobile corpus eſt.
Si mobile corpus eſt, ergo ex materia & forma compoſitum.
Si compoſitum, ergo & corpus quantum eſt.
Si corpus quantum, ergo inſenſitivum.
Si hoc, ergo inanimatum.
Si hoc, ergo ſubſtantia naturalis.
Si hoc, ergo ens eſt actuale.

Reſolutio.

Si Sol ens eſt actuale, ergo ſubſtantia eſt naturalis infimi naturæ gradus.
Et hoc, quia inanimatum.
Et quia inanimatum, erit & inſenſitivum.
Et quia inſenſitivum, erit corpus quantum trina dimenſione compactum.
Et quia hoc, erit & compoſitum ex materia & forma.
Et quia hoc, ideò corpus mobile.
Et hoc, quia aſtrum.
Et aſtrum, quia Sol.



Compoſitio.

Si Petrus eſt, ergo homo eſt.
Si hoc, ergo animal rationale.
Si hoc, ergo compoſitum.
Si hoc, ergo mixtum ſenſitivum.
Si hoc, ergo animatum.
Si hoc, ergo ſubſtantia.
Si hoc, ergo ens eſt.

Reſolutio.

Si Petrus ens eſt, ergo ſubſtantia.
Et quia ſubſtantia eſt, ergo corpus animatum.
Et quia animatum, ergo ſenſitivum.
Si ſenſitivum, ergo compoſitum ex materia & forma rationali.
Et quia hoc, ideo eſt animal rationale.
Et quia hoc, ideo homo.
Petrus ergo homo eſt.



Compoſitio.

Si Leo eſt, ergo erit animal irrationale.
Si irrationale, ergo compoſitum.
Si hoc, ergo erit mixtum ſenſitivum.
Si hoc, ergo animatum.
Si hoc, ergo ſubſtantia.
Si hoc, ergo ens eſt.

Reſolutio.

Et quia Leo ens eſt, ergo ſubſtantia eſt.
Et hoc, quia corpus animatum.
Et quia hoc, ergo ſenſitivum.
Et quia hoc, ergo compoſitum ex materia & forma.
Et quia hoc, ideo animal irrationale.
Leo ergo animal eſt irrationale.

Hæ Reſolutiones & Compoſitiones hoc pacto ad Syllogiſticam formam reducuntur.

EXEMPLUM I.



Si DEUS eſt, ergo unum & primum eſt. Hypotheſis.
Si unum non eſſet nec primum, ergo ante illum aliud eſſet. Demonſtratio.
Sed ante DEUM aliud non eſt.
Ergo DEUS unum & primum eſt.
Si DEUS eſt ens unum & primum, ergo ſubſtantia eſt. Hypoth.
Si enim ſubſtantia non eſſet, ergo nec ens unum & primum eſſet. Demonſt.
Sed ex præcedenti DEUS eſt ens unum, primum.
Ergo & ſubſtantia eſt.
Si DEUS ſubſtantia eſt, ergo operatur, & quidem actus purus eſt. Hypoth.
Si DEUS non operaretur, ergo hoc, quia non vellet, vel quia neſciret, aut non poſſet. Demonſt.
Sed hæc omnia impoſſibilia ſunt.
Ergo DEUS operatur.

Hypoth. Si DEUS operatur, ergo essentia est, quia ab essentia profluunt vires.

Demonst. Si DEUS non est essentia, ergo neque bonus.

Sed DEUS bonus est. Ergo essentia est.

Hypoth. Si DEUS bonus est, ergo verus est.

Demonstr. Si enim verus non esset, neque bonus esset.

Sed DEUS bonus est ex præcedenti, ergo verus.

Hypoth. Si DEUS verus est, ergo unus est.

Demonst. Si DEUS unus non esset, neque verus esset.

Sed verus est, ergo unus est. Si unus, ergo ens est.

EXEMPLUM II.



Petrus est homo.

Demonstr. 1. Omnis homo est animal.
Petrus est homo. Ergo est animal.

2. Omnis homo est compositum ex materia & forma.
Petrus est homo. Ergo est compositum physicum ex materia & forma.

3. Omnis homo est corpus mixtum.
Petrus est homo. Ergo corpus mixtum.

4. Omnis homo est corpus sensitivum.
Petrus est homo. Ergo est corpus sensitivum.

5. Omnis homo est corpus animatum.
Petrus est homo. Ergo est corpus animatum.

6. Omnis homo est substantia naturalis.
Petrus est homo. Ergo est substantia naturalis.

7. Omnis homo est ens actuale.
Petrus est homo. Ergo ens est actuale.

Resolutio.

Si non est ens, ergo non est substantia; sed ens est, ergo substantia.

Si non est substantia, ergo non est corpus animatum; sed est corpus animatum. Ergo.

Si non est corpus animatum, ergo neque sensitivum; sed est corpus animatum; Ergo sensitivum.

Si non est sensitivum, ergo neque compositum; sed est compositum ex materia & forma. Ergo.

Si non est compositum, ergo neque animal; sed est animal; Ergo & compositum physicum.

Si non est animal, ergo non erit homo; sed sed animal est, Ergo homo est.

Si non est homo, ergo Petrus non erit Petrus, quod impossibile est. Petrus ergo est homo.

EXEMPLUM III.



Rosa est planta.

1. Omnis planta est animata.
Rosa est planta. Ergo animata.

2. Si enim animata non esset, non esset vegetabilis.
Sed rosa est vegetabilis. Ergo animata.

3. Omnis planta est compositum physicum.
Rosa est planta. Ergo est compositum.

4. Omnis planta est corpus mixtum.
Omnis rosa est planta, ergo corpus mixtum.

5. Omnis planta est corpus vitale.
Omnis rosa est planta. Ergo corpus vitale.

6. Omnis planta est substantia.
Omnis rosa est planta. Ergo substantia.

7. Omnis planta est ens.
Rosa est planta; ergo est ens.


Resolutio.

Si non est ens, ergo neque substantia. Si non est substantia, ergo neque vivens. Et sic de cæteris usque ad initium.

Posuimus hîc tria paradigmata, ex quibus luculenter patet, quomodò tum per argumentationes Synthetico-analyticas, tum per Syllogisticas, omnia subjecta universalia, vel ad illa reducibilia in ens tandem resolvantur; estque methodus pulcherrima, & ad differendum de quacunque re aptissima; ita ut servatis naturæ gradibus, veluti per scalam quandam, ex imo ad summum per Synthesin, & ex summo per media ad infimum per Analysin, de quacunque proprosita quæstione nullo negotio amplissimè ratiocinari possimus; non uno modo, sed prorsus innumeris, ut in sequentibus apparebit. Verùm ne tot Syllogismos convolvere cogamur; quomodo id Artista vel per simplicissimos terminos assequi possit, sequenti typo docemus.

Numerus 1. notat majorem. 2. Minorem. 3. Conclusionem.

Exem-



Vides in hoc typo tot Syllogiſmos contineri, quot ſunt gradus naturæ intermedii; Medium verò in tribus hiſce exemplis eſt, Homo, Angelus, lapis. *V. G.* in primo Exemplo: Omnis homo eſt animal. Socrates eſt homo. Ergo Socrates eſt animal. Syllogiſmus eſt in Darii, cujus propoſitio major notatur per 1. Minor per 2. Concluſio per 3. & hoc pacto procedendo juxta ductus linearum, habebis octo Syllogiſmos, donec tandem, quod propoſitum erat, totum ratiocinium reſolvatur in Ens, ultra quod nihil reſtat demonſtrandum. Quicunque igitur hoc pacto quæſtionem de quacunque re propoſita diſpoſuerit, is ſtatim eam ſine difficultate per Syllogiſmos ex infimo uſque ad ſupremum deductos in id, quod in natura rerum ultimum eſt, reſolvat; quod non ſolùm novem ſubjectis univerſalibus competit, ſed & omnibus, quæ in iis implicitè continentur. In phyſicis quidem ab individuo ſpeciei ordiendo. In moralibus & politicis à particulari aliqua virtute initium ſumendo. *V. G.* Omnis virtus eſt bona, amabilis, appetibilis, magna potens, inhæſiva ſubſtantiæ, accidens, ens in alio. Sed juſtitia eſt virtus. Ergo bona, amabilis &c. Sed hæc ulterius Lectori evolvenda relinquimus.

CAPUT IV.

De principiis lumine naturæ notis, ſive de dignitatibus Scientiarum.

PRincipium diſciplinarum primum id eſt, unde principiatum oritur, quod quidem aliud non eſt, quàm DEUS Opt. Max. fons omnis ſapientiæ & cognitionis principium independens.

Catena terminorum.	Si independens, ergo à ſe, ex ſe, per ſe, in ſe; ergo primum, ante quod nihil.
Abſolutum.	Si abſolutum; ergo perfectum.
Perfectum.	Si perfectum, ergo ſufficientiſſimum.
Sufficiens.	Si ſufficientiſſimum, ergo indeficiens.
Indeficiens.	Si indeficiens, ergo immutabile.
Immutabile.	Si immutabile, ergo Lex æterna.
Lex æterna.	Si Lex æterna, ergo menſura omnium.
Menſura omnium.	Si menſura omnium, ergo regula omnium.
Regula omnium.	Si regula omnium, ergo omnis ſapientia, ſcientia, cognitio à DEO eſt.
	Si à DEO eſt, ergo participata eſt.
	Si à puro principio eſt, ergo principiata eſt.

Ergo omne principium cognoſcendi immediatè à primo ortum eſt principio, omnibus ſcientiis commune. Quod per analyſin ita oſtendo.

Si principium cognoſcendi eſt omnibus commune ſcientiis;

Ergo erit omnium ſcientiarum regula.

Si hoc, ergo menſura omnium.

Si hoc, ergo æternæ veritatis.

Si æternæ veritatis, ergo immutabile.

Si hoc, ergo indeficiens, perfectum, abſolutum, à nullo niſi à quo profluxit principio dependens; qui eſt DEUS Opt. Max.

Unde patet, omne principium eſſe vel:
- Independens vel dependens.
- Incomplexum vel complexum.
- Immediatum vel mediatum.
- Theoricum vel practicum.

Independens eſt, à quo omnia, & ante quod nihil. Dependens eſt, quod ab alio dependet.

Incomplexum eſt, quod ſimplici notionis apprehenſione concipitur; ut unum, ens, verum, bonum. Complexum eſt, quod ſecundâ mentis reflexione concipitur: ut omne bonum eſt amandum.

Immediatum eſt, quod uti lumine naturæ notum eſt, ita indemonſtrabile eſt, utpote cui nihil intermediet. Mediatum verò eſt, quod medium habet, per quod demonſtrari poſſit.

Theoricum eſt, quod ab intellectu primùm concipitur, uti ens. Practicum, quod ab intellectu propoſitum, voluntate appetitur, ut bonum.

Proprietates & affectiones principiorum.

Primò. Omne principium eſt prius ſuo principiato; & intelligitur de omnibus principiis naturalibus & ſupernaturalibus.

Si prius eſt ſuo principiato, ergo quicquid cognoſcitur, id in ſua principia reſolvi neceſſe eſt.

Et hoc, quia quælibet res creata reſoluta ſecundùm ſuum eſſe quod habet, cognoſcitur: Sicuti enim ſe habet res ad eſſe, ſic ſe habet ad cognoſci: Sed omnis res creata ſuum eſſe habet per principia; Ergo per principia cognoſcitur.

Unde ſequitur, quod cognitionis certitudo ex certitudine principiorum dependeat.

Si hoc, ergo diverſarum ſcientiarum cognitionumque diverſa ſunt principia. Et hoc.

Quia res quælibet, uti diſtinctam habet unitatem ab alia, ita quoque & principium habet diſtinctum.

Si ſingulæ res diſtinctum habent principium, ergo ejuſdem rei plura non aſſignari debent principia; tum in totalibus & adæquatis non ſibi ſubordinatis principiis, tum in eodem genere cauſandi occurrentibus.

Fruſtra enim fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora.

Principium cujuſlibet rei minimum eſt initio, maximum in fine; mole parvum, virtute magnum. Secundò.

Inductione probatur.

Semen mole parvum, virtute magnum; in arborem enim excreſcit. Parva ſæpè ſcintilla magnum excitavit incendium. In Phyſica.

Ergo minimus error in principio, magnus eſt in fine.

Confirmatur.

In Aſceticis minimam cogitationem irrepentem excipit fortis imaginatio, hanc ſequitur conſenſus & delectatio; per hanc hoſtis ingreſſus, animam, peccato proſtratam ſui juris facit.

In Medicis: principiis obſta, ſerò medicina paratur.

In Speculativis: poſito uno abſurdo, ſequuntur multa alia.

Sicuti enim ex principiis veris vera naſcitur propoſitio, ita ex falcis falſa.

Omne principium noſci debet per terminos ſuos. Tertiò.

Ergo non cognitis terminis, principium non cognoſcitur.

Ergo per ſe notum eſſe debet.

Si per ſe notum eſſe debet, ergo per ſe fidem habet.

Sed fidem per ſe habere non poteſt, niſi cognoſcantur.

Non cognoſcuntur, niſi ſenſu, experientiâ, uſu, conſuetudine.

Hoc autem ideò, quia nihil eſt in intellectu, quod prius non fuit in ſenſu.

Sunt enim ſenſus veluti feneſtræ quædam animæ, per quas anima imbuitur innumeris rerum ſpeciebus, intellectuſque phantaſmata ſpeculando omnia fit.

Sicuti omnes ſcientiæ proprium objectum habent, ita & principia propria, quæ tanquam vera ſupponuntur, quibus in propoſitionibus demonſtrandis utuntur. Ut, Quartò.

Natu-

Natura eſt principium motûs & quietis; quo veluti principio definitivo Phyſici utuntur, ad concluſiones ſcientificas de corpore mobili Phyſico deducendas.

Quintò. Sunt verò principia quædam prima, immediata & communia, quibus omnes ſcientiæ utuntur; ſunt enim veluti elementa quædam omnium propoſitionum & demonſtrationum; & Axiomata ſive dignitates appellantur;

Ex quo patet, omnem ſcientiam virtute contineri in ſuis principiis, ſicut effectum in ſua cauſa.

Item principium in ſpeculativis ſe habere, uti finis ſe habet in practicis.

Unde contra negantes principia non eſt diſputandum; ſublatis enim principiis, omnis tollitur cognitio & veritas.

Principia verò omnium Artium & ſcientiarum, in quantum Artis noſtræ principiis applicari poſſunt, in II. Tomo, ſingulis ſcientiis reſervantur, ut proinde eò Lectorem remittamus.

LIBRI QUINTI,

Tomus Alter.

De Arte Analytico-ſynthetica,

SIVE

De Compoſitione & Reſolutione rerum.

CAPUT I.

Quidnam ſit, & in quo conſiſtat Synthetica & Analytica Ars.



Rs Analytica nihil aliud eſt, quàm methodus quædam; qua ex principiis poſitis veluti ex centro ad circumferentiam ferimur continuata terminorum aſſumptorum unius ex altero illatione ad veritatem tandem propoſitæ quæſtionis eruendam. Synthetica verò Ars illa dicitur, quòd, quæ Analytica ab infimis per media ad ſupremum, ſive à circumferentia ad centrum continuo mentis aſcenſu reſolverat, hæc reſoluta aptè componat, donec ex latitudine quadam longè latèque diffuſa, ſingulas rerum rationes colligendo, ſuo tandem poſtliminio reſtituatur centro, unitati, principio; hoc enim modo, uti à rudi primum cognitione ad determinatam alterius proficiſcimur, qua peracta denuò reverſi in circulum indefinita prius cognitionis principia propius intuemur, ita ex obſcura totius negotii ſyntheſi rectè in plenam analyſin ſeſe mens noſtra diffundit, unde rurſum in orbem obliquata ſuæmet conſtitutionis modum atque principia explorans certius illud, unde defluxus rudimenta ſumpſit, elaboratorum axiomatum fide & ſtabilitate compenſat. Eſt hoc inſigne Mathematicorum inventum, uti eſt apud Apollonium Pergæum, Euclidem, alioſque primi ordinis Geometras; quæ Ariſtoteles in Priorum & Poſteriorum libro facilè quidem oſtendit, ſed modum & rationem, ea in praxin evolvendi omiſit. Nos verò hoc loco Diophantum Pappum, Euclidem, Vietam, & in Metaphyſicis Franciſcum Patricium, quia eam primus ante omnes, ad res Metaphyſicas tranſtulit, ſecuti, illam hîc, ea qua fieri poteſt, claritate exponimus exemplis illuſtratam; qua quidem nihil ad veritates abditas eruendas aptius, ſcitiuſque excogitari poteſt; non tam Tyronibus, quàm jam in Philoſophico ſtudio provectis ad imitandum propoſitum.

Scias itaque Lector, Quod in Mathematicis omnes probationes vel à conceſſis ad quæſita, vel à quæſitis ad conceſſa progrediuntur. Quæ à conceſſis progrediuntur ad quæſita, Syntheſes ſive compoſitiones appellantur; Compoſitio enim ſive Syntheſis eſt aſſumptio per conſequentia ad quæſiti finem comprehenſionemque; Quæ verò à quæſitis progrediuntur ad conceſſa, duplices ſunt; Vel enim conceſſa ponunt, vel deſtruunt; quæ ponunt conceſſa, Reſolutiones vocantur; Eſt enim Analyſis ſive Reſolutio aſſumptio quæſiti tanquam conceſſi per conſequentia ad verum conceſſum; Nam in Reſolutione id, quod ponitur, ut jam exiſtens, & ut verum ponentes, per ea, quæ deinceps conſequuntur, procedimus

mus per aliquod conceſſum, quo quæſitam concluſionem in proprias cauſas, per quas demonſtratur, reducimus; atque hiſce Reſolutionibus compoſitiones opponuntur; fieri enim non poteſt, ut à conceſſo iſtiuſmodi per eadem Reſolutionis veſtigia ad quæſitum revertamur; Quæ verò deſtruunt conceſſa, deductiones ad impoſſibile, magni in Arte noſtra uſûs, appellamus. Eſt autem hujuſmodi ad impoſſibile deductio, aſſumptio ejus, quod quæſito contradicit tanquam conceſſi per conſequentia ad id, quod vero conceſſo opponitur; In qua quidem ſumimus id, quod quæſitò contradicit, idque ſupponentes progredimur, donec in aliquod abſurdum incidamus, per quod ſuppoſitione deſtructa confirmetur id, quod à principio quærebatur; Diſtinguitur itaque Reſolutio à Deductione ad impoſſibile, quod illa in verum deſinens concludit eſſe verum; hæc in falſum, falſum eſſe; eò quod ſupponitur, arguit, & conſequenter quæſitum verum eſſe. Verùm quoniam forſan hic Tyro dubius circa definitionis rationem hærebit, Artem noſtram omnigenis exemplis tam Syntheticis quàm Analyticis inſtruendam duximus; Ex his enim naturam & proprietatem utriuſque Artis luculentius patefactum iri, nihil dubito.

Primò, Confuſa quælibet ac magis univerſalia notiora quoad nos exiſtere, docet Ariſtoteles *Lib. I. Phyſ.* Hujus itaque cognitionis ductu prius, veluti per nebulam procul conſpecto Socrate, offert ſeſe Subſtantiæ notio, deinde corporis, paulatim verò & animati atque ſenſibilis, rationalis, ac poſtremò etiam individui.

Socrates itaque, cum primo conſpectui exhibitus fuerit; mox ſenſus ſub notione confuſa objectum veluti ſubſtantiam corpoream conſiderat. Secundò, mens ſenſum in ſubſidium vocans. Tertiò, per rationem cuncta componens ac dividens multo quàm prius accurratiùs concreta fundit, diffuſa recolligit, totum in partes dirimit, & partium ſingularum cùm ſubſtantiales tum accidentales rationes inveſtigat, ubique determinans, quid ſit illorum quodlibet, quantum, quale, ubi, quando, quæ cuique cognata, quæ pugnantia, & id genus reliqua; donec tandem concludat id, quod eſt, objectùm verè eſſe Socratem. Eſtque hæc Syntheſios quædam ſpecies.

Analyſis autem modus philoſophandi, quo ex primo aliquo aſſumpto, aliud, & ex hoc iterum aliud & aliud uſque ad ultimam terminorum reſolutionem concludit; Syntheſis verò, quæ analyſis reſolvendo deduxerat, componendo partes partibus reducit ad primum, unde effluxerant, terminum. Et hoc ut meliùs liquidiùſque præſtent, primò Suppoſitiones, definitiones, axiomata præmittere ſolent, ut iis veluti lumine naturæ notis, tandem, arcanas rerum aſſumptarum rationes, per apodicticas leges eruant. Sed hæc omnia exemplis ſtabiliemus.

CAPUT II.

Paradigmata Methodi Analyticæ & Syntheticæ.

EXEMPLUM PRIMUM.

Quo reſolutio datur à DEO ad ultimum naturæ gradum.

SI quiſpiam jubeatur catenas rerum Mundialium analytica Arte reſolvere, is hoc pacto proponenti ſatisfaciet; à DEO diviniſque attributis incipiet; deinde per gradus entium rem deducet, uſque ad ultimum naturæ gradum, ut ſequitur.

Notet verò Lector, Compoſitionem & Reſolutionem inſtitui hac ratione poſſe. Sit ſubjectum quodcunque propoſitum ſive ex novem Univerſalibus ſive particularibus ad unum ex novem revocabilibus, Analytico-Syntheticè demonſtrandum; Primò ſeorſum omnes proprietates alicujus ſubjecti, ſive prædicati ponantur, quas omnes ordine pones; & deindè eo modo procedes, quo in Paradigmatis ſequentibus factum eſſe reperies.

Syntheſis ſeu Compoſitio terminorum univerſalior.

PARADIGMA I.

Quod ab uno & primo bono omnia procedant & in idem revertantur.

1. Si ens primum eſt, ergo ante id nihil; Si enim quidpiam eſſet ante primum, jam primum non eſſet.
2. Poſt primum ergò omnia; quia ſi poſt primum omnia non eſſent, jam primum non eſſet; ſed primum eſſe conceſſum eſt; Ergo poſt primum omnia.
3. Si poſt primum omnia; ergo primum ſummum & eſſentiale bonum eſt.

4. Si

4. Si primum ſummum & eſſentiale bonum eſt; ergo unum eſt; abſurdum enim foret dicere, plura bona ſumma & una eſſe.
5. Si unum eſt; ergo principium omnium eſt; poſt primum ergo omnia, à principio omnia, à bono omnia, à Deo triuno omnia.
6. Deus ergo Ens unum, primum, bonum.
7. Si Deus ens primum & unum eſt; ergo unitas primæva & abſoluta eſt.
8. Si unitas primæva & abſoluta; ergo ab eo unitates omnes profluere neceſſe eſt; Si unitates, ergo & eſſentias rerum.
9. Si ab unitatibus eſſentiæ profluunt; ergo ſicuti ab unitate eſſentiæ emanant omnes, ita.
10. Ab eſſentiis vitæ.
11. A vita intellectus.
12. Ab intellectu Animæ.
13. Ab anima naturæ.
14. A naturis qualitates.
15. A qualitatibus formæ.
16. A formis corpora, quæ ſunt vel inanimata, vel vitalia, vel ſenſitiva, vel rationalia.
17. Hæc omnia ſunt in Mundo, tanquam in continente contenta; hæc omnia in lumine & calore; atque ex his tandem analytico modo ad DEUM paratur reditus.
18. A primo itaque principio, uno, bono, ſummo, omnia, id eſt Mundus prodiit, & in Mundo corpora, formæ, qualitates, naturæ, animæ, mentes, vitæ, eſſentiæ omnes, unitates omnes. Sed Deus primum omnium principium eſt.

Ergo {
Eſſentia eſſentiarum.
Vita vitarum.
Mens mentium.
Anima Animarum.
Natura Naturarum.
Intellectus Intellectuum.

Ergo {
Bonitas bonitatum.
Magnitudo Magnitudinum.
Duratio Durationum.
Cognitio cognitionum.
Appetitus appetituum.
Virtutum omnium Vis.
Veritas veritatum.
Gloria Gloriarum.

Ergo omnia in omnibus & per omnia; qui proinde ſit laudatus in ſæcula.

In hac analyſi, quot membra ſunt, tot modi ſunt, ſubjecta per innumerabiles Syllogiſmos urgendi.

PARADIGMA II.

Quomodo Analytica methodo modum ſciendi aſſequi poßimus. Sic procede.

1. Si omnes naturâ ſcire deſiderant; ergo ſcientiam aſſequi poſſunt, non per ſcientiam, qua adhuc carent, ergo per artem ſive per facultatem ſeu modum ſciendi, quæ ſit directiva actuum intellectûs, quam ſive Logicam, ſive Analytico-ſyntheticam dicamus perinde eſt.
2. Diriget autem intellectum, ſi conceptus ei ſtatuantur conformes.
3. Conformes fiunt conceptus, ſi eo modo res concipiamus, quo res ipſæ ſunt.
4. Concipimus autem res uti in ſe ſunt, ſi illas per cauſam concipiamus.
5. Si per cauſam concipiamus, demonſtrationem facimus.
6. Demonſtratio ex ignotioribus ad notiora procedit.
7. Notiora ſunt vel naturæ & nobis, vel naturæ & non nobis, vel nobis & non naturæ.
8. Quod naturæ notius eſt & non nobis, nullam demonſtrationem parit.
9. Quod naturæ & nobis, notius eſt, demonſtrationem quandam facit, ſed vera tamen demonſtratio non eſt.
10. Demonſtratio itaque debet eſſe propter quid, & per cauſam, & hoc ipſum eſt, quod ſcire nobis largitur, & in quo humani intellectus perfectio conſiſtit.

Quomodò verò doctrinam quamlibet Analytica methodo reſolvere debeas ad cujuſvis libri quæſitique ſubjectum diſponendum ſequitur.

1. Si itaque humani intellectus perfectio Analyticè deducenda ſit; ſic procedes.
2. Humanum genus perfectionem exoptat.
3. Hujuſmodi perfectionem aſſequitur, dum ea poſſidet, quæ ſuâ naturâ exoptat.
4. Poſſidet hæc, quæ exoptat, dum à ſuo principio ea ſuſcipit actu.
5. Suſcipit actu, dum principio conjungitur.
6. Conjungitur, dum ei fit ſimile.
7. Simile efficitur, dum ſcientiæ actum exercet.
8. Eundem exercet actum, dum cauſas rerum intuetur.
9. Intuetur, dum eas quæſiverit.
10. Quærit dum dubitat.
11. Dubitat dum admiratur.

12. Admi-

12. Admiratur à repugnante per animæ fugam.
13. Repugnat, quod animæ perfectioni obstat.
14. Obstant perfectioni animæ indivisibili & immobili multitudo, magnitudo, motus.
15. Ens plura in se complectitur.
16. Plura ratio simul quærere nequit.
17. Inquirit ergo primò, quod se admirabile priùs offert.
18. Se priùs admirabile magisque repugnans offert ens mobile.
19. Ens mobile ex pluribus, quæ ei insunt, consistit.
20. Secundum plura simul, nullum se ens offert.
21. Se offert primum secundum id, quod primùm ei inest.
22. Primum inest, quod prioris causæ opus est.
23. Prioris causæ opus est, quod se latius communiusque diffundit.
24. Se latius communiusque diffundit mobile simpliciter, quàm mobile loco.

Per Synthesin sive Compositionem dicta à parte in partem progrediendo, juxta naturæ executionem operabere.

1. Mobile est id, quo fit aliquid non ex quolibet, sed ex apto nato.
2. Si ex apto nato aliquid fit, ex nihilo aliquid fieri non potest.
3. Cum ex nihilo nihil fieri possit, mobile omne tribus principiis innititur.
4. Privatio juxta Aristotelem est non Ens enti admixtum.
Materia est admixtum non enti; forma est ens omnis privationis expers.
5. Formæ, ut bono, adhærere ambit materia.
6. Hanc verò materiæ aviditatem cùm totam explere non possit forma, necessariò inde motus exurgit.
7. Motus est actus entis in potentia, prout in potentia.
8. Ens in potentia movetur ad actum ab alio.
9. In his quæ movent & moventur, dandum est primum.
10. Primum movens nec corpus, nec virtus in corpore est; sed infinitum.
Quod movet vigore ut finis, efficitur mobile primum.
11. Mobile primum est Cœlum, quod à Deo primo movente excitatur ad motum.
12. Cœlum, quod fertur in Orbem, hanc sublunarem materiam ad formas adaptat.
13. Prima sublunarium forma est natura corporea.
14. Hac forma intercedente per varia Cœli organa nec non & per corruptibilium corporum discrimina ad distinctas numero, specie & genere, formas disponitur materia.
15. Terminant autem eam formis distinctis, genere & specie; primò leges elementorum; secundò mixtorum imperfectorum; tertiò Mineralium; quartò Vegetabilium; quintò Animalium; sextò, in quam totius naturæ intentio vergit, humana ratio.
16. Illam materialem potentialemque asserimus.
17. Hanc etsi potentialis fuerit, nec materiem tamen, nec materiæ admixtam, sed substantiam abstractam ostendimus.
18. Hæc quia abstracta, ideò & semper intelligit actu.
19. Et quamvis suapte natura intelligat actu, humano tamen corpori formam tribuens, quandoque intelligit, quandoque non.
20. Intelligit actu, quando ei cogitationem phantasma porrexerit, sine quo non.
21. At phantasma cum sua natura intelligibile non sit, danda est virtus agens sive potentia, quæ intelligibile actu constituat.
22. Intelligibilia actu cum fuerint, materialis facultas adeptum intellectum parit.
23. Adepto intellectu genito, ab eoque phantasmatum spectris deletis agens intellectui jungitur, quo & abstracta cuncta prospicimus, atque altissimi Numinis adhæsionem assequimur.

Porrò per Analysin Metaphysicam definitivam ita progredere.

1. Dei adhæsionem assequimur, si ipsum noverimus.
2. Novimus, si illum ab entis attributorumque ambitu dependere concipimus.
3. Dependere concipimus, si entis partes ac prædicata eidem invicem attribuimus.
4. Entis quadruplex est divisio, aut enim ortum habet in re, & in re ipsa consistit; aut oritur ab intellectu in eodemque consistit; aut à re ducit originem, in intellectu tamen reponitur; aut oritur ab intellectu, & sistit in re ipsa ab extra.
5. Quod oritur intus, & sistitur ab extra, id artificialium moraliumque cultor pertractat.

6. Quod

6. Quod ortum habet in re ad extra, ſiſtitque intus, ſunt intelligibilia ſpeciesque, quæ actu reflexo per adeptum intellectum intuentur.
7. Quod originem ducit intus, & intus reponitur, eſt ens rationis, quod Logicus conſiderat.
8. Quod verò in re extra & oritur & conſiſtit, alii ſcientiarum opifices ut tale, Metaphyſicus autem ut Ens ſpeculatur.
9. Ens quatenus Ens, eſt propria ratione aliquid, quod omnibus analogicè ineſt.
10. Hujus eſſentiam ſi in ſe aſpexeris veluti unum, ens comitari reperies.
11. Si ad intellectum retuleris ens, ipſum verum reſultare reperies.
12. Si ad Voluntatem, bonum emanabit.
13. Unum igitur Ens indiviſum, ut intellectu apprehenſum, eſt verum; ut volitum, bonum.
14. At quoniam volitum apprehenſumque non ex abſoluta, ſed ex collativa mentis ratione dependet; ideò partes ejus diſtinctaque attributa ens ipſum eſt.
15. Ideo uti Ens eſt independens, ſubſtantia; ita dependens, accidens emergere faciet.
16. Si ut independens, unum; Si ut dependens, multum eſſe cognoſcetur.
17. Hinc actus, illinc potentia.
18. Hinc prius, illinc poſterius.
19. Hinc cauſa, illinc cauſatum.
20. Hinc univerſale, illinc particulare.
21. Hinc infinitum, illinc finitum.
22. Hinc neceſſarium, illinc contingens.
23. Quæ Symbola enti, ut modos attributaque, non ut partes competere dices.
24. Partes verò primò contrahentes ens non modos, ſed ſubſtantiam & accidens aſſeres.
25. Subſtantiæ ratio eſt non adhærere; accidentis, inhærere ſubjecto.
26. Hinc id, quod non inhæret, potius pars erit, eò quod inhæret, ſcilicet ſubſtantiæ, ſubjecto.
27. Subſtantia alia mobilis, alia immobilis eſt.
28. Mobilis ſubſtantiæ materiam contrariis ſubjectam eſſe oportet.
29. Subjecta materia ens eſt, non actu ſed potentia; in æternis quidem ad Ubi; in generationibus ad formam.
30. Quod in potentia eſt, movente eget æquivoco, quo ducatur in actum.
31. Movens univocum in perpetuo generationis & corruptionis negotio verſans, perpetuò mobile eſt.

Quod perpetuò movet, nullâ potentiâ aut materiâ commiſceri, neceſſe eſt.

Quod nulla potentia inficitur, actus eſt, ſe primum & in ſe omnia reliqua intelligens.

Vita in ſummo delectabilis atque perfecta, à qua appetibile & intelligibile atque natura dependet.

Cœlum à tali movente veluti à cauſa effectus manat, quotque ejus ſunt motus, tot ſunt Motores.

Motores quidem duplices, quorum unus conjunctus, & forma; alter reipſa ſejunctus, & intelligentia eſt.

Et quanquam plures ſunt Motores, hi tamen ad invicem ordinis ſervant unitatem, & ab uno, veluti exercitus à Duce pendent, & ad unum refluunt univerſi.

Vides in hiſce abſolutiſſimum Reſolutionis & Compoſitionis ſpecimen, omnia in ſe diſcurſuum rationalium ſeminaria continens; complectiturque in ſe tot Syllogiſmos, quot membra continet tota Analytico-Synthetica rerum ſeries; quæ uti ſuperfluum eſt demonſtrare, ita ingenioſo Lectori amplius diducenda relinquimus. Sed hiſce expoſitis ad aliud Analyſeos genus procedamus.

PARADIGMA III.

De Reſolutione ſeu Analyſi per analogiam rerum Concinnanda; & continet finium encyclicas Reſolutiones & Compoſitiones in trium Mundorum ſerie eluceſcentes.

Equidem ſatis mirari non poſſum, quod in Divinis operibus ita concinnata ſint ſingula, ut idem medium ſæpè reſpiciat diverſos & penè contrarios ſcopos; diverſa quoque media converſim referantur ad unicum finem; Unde cùm in ordinibus quibuſcunque tria hæc ſemper occurrant, extrema duo, & extremorum medium, uti totius diviſionis latitudo bipartita vel connexim ſub unius medii ratione, vel diviſim rurſus ſub extremorum ambitu continetur. Hinc ſanè cunctorum finium exurgit in univerſo maximè circularis ratio; Nam modò referuntur infima quæque ad ſuperiora, tanquam ſuæ exiſtentiæ actioniſque principes ſcopos; modò converſim ſuprema videntur inſtitui inferiorum gratiâ; modò extrema utraque propter unius medii rationem, vel medium propter extrema. Unde hæc Analyſeos atque Syntheſeos ratio in Mente Opifice propter Symphoniam triplicem longè quidem pulcherrima eſt, ſed inexplicabilis Mortalibus; quippe qui ejus conſiliis non interfuerunt, ſed rude duntaxat veſtigium ejus impreſſum habent. Videmus enim Mundum hunc univerſum ex uno verſum infinitam pulchritudinem, ex uberrima ipſius Opificis

bonitate profluxiſſe; Itaque totius Opifex Deus eſt, & ſumma ejus bonitas, idem & rationes formarum omnium eſſentialium, accidentalium, quantitatum in ſe complexus, Cunctorum, ut ita dicam, quaſi forma eſt generalis atque materies. Unde Mundus propter Deum, ut gloriæ nimirum illius & Majeſtati inſerviat; propter eundem ſingula agit in Mundo Deus, emittit ſpiritum ſuum, verſat atque circumagit, rerum ortus efficit, interitus & converſiones mutuas. Hinc primùm Mundi majoris gratiâ creatus eſt minor, & propter Minorem Politicus Mundus, propter ſcientias & artes homo, propter hominem Mundus major; & rurſus in ſingulis minora propter majora & media; majora converſim minorum gratiâ, & medium propter extrema, & hæc propter medium; Ita enim ſerviunt animabus corpora, corporibus animæ, ſed utriſque ſpiritus medii; ita formæ inſervit materies, materiei forma, utriſque proportio; ut non ineptè Mundum conſiſtere ex mutuo debito arbitremur; Licet aliâ quidem ratione inferna ſummis debeant, aliâ verò ſumma infimis, vel utroque modo; Superiora enim hoc ex amore debent, ut inferiora quæque perficiant; quod debiti genus ad agendi conditionem magis eſt referendum; Inferiora, quorum conditio magis paſſibilis eſt, ſupernis ordinibus recipiendis, promptitudinem atque obſequium debent. Media tandem extremis, ut ſint in actione & paſſione qualibet vinculorum loco, viamque deducant ex ortu interitum verſus, ex uno contrariorum in alterum per commune Symbolum in analogia mutua & proportione Cælatum. Rurſus inter extremum ſummæ naturæ faſtigium DEUS in omnes inferiores ordines agit, à nullo accipit, à nullo patitur; omnibus contrà ſubſtat materia quæ patitur tantùm. Quicquid eſt intermediorum graduum, omne id partim activa, partim paſſiva virtute præditum ea neceſſitate cooperatur, ut agens omne in agendo pati, viciſſim ea quæ patiuntur, agere videamus. Ut ſeſe mutuò quærant amentque ſingula vel fuga & odio proſequantur; unde illi attractus repulſusque perpetui, aſcenſus atque deſcenſus, miſturæ & miſturarum dyalyſes, ortus, interitus, augmenta, decrementa, & naturarum quovis genere contrariarum perpetuæ quædam viciſſitudines.

Verùm ut totius Reſolutionis, Compoſitionis atque Circuitus ordo ſit explicatior, ad Mundi ſpecies convertamur, quæ ſpectant in omnibus rebus trium præcipuarum partium analogam rationem, & ubique finium relationem triplicem, vel ad infima quæque, vel ad ſuprema, vel media; ſic enim ſub univerſali priori, particularis finium circulus eluceſcet, & ex analytico typi ſequentis ſchemate ſatis patet.

		Summum bonum.		Principium.		Creat.		Ex eodem effluunt ut α.		Vita.
Primum Ens DEUS Opt. Max.	In ſe eſt	Summum pulchrum.	Ad cætera comparatur, ut	Medium.	Ideo omnia per amorem	Rapit ad ſe.	Hinc inter creata ſingula	Per eundem circumaguntur, veluti circa centrum.	Hinc in omnibus	Ordo.
		Summum verum.		Finis.		Perficit.		In eundem refluunt & terminantur ut ω.		Connexio.

Hiſce præmiſſis, jam tandem telam inceptam proſequamur; ab iis, quæ ſub univerſalibus ordinum rationibus continentur, analyſes Syntheſeſque noſtras orditurì; ut fructus Analogicæ, Analyticæ, Syntheticæ, definitivæ & demonſtrativæ Artis, luculentius pateſiat.

PARADIGMA IV.

De Finium in Univerſo Reſolutione & Compoſitione.

Si quiſpiam itaque quærat, quænam ſit finium converſio in Majori, Minori & Politiço Mundo, quoad continentia, connectentia, contenta? ita reſolutorio ſtylo procedes.

Continentia ſunt Deus omnia continens, Mundus Angelicus ſeu Intelligibilis, Cœleſtis Æthereus, Elementaris.

DEUS eſt finis ſui ipſius; Mundus Angelicus propter Deum; Cœleſtis propter Angelicum; Elementaris propter Cœleſtem; Elementa propter miſturam & generationem; propter elementorum agitationem influxus ſidereus; propter ſenſibilem machinam, inſenſibilis omnium cauſa Deus.

Iterum DEUS ſeipſum continens eſt; Hierarchia continetur à Deo; ab Hierarchia prima, Secunda; à Secunda Tertia; Anima propter corpus; propter animas hierar-

chia prima; propter hanc secunda; propter hanc tertia; propter hæc omnia, omnium gubernator DEUS.

Hisce respondent in Mundo Minori Viscera, Cor, Cerebrum, Hepar.

Propter viscera, vasa, ut arteriæ, nervi, venæ.

Propter vasa, musculorum carnes.

Propter musculos, ossa & ligamenta.

Propter hæc omnia, humores, cibi, potus, & elementa; ad sustentandam vitam corpoream.

Propter vitam corpoream, humores & partes.

Propter extremarum partium nutritionem, vitam, sensum, motum, vasa triplicia.

Propter vasa triplicia viscera sunt instituta.

Facultates Animæ tres sunt: vitalis, animalis, naturalis.

Propter principes facultates reliquæ ministræ & deferentes.

Propter has in partibus singulis potentiæ singulares.

Vita interior multiplex.

Propter vitam multiplicem multiplex organorum particularium vitæ constitutio.

Propter infimi ordinis potentias, deferentium partium facultates.

Propter deferentium facultates, facultas princeps.

Rursus in Politico Mundo sunt populus, Magistratus, Princeps.

Quibus respondent usus vivendi, Leges & Edicta, Notiones Legum.

Notionum gratiâ, leges & edicta.

Legum gratiâ, usus vivendi & consuetudo.

Si verò Finis efficientem causam spectemus; ita Resolutionem & Compositionem instituces.

Finis efficiens & cunctorum princeps causa DEUS est; cujus bonitati, magnitudini, potentiæ & fœcundissimæ pulchritudini conveniebat Mundum sibi creare similem; qui unitate simul ac trinitate rationem Opificis sui, & ineffabilis Majestatis gloriam testaretur.

Bonitate, Pulchritudine & Conservatione.

Primò. Ut essentiæ ipsius summa perfectio elucesceret, quæ in rerum circuitu pleniùs, & contrariorum mutua conversione cernitur; hujus finis gratiâ, vita triplex requiritur { Animalis. Vitalis. Naturalis.

Propter vitam triplicem, actio pariter triplex. { Animalis. Vitalis. Naturalis.

Propter hanc triplicem actionem, totidem facultates, videlicet. { Animalis. Vitalis. Naturalis.

Propter facultates, anima & forma unica triplici ratione distincta. { Rationalis. Memorativa. Phantastica.

Propter animam corpus, similiter divisum in tres sedes, videlicet in { Cerebrum, animalis & rationalis facultatis. Cor, vitalis & irascibilis facultatis. Hepar, Concupiscibilis & naturalis facultatis.

Propter utriusque nexum, Spiritus triplex: { Animalis. Vitalis. Naturalis.

Propter particularium animalium Compositiones ex { Anima. Corpore. Spiritu.

Propter Compositionem, omnium Communis amor.

Propter amorem, DEUS ejusdem fons & ratio prima.

Secundò, Pulchritudo, id est, ut cum aliis sit, quæ maximè explicatur ex uno in multitudinem.

Propter hanc prima distinctio in ternarium fluens { Mundi Majoris. Minoris. Politici.

Propter hanc distributio dictorum in secundam triadem. { Partis incorporeæ. Spiritualis. Corporeæ.

Propter hanc concentus partium per aliam triadem. { Supremorum. Mediorum. Infimorum. } Ordinum.

Horum gratiâ concretorum forma ut { Ordo. Numerus. Proportio. } { Substantiarum. Proprietatum. Accidentium.

Ordinis gratiâ excluditur ab Universo omne Vacuum, privatio, penetratio dimensionum.

Horum gratiâ junguntur similia similibus, contraria contrariis, & ex conjunctis iterum fit pugna & dissolutio nova; quorum quidem omnium ratio & fons in amore; amoris autem ratio in omnium Architecto DEO est.

Poteris hoc Analyseos specimen, si velis, ad instar primarum Classium discursu triplici in conversionum circulo exarare; poteris quoque analogiam omnium mutuam assignare, ut & in humana fabrica, & in civitate hominum sint singularum partium communissimæ rationes, possintque dici in homine partes Cœlestes, æthereæ, elementares. Similiter in Mundo Majore & Viscera & Vasa, & partes, quæ influxu nutriantur; possis & in Republica suum caput & ventrem constituere, suos angelos, dœmones atque inferioris ordinis animas, & sic de cæteris, ut omnis idea per omnes exactè pelluceat; sunt enim particulares Analyses & Syntheses istiusmodi in rebus naturæ quodammodo infinitæ; ita ut vel in uno metallico corpore planta, animali, quicquid totus Mundus possidet, dummodò ad intentam analogiæ amussim, per Analyses & Syntheses singula rectè applicentur. Sed de his suo loco fusiùs.

CAPUT III.

De Analysi & Compositione principiorum absolutorum Artis nostræ.



Stendimus in præcedentibus modum resolvendi & componendi ea themata in genere, quæ in quæstionem cadere possunt, quibusque veram scientiam adipisci possimus; Nunc ad particularia descendemus, & qua ratione principia tum absoluta tum respectiva in perfectam resolutionis & compositionis formam ad quidlibet demonstrandum redigi possint, ostendimus; à DEO rerum omnium principio disceptationis nostræ initium facturi.

Principia Artis nostræ sunt: B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. ⚌ ♡ o● α ⊙ ω M Æ Min.

Horum quodlibet habet alios terminos proximos & reducibiles, uti jam sæpè dictum fuit; quorum ope, in innumerarum quæstionum solutionem devenimus. Exempli grat. ad Bonitatem primum absolutorum revocantur Ens, unum, verum, esse, essentia, unum essentiale, primum, vita, perfectio, simplicitas. Quomodo verò Analytico-Synthetica methodo illa demonstrare valeamus, nobis modò exponendum incumbit.

Est modus philosophandi omnium optimus & præstantissimus, ut nihil adeò occultum, nihil adeò impenetrabile, quod non, canis instar venatici, sagaci hujus Artis industria detegat, & in apertam lucem deducat; Quare hanc Philosophis præ omnibus aliis methodis seligendam consulamus. Ita autem se habet negotium.

QUÆSTIO I.

Quæritur ergo Primò, Utrum Unum, quod est prædicatum ad bonitatem reducibile, sit causa omnium; Utrum ab uno omnia profluant? Hanc quæstionum ut secundum Analytico-Syntheticam rectè disponas, ante omnia, Unius ratio & proprietas examinanda per varias divisiones, eaque quæ propriè ei conveniunt; quibus ordine seorsim positis, juxta ea procedes, eo, qui sequitur modo.

1. Datur unum aliquod ante res omnes, & supra res omnes, & ab omnibus separatum entibus.
2. Si datur tale, vel illud agit aliquid, nel nihil agit.
3. Si nihil agit, id est, vel quia non potest agere, vel quia agere nescit, vel quia non vult.
4. Si non potest, id fiet, quia vel impotens est, vel quia impeditur.
5. Si impotens, ergo ad agendum & potentia & viribus caret; sed omne quod est, bonum est, magnum est, potens est, virtuosum est, ergo fieri non potest, ut viribus careat.
6. Si verò impeditur, ergo id impediente debilius est.
7. Si debilius est impediente, ergo impediens erit eo vel majus, vel æquale, vel minus, juxta ultimam nostrorum principiorum triadem.
8. Si majus est eo, quod impeditur, jam nec unum nec primum erit; est autem unum hoc, quod impediri dictum fuit; primum ante omnia; Ergo se majus quid & prius, quod se impediat, esse non potest.
9. Si verò sit æquale, jam non unum primum erit, sed duo una, duo prima; quæ omnia contradictionem involvunt; esset enim unum & non unum; Ergo æquale non habet.

10. Si

10. Si verò minus est illud assumptum impediens, Ergo unum hoc non erit unum, nec primum, sed multa, quæ pariter repugnant.

11. Si verò, uti secundum membrum objicit, agere nescit, id deterioris erit conditionis, quàm omnia etiam infima & inanimata entia, quorum nullum est, quod non ad agendum solo naturæ instinctu ducatur.

12. Si verò potest & non vult, hoc ideò est, vel quia dedignatur, vel quia arrogans est, vel quia invidum est, vel quia non judicat expedire, & alio frui vellet, & esset iners. Sed hæc uti summas imperfectiones involvunt, ita bonum quod est diffusivum sui, esse non potest, & consequenter neque unum, quod cum bono convertitur.

13. Unum igitur essentiale tantum abest, ut agere non possit, nesciat, nolit, ut potius non possit non agere, non possit non scire, non possit non velle.

14. Si ergo agit aliquid; ergo vel unum, vel plura aget.

15. Si plura, vel ea pauca, vel pleraque, vel omnia.

16. Si unum tantùm agere dicamus & non plura; jam unum non erit.

17. Si non unum; ergo neque bonum, quod est diffusivum sui in omnia.

18. Si plura, vel aliqua, vel pleraque, vel omnia.

19. Si in aliqua tantùm aut pleraque se diffundat; ergo hoc ideò fit quod vel non possit, vel nesciat, vel nolit.

20. Si hoc; ergo omnes superiùs adductæ contradictiones redibunt.

Conclusio. Aget ergo, & unum & omnia aget. Omnia ergo quæ in universo sunt, agendo fecit, facit & faciet.

Si omnia fecit, ergo jam illud bonum essentiale esse necesse est.

Ex hac ergo concatenata argumentorum serie inferimus: Principium est rerum omnium, causa & origo. Ab uno itaque profluunt omnes BB. MM. DD. PP. SS. Vo Vo. Vi Vi. Ve Ve. GG. & sic de cæteris principiis respectivis; quod erat demonstrandum.

QUÆSTIO II.

Franc. Patritius de bono.

Quæritur Secundò. Sitne revera unum aliquod omnium rerum principium? Hanc quæstionis difficultatem, Analytica arte ita evolves.

Universi vel principium aliquod fuit, vel nullum.

Si nullum, ergo falsum in præcedentibus demonstravimus ab uno sive à principio esse omnia; ergo necessariò principium assignari debet, à quo omnia.

Principium absolutè id esse dicimus, ante quod nihil est, in quo, & à quo, & post quod omnia sunt in universo condita.

Tale principium Universitatis fuit vel aliquod vel nullum.

Si nullum, neque primum, neque unum in eo erit ullum.

Si nullum fuit primum, ergo neque secundum, neque tertium, neque aliud deinceps.

Si hoc; ergo Universi res omnes ex se & per se substiterunt.

Si à se & per se substiterunt; ergo principio carebant; ergo non à principio omnia, quod suprà ostendimus.

Si entia Universi principio carent; ergo vel finita erunt, vel infinita, essentiâ, viribus, actionibus.

Si infinita dicantur, & res singulæ & Mundi Corpus universum, infinita erunt, & totum ex singulis partibus infinitis erit infinitum; ergo dabitur processus in infinitum, quod absurdum est; sequeretur enim aliam rem aliâ infinitiorem esse in infinitum, & nullam ex infinitis quicquam agere posse.

Hoc si non permittatur; ergo saltem res una alteri foret æqualis; sed neque hoc congruit, foret enim musca toti Mundo æqualis, cùm ipsa pars sit Mundi, omnes autem partes in infinito sunt infinitæ, & consequenter totum æquale suis partibus, quod implicat. Res ergo non sunt infinitæ.

Sunt ergo finitæ.

Si finitæ, ergo essentiâ, viribus, actionibus finitæ erunt.

At nullum ens finitum aut à seipso est, aut à se esse potest; procedit enim omnis actio à viribus, vires ab essentia, hæ omnes finitæ;

Si ergo à se essent, per propriam essent actionem, ergo actionem prius haberent, quàm essentiam, essentque priùs quam essentiam acquirerent, quod rerum ordini repugnat.

Cum ergo res finitæ sint, certè à se, & per se esse non possunt; si æterna, sui natura talia non sunt, neque à se; ergo ab alio; ergo ab uno essentiali, quod est rerum omnium principium. Quæ omnia fusius Patritius in sua Philosophia.

QUÆSTIO III.

Quæritur Tertiò. Utrum plura principia sint, quàm unum, & utrum ad unum omnia revocentur.

Conſtat unamini Philoſophorum conſpiratione, plura eſſe rerum principia, rerum quarundam: ſed non omnium: Alia enim ſunt unius tantùm compoſiti, uti forma; alia motus, ut natura; alia miſtionis, ut in mineralibus elementa; alia vegetandi, ut in plantis; alia ſentiendi, ut in brutis; alia ratiocinandi, ut in anima rationali; alia intelligendi, ut mens. Hoc pacto per Intelligentias motrices, Cœli principium ſunt vitæ, motionis & alterationis rerum inferiorum teſte Ariſtotele, quorum connexionem, & fatum vocat, quæ quidem principia ſubordinata dicuntur, & ad unum aliquod ſummum, primum & eſſentialem unitatem, à qua profluunt, reducuntur; uti doctè probat Franciſcus Patricius, & Proclus in Theologia Platonica; quod analytico-ſynthetica induſtria ita evinces.

1. Neceſſe eſt principium primum vel unum eſſe tantùm, vel plura tantùm eſſe, vel unum quod in ſe multa contineat, vel multa eſſe, quæ unum tamen participent.
2. Si principia multa tantùm ſunt, ab ipſis nihil fiet unum, cum ad certos tantùm effectus ordinis ſui, determinata ſint.
3. Vel enim in iis omnibus eadem eſt bonitas, potentia, voluntas, virtus, qua operentur; vel ſunt hæc omnia eadem, vel in ſingulis diverſa.
4. Si bonitas eſt in multis eadem, hac ratione bonitatis multitudo ad unam reducetur bonitatem.
5. Si verò entia ab unitate fiunt, ab uno erunt principio & ad idem revocabuntur.
6. Si itidem eadem in omnibus Voluntas, Potentia, Virtus, qua operentur, & entia efficiant, illa una erunt in multis, atque unum neceſſariò erit principium & non multa.
7. Si verò alia bonitas, voluntas, potentia, virtus in ſingulis eſt principiis, diverſitas hæc vel concordabitur, vel diſcors manebit.
8. Si concordabitur, concordia erit diviſorum unio; unio verò ab uno; ad unum ergo omnis reducetur diverſitas; atque hoc pacto unum iterum erit principium.
9. Si verò in diſcordia perſeverent, & agant, erunt inter ſe diſcordia & diſcordes effectus producent, ſingula ſingularem, & propria ſibi ens quoddam, vel ſingula efficient entia plura, vel ſingula omnia efficient entia.
10. Si hoc tertium dicamus, jam dabitur proceſſus in infinitum, quod implicat.
11. Si ſecundum, idem, quod prius, inconveniens reſultabit.
12. Si verò multa ſint principia unum participantia, unum inter ipſa erit ordinatum, & conſequenter id, quod participat, inferius eſſe debet eo à quo participat, & quod ordinat antiquius ordinato.
13. Ergo unum antiquius eſt ipſis & potentius, quia vim habet, ea in ordinem redigendi; Ergo hoc unum cogens, erit principium, quia anterius eſt & primum, & non ipſa multa quæ ſunt poſteriora.

Ergo unum tantùm eſt principium, non plura.

Ergo unum tantùm erit principium.	Unitatis. Eſſentiæ. Vitæ & motus. Bonitatis. Magnitudinis. Durationis. Potentiæ. Cognitionis. Appetitus. Virtutis. Veritatis. Gloriæ.	A qno omnes	Unitates. Eſſentiæ. Vitæ & motus. Bonitates. Magnitudines. Durationes. Potentiæ. Cognitiones. Appetitus. Vires. Veritates. Gloriæ.	Sed hæc omnia in uno primo principio ſunt; Ergo omnia ad unum referri, neceſſe eſt.

QUÆSTIO IV.

Quæritur Quarto. Utrum unum ſit principium omnis multitudinis.

Hanc quæſtionem ita reſolves.

Si in Univerſo eſt multitudo aliqua, unum quoque ibi eſſe neceſſe eſt.

Sed in Univerſo ſunt multitudines multæ: Exempli gratia: multa rerum genera, multæ ſpecies, multa individua, multa tota, multæ totorum partes, eſſentiæ quoque multæ, bonitates, magnitudines, potentiæ, vires multæ. Ergo ibi unum quoque eſſe, neceſſe eſt.

Si itaque in Univerſo tanta rerum multitudo eſt, illa vel ordine aliquo conſtabit, vel nullo.

Si nullo,

Si nullo, nulla cauſa effectum ſuum præcedet, nullus effectus cauſam ſuam ſequetur; genus nullum, totum nullum, ſpecies parteſque antecedet ſuas; neque hæ ſequentur illa, neque actio à viribus naſcetur, neque vires ab eſſentia; ſed eſſentia erit poſterius, & actio vires anteibit; Cœli omnes in ſingulis erunt elementis; hæc erunt in illis; & ſublime corpus erit infimum, & infimum ſupremum; omnia per omnia erunt fuſa, omnia in omnibus confuſa jacebunt; Sed hoc rationi & experientiæ repugnat. Ergo res mundanæ omnes certo, eoque maximo ordine conſtant, ſuntque omnia ſuis numeris, formis, motibus, qualitatibus & ornata & ordinata.

Sed ubi ordo, ibi primum aliquod ordinis caput; & ubi primum, ibi ſecundum, tertium, quartum, &c. Ergo in univerſitate rerum primum aliquod eſt.

Sed hoc primum nil aliud eſt, quàm unum, ſive unum rerum omnium principium.

Si ergo multitudo eſt, neceſſariò quoque aliquod erit primum, hoc eſt, unum, omnis enim multitudo eſt ab uno.

Si enim nullum in rebus unum eſſet, multitudo neceſſariò per ſe conſiſteret.

Si per ſe conſiſteret, ergo 2, 3, 4, 5, forent, antequam ſit unum.

Si nullum unum, nulla duorum vel trium pars unum facit; cui rei nullus ſenſus, nulla ratio aſſentitur.

Si nulla duorum, trium &c. pars unum erit; ergo innumeræ ſtellæ, plantæ, bruta, homines, ſi una non ſunt, nihil prorſus erunt.

Si non ſunt, nihil quoque erunt.

Si nihil ſunt, erunt quoque aliquid quia ſenſus ea dicit eſſe; erunt ergo & non erunt; & converſim non erunt & ſimul erunt, quod implicat.

Rurſus, multorum quodvis vel unum eſt, vel non unum.

Si non unum; vel multum eſt, vel nihil.

Si nihil dicamus, multitudo quoque ex nihilis erit, atque ita omnia nihil; & entia conſequenter non erunt entia; quæ omnia perabſurda ſunt.

Si præterea multitudo ab uno non naſcitur, multitudo non erit unitatum collectio; ergo duo vel tres homines non erunt duo; ergo neque unum.

Si non unum, utrumque duorum; quia ex duabus unitatibus duo non conflabuntur; quæ omnia impoſſibilia ſunt.

Rerum ergò multitudo numerum in ſe implicat; ergo numerus ex ea collectus, unitatum eſt multiplex collectio. Ergo unitates per ſe ſingulæ unæ ſunt, ſimul poſitæ numerus & multitudo ſunt; ergo unitates & multitudo ſunt.

Si ergo multitudo ſunt, illa neceſſariò ex una profluent unitate, quæ eſt unitas unitatum, & unorum omnium primum. Iiſdem enim rationum neceſſitatibus oſtendimus, ſingula entia vel per ſe exiſtere, vel ab alio eſſe, & eſſe ſuum accepiſſe; atque proinde ſingula unum eſſe, & plura omnia, una.

Sicuti igitur unitates cujuſcunque multitudinis ad primam omnium unitatem reducuntur, ita entium omnium multitudinem & numerum ad unum primum reduci, neceſſe eſt; Ergo unum, unitaſque, principium & cauſa eſt omnium numerorum, omniſque multitudinis; quod erat oſtendendum.

QUÆSTIO V.

Quæritur Quintò. Quale illud ſit principium, à quo omnia? Dico eſſe multiplex.

Cùm ſine unitate nullus numerus conflетur, multitudo verò variè conſiderari poſſit; unum conſequenter iſtiuſmòdi principium ſumi poteſt, & debet. Franc. Patritius.

Datur itaque primum principium ordinis, quia unitatem duo, tria, quatuor & reliqui numeri ſequuntur.

Si principium ordinis, dabitur & principium numerationis; neque enim ritè numerantur numeri, niſi incipiendo ab unitate.

Si datur principium numerationis, dabitur & principium productionis; nam ab unitate & uno producuntur, ex eiſque profluunt.

Si principium productionis, dabitur & principium conſtitutionis; dum enim unitates ab unitate productæ unoque productæ colliguntur, numeri componentur omnes, & conſtituentur.

Si datur principium conſtitutionis, datur & principium eſſentiæ; non enim numeri eſſent, niſi eſſentialiter unitates, & uni ſinguli eſſent; habent enim ſeſe numeri, ut ſpecies rerum.

Si datur principium eſſentiæ, datur & principium materiæ ex qua; Ex unitate enim & uno omnes fiunt numeri, & omnes ſunt.

Si datur principium materiæ ex qua, datur quoque principium ut forma; duæ namque unitates, duo una ſunt, quæ binarium formaliter conſtituunt, ſicuti triuna ternarium &c. hoc eſt, dant eis eſſe idipſum, ut duo ſint & tria, ſine quo

quo binarius & ternarius concipi non poteſt.

Si datur principium materiale & formale, dabitur quoque principium conſervationis ſingulorum, omnia enim unitas fovet & conſervat; unitate enim aut uno à quovis ſubtracto, illum in aliam mutari ſpeciem neceſſe eſt, & quod erat, eſſe deſinit.

Si datur principium conſervationis, datur & principium incrementi; addita enim ſingulis unitas ad unum, ipſius, quod primò erant, ſunt adhuc, & id plus habent, quod ab eis ad eos acceſſit.

Si datur principium incrementi, dabitur & perfectionis; quia binarius, ternarius, quaternarius &c. quiſque in ſuis numeris eſſentiâ completur & perfectus eſt.

Si datur numerus perfectionis, dabitur & numerus finis omnium; omnes enim numeri ad unitatem, ad unum reducuntur, unique inhiant, unum eſſe deſiderant omnia; non eſſe verò fugiunt.

Si datur principium ut finis omnium; datur & ad principium reditus, omnes enim numeri in unitatem primævam reſolvuntur.


Ex his ſequitur, ita ſeſe habere & entia & multitudinem Entium ad unum primum; ut ſe numeri habent ad unitatem & unum ſuum; omnia ergo entia conſequentur unum eo modo, quo numeri conſequentur unitatem. Unum ergò illud principium eſt entium iis omnibus modis, quos nunc expoſuimus videlicet.

Principium ſine quo non; principium ordinis, numerorum, productionis, conſtitutionis, eſſentiæ, materiæ & formæ, accrementi, perfectionis, finis, & reditus ad unum, qui eſt DEUS laudatus in ſæcula.

CAPUT IV.

De Analyſi & Syntheſi principiorum Artis noſtræ.

QUÆSTIO I.



Utrum applicari poſſit unum principiis noſtris eſſentialibus? ℞. affirmativè, & ita analyticè id deduco.

Analyſis. Si itaque, uti in præcedentibus demonſtravimus, unum eſt; illud verè unum eſt, & non aliud, quàm unum, & ſimpliciter unum, & ſuprema ſimplicitas.

Franc. Patrit. de uno.

Si hoc, ſupremum quoque erit abſolutum, utpote cui nihil deſit.

Si ſupremum abſolutum, erit & ſumma perfectio, imò perfectiſſima, & perfectionum omnium complementum.

Si perfectiſſimum, ſibi quoque erit ſufficientiſſimum; cum nihil ſit quod quærat, nihil quod appetat, cum in ipſo & cum ipſo ſint omnia.

B. Si ſufficientiſſimum, erit etiam ſummè bonum, imò bonum ſupremum; quæ quidem omnia in uno unum ſunt, & ſola ratiocinii humani imbecillitate tanquam plura concipiuntur.

Si itaque bonum unum abſolutum, perfectum ſimplex & ſufficiens eſt, in omnia bonitatem ſuam diffundere neceſſe eſt; cum omne bonum ſit diffuſivum ſui.

Si in omnia ſeſe diffundit; ergo magnum erit abſolutum, id eſt, infinitè magnum.

Si magnum abſolutum & infinitè magnum; ergo erit ubique; ergo omnia ipſum unum continet. M.

Si enim ſit ubique, omnia continebit, omnia terminabit, & à nullo aberit.

Si à nullo abeſt, erit ubique & in entibus & in non entibus; Ergo ubicunque eſt, erit in ſeipſo, & omnia in ipſo; ergo per compoſitionem, neque ipſum abeſt ab aliis, neque ipſum eſt in aliis, neque ab ullo continetur, neque ab ullo terminatur, ſed ipſum continet; Ergo omnia ſunt in eo, ſed uniter, indiſcretè, indefinitè; Ergo unum hoc maximè abſolutum, immenſum, infinitum.

Si maximum abſolutum, immenſum, infinitum, ergo durationis æternæ. D.

Si enim durationis æternæ non eſſet, neque maximum abſolutum eſſet, deeſſetque ipſi immenſitas & infinitas ad durationem; deeſſet ergo ipſi aliquid, quod abſurdum eſt; ergo ſi maximum eſt; & æternum eſſe, dicere neceſſe eſt.

Si verò æternum; ergo & potens; eſt enim unum potentia omnium, & in ipſo omnia ſunt potentia. P.

Si erit potens omnia, vel illa erit receptiva, vel effectiva.

Si receptiva, vel à ſuperiori, vel à pari, vel ab inferiori eam recipiet.

Non à ſuperiori, cùm unum non habeat ſe ſuperius quicquam.

Non

Non à pari, cùm uni nil æquale, nil par eſſe poſſit.
Non ab inferiori, quia id ſummam arguit imperfectionem; potentiam itaque habet effectivam, qua omnia faciat; eſt enim principii prima ea efficacia, ut omnia efficiat principiata; Unum autem principium eſſe ſæpe diximus; Unum ergo, ut principium eſt, omnia facit.
Si omnia facit, procul dubio, omnia faciendi habuit potentiam; Omnipotens ergo fuit.
S. Si fuit omnipotens; ergo & vita eſt.
Si vita; ergo mente pollebit.
Si mente; ergo intellectu & ſapientia infinita.
Ergo ſicut in primo intellectu ſunt omnia, tanquam in uno ſummo bono; ita & omnia cognoſcit, & uniter una inſita ſibi continet.
Si inſita ſibi uniter una continet, ergò ea ignorare nequit.
Seipſum ſeipſo ergo novit, & in ſe omnia ſupereminentiſſimo & proprio ſibi modo.
Ergo ſapientia ſua, quæ ipſemet eſt, & ſui ipſius plenitudine ſapit, & ſcit omnia.
Si ipſa ſapientia, ergo non ratiocinatur per rerum terminos, qui ipſe ſunt.
Neque intelligit, quærendo eos aliundè, vel in ſe reducendo, quos jam in ſe habet; hæc enim omnia imperfectionem implicant.
Seipſo ergò ſemetipſum & alia omnia in ſemetipſo unum illud eſſentiale, ſummum bonum & ſcit & ſapit. Atque hæc eſt ineffabilis ejus ſapientia & ſumma veritas, quam à ſe in omnes infundit intellectus, & veritatem eis ingenerat, & eos ipſa perficit.
Vo. Si ergo DEUS ſapientia ſumma & eſſentialis; ergo erit & eadem voluntas boni.
Si enim voluntas non eſſet, non intelligeret bonum, quod ipſe eſt.
Si non intelligeret bonum, hoc eſt, ſeipſum, nullum eſſet bonum.
Si nullum bonum, nihil quoque amaret, neque ſeipſum amaret; quæ omnia ſunt impoſſibilia.
Eſt itaque unum eſſentiale voluntas abſoluta, qua & ſe infinitè amat, & omnia in ſeipſo, & extra ſeipſum, ab eo producta.
Omnia ergo in ſummo bono, uti bona ſunt, ita prout ab eo profluxerunt, omnia pariter bona; videt enim DEUS omnia quæ fecerat, & erant valdè bona.
Omnia ergò in quantum bona ſunt, à DEO bona ſunt; à prima Voluntate bona ſunt, & in eum tanquam in ultimum finem reſolvuntur reducunturque omnes bonitates.
Si ergo DEUS ſui ipſius voluntas eſt, ſui ipſius amor & deſiderium; ergo infinitæ virtutis, qua quæcunque voluit fecit in Cœlo & in terra. Vi.
Si itaque virtus ſuprema eſt, & lux infinita; ergo omnia virtute ſua illuminat, omnia perficit; non enim illuminaret neque perficeret, ſi ea non intelligeret, ſi ea non amaret.
Eſt ergo DEUS virtus ſuprema & abſoluta, à quo velut ex unius eſſentialis fonte, omnes profluunt virtutes, & virtutes virtutum.
Si ergo ſuprema virtus eſt, ergo & infinita Veritas. Ve.
Si non eſſet infinita Veritas, hoc eſſet, vel quod intellectus ejus eſſet difformis objecto; ſed hoc impoſſibile eſt, cùm DEUS ſit ſuus intellectus, ſuum objectum; ſua eſſentia, quæ eſt conformitas ipſa intellectus cum objecto, qui eſt ipſe: ergo Veritas infinita.
Si infinita Veritas, ergo & infinita Gloria. G.
Si non eſſet infinita Gloria, non ſeipſo frueretur, non in ſeipſo quieſceret; quod inconveniens eſt.
Uti ergo Unum bonum, magnum, æternum, omnipotens, omniſcium; ita infinitè ſeipſo gloriatur, ſeipſo infinitè fruitur, ſeipſo infinitè gaudet; & in ſe ipſo omnia gloriari facit.

Vides igitur, quomodò principia eſſentialia Artis noſtræ per concatenatam ratiocinii Analyſis in Syntheſin, unum ex altero deducere doceant.

Eadem ratione Reſolutiones inſtitues cum principiis Reſpectivis. Sed ne quicquam omiſiſſe videamur, exemplum apponemus.

QUÆSTIO II.

Quæritur itaque ſecundò. An in Uno eſſentiali detur differentia, ſeu diſtinctio? ℞. Negatur; & ſic argumentor.
Si in uno ſunt omnia, uti ſuprà diximus, ergo in uno ſunt multa. Per =
Si ſunt multa; ergo erunt vel diſtincta, & diſcreta; vel indiſtincta, & indiſcreta.
Si ſint diſtincta, & diſcreta, ergo id erit & unum & multa ſimul; ergo diſcreta & indiſcreta; quæ contradictionem implicant.
Sunt ergo in uno omnia uniter, unè ſimpliciſſimè, ſub multitudine quadam ſimpliciſſima, uniter una, ingenita & improducta, prima & ſuprema, quæ in uno omnia æternum fuit & eſt, neque

unquam ab eo vel prodiit vel prodibit, neque aliundè in ipſum venit ; ſed ita eſt cum ipſo una, ut magis quid unum eſſe non poſſit.

Datur tamen in hujuſmodi triuno diſtinctio relativa, Pater, Filius & Spiritus Sanctus ; ſed quæ uti ſempiterna eſt & ſimpliciſſima eſſentia, ita ſub numerum & multitudinem cadere non poteſt; eſt tamen hîc fundamentum totius diſtinctionis in rebus creatis intervenientis.

Datur itaque in uno illo, diſtinctio quædam, non quovis ſed divino modo ſubſtantialis, eſſentialis, ineffabilis, & incomprehenſibilis ; multitudo ſcilicet ſimpliciſſima & uniter una, verbo Un-omnia, quæ ſi extra ſe emanat ; jam in unitate illa multitudo eſt diſtincta & in numerum effuſa innumeris diſtinctionum ordinibus fulget ; extra ſe omnia producit, intra ſe, quod erat, manet, immotum & imminutum, indiſtinctum, indiſcretum, inconfuſum, nullam à ſe editorum jacturam faciens ; haud ſecus ac fons immotus & imminutus manens varios rivos fluere facit; eſt enim omnis promanatio cum ſecretione, omnis autem ſecretio ab uno, multitudinis & diſtinctionis eſt cauſa.

Cauſa itaque ſecretionis fuit unitas, executrix potentia, finis fuit bonitas, & amor ſe communicandi ad extra. Exemplo id declaratur.

Centrum circuli unum & indiviſibile eſt ; in eo uno termini ſunt linearum omnium ab eo procedentium inter ſe in ipſo minimè diſtincti; Ab eo lineæ prodeunt innumeræ, inter ſe jam diſtinctæ ad circumferentiam uſque, quæ in centro prius indiſcretæ erant omnes, & dum à centro ſecernuntur, multiplicantur, & dum multiplicantur, prodeunt, & ab eo deſcendunt, centro perſiſtente immoto & imminuto, lineæ quoque exeuntes non amplius id ſunt, quod in ipſo erant, ſed ab eo & inter ſe diſtinctæ, habent tamen à centro id, quod ſunt, centrumque ipſis eſſe tribuit, cum omnis linea ſit fluxus puncti ; ita ut id, quod prodiit, videatur, & in eadem cauſa eſſe in qua prius fuerat, & inde etiam diſceſſiſſe.

Haud abſimili ratione ab Un-omnia indiſcreto, in diſtincto, ſecernuntur, multiplicantur, diſtinguunturque omnia quæ inde prodeunt entia.

Si itaque in Deo uno eſſentiali datur diſtinctio, illa erit vel rationis, vel formalis, vel realis, vel alia quæpiam.

Si rationis tantùm; ergo ante intellectum nihil in Deo, uno, ſummo, erit diſtinctum.

Si nihil eſt diſtinctum ; ergo triunum non erit.

Si non ſit triunum ; ergo nulla erit trium perſonarum diſtinctio.

Si nulla perſonarum diſtinctio, ergo Pater erit Filius, & Filius, Pater, & Spiritus Sanctus Pater & Filius; quæ omnia heterodoxa ſunt, & fidei contraria.

Datur itaque in Deo Triuno diſtinctio relativa realis hypoſtatica, fundamentum totius in Mundo varietatis, diverſitatis & diſtinctionis rerum ; Datur ergo in Deo diſtinctio.

Si datur diſtinctio, datur & concordantia. Per ♡

Si non datur concordantia, ergo triunum jam non erit unum, ſed multiplex.

Si multiplex, ergo jam unitates tres, ſubſtantiæ tres diſtinctæ, diſunitæ, ſeparatæ erunt ; ergo tres Dei, quæ omnia impoſſibilia ſunt.

Tres itaque hypoſtaſes divinæ uti ſunt una unitas, una eſſentia, una natura, una ſubſtantia, ita & in Un-omnia ſimplici concordabunt.

Si verò detur in hoc triuno diſtinctio relativa, dabitur neceſſariò in eo & proprietatum relativarum oppoſitio ; qua Pater Filio opponitur per relationem notionalem, minimè tamen hæc dici poteſt contrarietas, quæ in qualitatibus cæteriſque accidentibus tantùm ſedem ſuam poſuit ; dici tamen poteſt Deo ſummo bono extrinſecè contrarium eſſe ſummum malum, quod peccatum eſt. o●.

QUÆSTIO III.

Quæritur Tertiò. An Deus ſit principium, & an in Deo unitates ſint ideæ ? ℞. affirm. Idque ſic oſtendo. α. Principium.

Omnia entia proveniunt ab uno primo principio & cauſa omnium.

Si enim Unum entium omnium cauſa non eſt ; vel circulari emanatione una connectetur alteri, vel in infinitum dabitur aſcenſus.

Si prius, id eſt, ſi nullorum entium cauſa fuerit, neque ordo erit ſecundorum & primorum, perficientium & perfectorum, ornantium & ornatorum, generantium & generatorum, agentium & patientium.

Si nihil horum ; neque cauſæ entium ullæ cognoſci poterunt; eſt enim cauſarum cognitio opus ſcientiæ.

Ergo ſi cauſæ nullæ cognoſci potuerunt, nulla ſcientia habebitur ullius entium ; quæ rationi & experientiæ repugnant.

Si verò

Si verò circulari emanatione circumeunt causæ, eædem erunt & priores & posteriores & potentiores & debiliores; causatum causâ prius, imperfectum perfecto præstantius; quæ absurda sunt.

Si verò in infinitum fiat causarum distensio, & ab alio aliud fit semper; rursus nullius erit scientia, infinitorum enim nulla est cognitio, nulla scientia.

Ignoratis ergo causis, neque sequentium erit scientia; quæ incongrua sunt.

Si ergo causam entium oportet esse, & distinctæ sint causæ à causatis, neque in infinitum est processus; erit ergo unum causa causarum, & principium primum entium, à quo veluti à radice promanant singula, alia quidem ei viciniora, alia verò remotiora ab eodem. DEUS ergo causa prima est & principium omnium; quod erat demonstrandum.

Rursus. Si DEUS est principium omnium; ergo primum, summum, & ipsum bonum est.

Si enim ab una causa omnia proveniunt, causam illam vel ipsum bonum oportet dicere, vel ipso bono præstantius.

Si sit bono præstantior causa, vel ab illa nonnihil transibit in entia, vel in naturam entium, vel nihil.

Si nihil; absurdum dicere cogemur; cum illud in ordine causæ conservari non possit.

Oportet enim ubique adesse aliquid causatis à causa, & excellenter à prima omnium, à qua omnia pendent, & per quam singula entium sunt.

Si verò transire dicimus in entia entiumque naturam; hoc quidem non fiet, nisi per participationem.

Si per participationem est; ergo bono imparticipato nihil præstantius, & tantò quidem omnia quæ participantur, præstantiora sunt, quantò bonum imparticipatum magis magisque participant.

Si enim bonum imparticipatum non est præstantius bono participato, id primum dici non potest, sed secundum; ergo posterius nobilius erit primo; quod est inconveniens.

Si ergo bonum primum præstantissimum est, ergo omnia illud appetent.

Si id omnia appetant, certè ante causam boni nihil esse potest; & si ultra illud aliquid appetit, quomodò illud dici poterit bonum absolutum?

Si verò id non appetit, quomodo omnium causam non appetunt entia, quæ processerunt ab ipsa?

Si denique ipsum bonum est, à quo omnia entia pendent, principium & causa priorissima omnium erit ipsum bonum; quod erat demonstrandum.

Rursus. Si principium est, causa omnium, necessariò id bonum erit; si sit bonum, erit quoque medium & finis omnium. ⊙. Per medium.

Medium conjunctionis est; quia eo mediante universus entium ordo mira quadam harmonia connectitur; secus fieret, si medium non esset.

Est & medium mensurationis, quia omnes entium multitudines ex se & sua natura indefinitas, per unum definit & mensurat.

Est & medium extremitatum, in quantum unitate sua sempiterna extremos entium ordines connectit.

Si medium est, ergo & finis est.

Si finis est; ergo & bonum est; finis enim & bonum convertuntur. ω. Per finem.

Si bonum est; ergo convertit omnia in seipsum tanquam ad ultimum finem.

Si convertit omnia in seipsum tanquam ad ultimum finem; ergo tanquam ultimus finis ab omnibus appetitur, & in eum omnia resolvuntur & reducuntur; quæ est spes omnium finium terræ.

Si itaque DEUS unum essentiale est principium, medium & finis omnium; ergo nullum principium, medium & finis ante eum, qui appeti potest. M.

Si nihil ante eum quod appeti potest; ergo est majus omnibus entibus, imò maximum absolutum.

Sed & est quoque summa æqualitas; Quia; Æ.

Ubicunque reperitur infinita bonitas & infinita magnitudo, ibi datur & summa æqualitas.

In DEO datur infinita bonitas & infinita magnitudo.

Ergo datur summa æqualitas. Quæ quidem nil aliud est quam nexus omnium.

Si in DEO, uno primævo datur majoritas, æqualitas, ergo & minimus suo modo dici potest; quia omnia essentiæ præsentiæ & potentiæ suæ perfectione penetrat; ita ut in unoquoque totius naturæ puncto sit totus. Min.

Vides igitur, quomodo per catenas Analytico-syntheticas omnia & singula deduci possint, ex uno primo, in infinitam entium multitudinem, & ex hac iterum per intermedios gradus reduci ad unitatem. Qui est DEUS supra omnia benedictus.

CAPUT V.

De Unitate Mathematica, & Analogia ad Unitatem Metaphyſicam.

Diximus in præcedentibus, de fœcundiſſima Unitatis Metaphyſicæ fœtura, in quantum illa ad bonum eſt revocabilis; nunc de Unitate Mathematica, in quantum illa ad Magnitudinem & durationem revocari poteſt, & amplectitur univerſam corporeæ ſive quantitativæ naturæ ſcientiam, tractandum eſt. Verùm ut hoc loco veram & exactam Analytico-Syntheticæ artis ſpecimen videas, Franciſci Patritii methodum ſectati, Mathematicorum more ab iis, ex quibus omnis rerum demonſtrandarum vis & veritas dependet, ordiri viſum eſt. Et quoniam quod unùm eſt in tranſcendentalibus, hoc in quantitate eſt punctum ſive centrum; de quo tametſi Geometræ non niſi definitionem hanc (punctum eſt, cujus nulla pars eſt, ſive quod nullas partes habet) dederint; nos tamen ejus veram ſcientiam aſſignari poſſe, Analytico-Syntheticæ artis beneficio tum demonſtrabimus, ubi prius neceſſarias ſuppoſitiones, definitiones & axiomata, more Geometris ſolito, præmiſerimus.

Suppoſitiones.

1. In omni corporeo quantitativo conſiderantur puncta, lineæ, ſuperficies & corpus, qui eſt naturalis ordo geneſis rerum quantitate affectarum, & ſe habent ut unum ad duo, tria, quatuor, in Arithmeticis; & ut inſtans ad temporum conditiones.
2. Omne ſpatium eſt extenſio, & omnis extenſio eſt ſpatium.
3. Omne ſpatium eſt vel minimum, vel medium, vel maximum.
4. Omne ſpatium eſt vel longum, vel longum & latum, vel longum, latum, & profundum.

Definitiones.

1. Minimum ſpatium eſt illud, quo minus dari non poteſt.
2. Maximum ſpatium eſt, quo majus dari non poteſt.
3. Medium eſt, quod inter majus & minus interjicitur.
4. Punctum eſt minimum in ſpatio.
5. Linea eſt ſpacium longum, ſive eſt longitudo.
6. Angulus eſt ſpatium longum & latum, ſed apertum.
7. Superficies eſt ſpatium longum & latum, ſed clauſum.
8. Corpus eſt ſpacium longum, latum & profundum.

Axiomata.

1. Illud primum eſt, quod omne aliud ordine præcedit.
2. Totum eſt majus ſua parte.
3. Omne totum in partes diviſibile eſt.
4. Omnis pars toto minor.
5. Omne quantum eſt diviſibile.
6. Omne diviſibile in minora & minora dividi poteſt.

Hiſce præmiſſis jam ordiemur Synthetico-analyticas demonſtrationes, ex quibus verum & genuinum hujus methodi artificium eluceſcet.

Euclides definiens punctum dicit, punctum eſſe id, cujus nulla pars eſt, ſatisfactumque putabat ſine ulteriori demonſtratione eſſentialem puncti conceptum exhibere. Sed datur per artem noſtram ulterior philoſophandi ratio, qua quæ alii pro principiis indemonſtrabilibus veluti ſuppoſuerunt, nos ad apodicticam limam revocemus. Puncti itaque ſcientiam dari, ita oſtendemus per Reſolutionem;

Primò quærito omnes puncti proprietates, eaſque eo ordine, qui ſequitur pone. Quibus poſitis ſic Analytico-Syntheticè ratiocinare.

Proprietates puncti.

1. Punctum.
2. Minimum in ſpacio.
3. Primum.
4. Simplex.
5. Indiviſibile.
6. Cui totum non competit.
7. Expers, id eſt, ſine partibus.
8. Impartibile.
9. Indiviſibile.
10. Non quantum.
11. Non majus.
12. Non æquale.
13. Non minus.
14. Non comparabile cum quanto.
15. Non menſurabile.

Fiat Reſolutio retrogrado ordine.

Quæritur itaque. Utrùm punctum ſit minimum in ſpacio.

℞. affirm. Idque per Syntheſin ita probat Franciſcus Patricius in ſua Geometria.

1. Pun-

1. Punctum quia eſt minimum quid in ſpacio, eſt etiam in eodem primum.
2. Et quia eſt in ſpacio primum, eſt etiam ſimplex.
3. Et quia eſt ſimplex, erit etiam indiviſibile.
4. Et quia eſt indiviſibile, totum eſſe non poteſt.
5. Et quia non eſt totum, neque partes habebit.
6. Et quia partes non habet, non eſt quoque partibile.
7. Et quia non eſt partibile, non eſt diviſibile.
8. Et quia non eſt diviſibile, non erit quantum.
9. Et quia non eſt quantum neque eſt majus, neque æquale, neque minus.
10. Et quia hoc, nulli ſpeciei quantitatis comparabile eſt.
11. Et quia hoc, neque commenſurabile eſt.
12. Et quia hoc, ideò à nullo quanto menſurabile.

Analyſis ſive Reſolutio, hinc uſque ad principium, unde per Compoſitionem dilapſi ſumus.

1. Quia verò punctum à nullo quanto menſuratur, nec ipſum quantum menſurat, eam ob cauſam ipſum eſt incommenſurabile.
2. Cum nullo autem commenſurabile eſt, quia cum nullo eſt comparabile.
3. Non eſt comparabile, quia quanto nec majus, nec minus, nec æquale eſt.
4. Majus verò, aut minus, aut æquale fieri non poteſt, quia ipſum non eſt quantum.
5. Et quia ipſum non eſt quantum, diviſibile id eſſe nequit.
6. Diviſibile eſſe nequit, quia non eſt partibile.
7. Non eſt partibile, quia nullas partes habet.
8. Nullas partes habet, quia non eſt totum.
9. Non eſt totum, quia eſt indiviſibile.
10. Et quia eſt indiviſibile, ideo eſt ſimplex.
11. Et quia ſimplex, ideò primum in ſpacio eſt.
12. Et quia primum in ſpacio eſt, id eſt & neceſſariò minimum in ſpacio.

Punctum ergo eſt minimum in ſpacio; quod erat demonſtrandum.

Demonſtratio dictorum.

Si quiſpiam verò per abſurdum, unum ex dictæ Compoſitionis Reſolutioniſque membris negaverit, quomodò is per deductionem ad impoſſibile Syllogiſmoſque demonſtrativos, de irrefragabilis veritatis negatione convinci poſſit, jam reſtat, ut doceamus.

Primum Compoſitionis membrum erat:

Si punctum eſt minimum in ſpatio exiſtens, erit id neceſſariò & primum in ſpacio. Propoſitio 1.

Si punctum quod eſt in ſpatio, minimum, in ſpatio non eſſet primum, ante minimum aliquid minus minimo foret. Demonſtratio.

Sed punctum, quod eſt minimum quid, minus habere non poteſt.

Ergo punctum eò quod ſit minimum in ſpacio, in eo primum quoque eſt.

Cum itaque punctum ſit primum in ſpacio, erit quoque ſimplex; quod ita demonſtro. Propoſ. 2.

Si enim punctum non eſſet ſimplex, id non foret primum. Demonſtratio.

Sed demonſtratum eſt in præcedente, punctum eſſe primum.

Ergo cum ſit primum, erit quoque ſimplex.

Si itaque punctum ſit ſimplex, erit indiviſibile; quod ita demonſtratur. Propoſ. 3.

Si enim punctum non foret indiviſibile, id diviſibile foret in ſuas partes componentes, & conſequenter eſſet compoſitum. Demonſt.

Sed ex præcedente demonſtratum eſt, punctum eſſe ſimplex.

Ergo punctum eò quod ſimplex, erit etiam indiviſibile.

Punctum cùm ſit indiviſibile, non erit totum; quod ita demonſtratur. Propoſ. 4.

Si enim punctum eſſet totum, id foret diviſibile in ſuas partes. Demonſt.

Sed ex præcedenti conſtat, punctum eſſe indiviſibile.

Cùm ergo tale ſit, totum eſſe non poteſt.

Et quoniam punctum totum non eſt, neque partes ullas habebit; quod ita demonſtratur. Propoſ. 5.

Si punctum haberet partes, id totum quoque eſſet. Demónſt.

Sed demonſtratum eſt in præcedenti, punctum non eſſe totum.

Ergo, cum non ſit totum, neque partes ullas habet.

Et quia punctum non habet partes, ideò non eſt partibile, quod ita demonſtratur. Propoſ. 6.

Si punctum foret partibile, haberet partes; quod contra præcedentem eſt. Demonſt.

Ergo quia partes non habet, ideò non eſt partibile.

Et ſi punctum partes non habet, non erit quoque diviſibile; quod ita demonſtratur. Propoſ. 7.

Si enim partes haberet, foret quoque diviſibile; quia omne quod partibus conſtat, eſt diviſibile. Demonſt.

Sed

Sed ex præcedente patuit, punctum non habere partes;
Ergo neque est divisibile.

Propos. 8. Et quia punctum non est divisibile, id neque erit quantum; quod ita demonstratur.

Demonst. Si enim esset quantum, esset quoque divisibile;
Sed ex præcedentibus patuit, non esse divisibile;
Ergo neque quantum.

Propos. 9. Et quia punctum quantum non est, neque minus fiet; Quod ita demonstratur.

Demonstr. Si punctum minus fieret, id foret quantum;
Sed hoc repugnat præcedenti:
Ergo uti non est quantum, ita minus fieri non potest.

Propos. 10. Et quia punctum non potest fieri minus, neque majus esse potest; quod ita demonstratur.

Demonstr. Si punctum majus esset, etiam foret minus:
Sed hoc est contra præcedentia;
Ergo sicuti minus non fit, ita majus quoque fieri non potest.

Propos. 11. Et quia neque majus neque minus esse potest, neque æquale esse potest; quod ita demonstro.

Demonst. Si enim æquale fieri posset, fieri quoque posset majus & minus, ratione commensurabilitatis.
Sed hoc est contra præcedentem.
Ergo cum majus & minus esse non possit, neque æquale fieri potest; ratione commensurabilitatis.

Propos. 12. Et quia majus, minus, & æquale non est, id pariter comparari non potest ulli quanto: quod ita demonstro.

Demonst. Si comparari posset cum quanto majori, minori, æquali, esset & ipsum quoque majus, minus, & æquale.
Sed hoc est contra præcedentem propositionem.
Ergo punctum, quia majus, minus, æquale esse non potest, ideo quoque comparari non potest majori, minori æquali, neque lineæ, neque superficiei, neque angulo, ratione commensurabilitatis.

Propos. 13. Si neque æquali neque majori neque minori comparari potest; ergo neque iisdem potest commensurari.

Demonst. Quia, si posset commensurari, posset & ipsum quoque esse mensura.
Quæ omnia impossibilia sunt. Ergo.

Punctum itaque incommensurabile est, quia majus, minus, æquale esse non potest: Et hoc pacto retrogrado ordine per Analysin resolves, inferendo semper unum ex altero, usque ad primò propositam quæstionem uti suprà in Resolutionis exemplo patuit.

Vides itaque in hoc specimine terminos concatenata quadam consecutione, & illatione unius ex altero ita constitutos, ut quos Synthesis ex centro ad circumferentiam deducit, hos deductos ex circumferentia ad centrum reducat Analysis; quo nihil pulchrius & in veritatis exploratione excogitari potest scitius.

Quæritur Secundò. An punctum habeat situm in spatio?

Cum punctum sit in spacio, etiam habebit situm.
Si non haberet situm in spatio, non esset in spatio.
Sed est in spatio. Ergo habet situm in spatio.
Cum itaque situm habeat in spatio, habebit etiam positionem in spatio.
Si non haberet positionem in spatio, etiam situm non haberet in spatio.
Sed ex præcedenti situm habet; Ergo & positionem.
Si itaque positionem habet in spatio, dicet quoque respectum ad alia puncta, sive lineas, sive superficies, sive corpora.
Si non diceret respectum ad puncta, non haberet positionem in spatio.
Sed ex præcedenti habet positionem in spatio.
Ergo & respectum dicit ad puncta, lineas, superficies, corpora.
Ergo per Analysin.
Punctum respectum dicit ad puncta, lineas, superficies, corpora, quæ sunt in spatio; quia illud in spatio habet positionem.
Et quia habet positionem in spatio, habet & in eodem situm.
Et quia habet situm, est etiam in spatio.

Quæritur Tertiò. An duo puncta se contingere possint?

℞. Affirm. Componendo ita rem demonstrat Franciscus Patricius.
Si punctum, uti in ultima præcedentis ostensum est, respectum dicit ad plura alia puncta in spatio, vel se tangent, vel non tangent.
Si se tangent, spacium non occupabunt.
Quia si spatium occuparent, non essent minima, sed quantitate affecta.
Sed ex præcedentibus demonstratum est, esse minima in spatio & quantitatis expertia.
Ergo contingendo se duo vel plura puncta, spatium non occupabunt.

Si enim

Si enim majus uno puncto ſpatium occuparent, unumquodque illorum ſpatium occuparet majus uno puncto.
Sed ex præcedenti patuit, illa ſpatium non occupare.
Ergo puncta plura contingendo ſe, majus uno puncto ſpatium non occupabunt, etiamſi forent infinita.

Et quia tangendo ſe, majus uno puncto ſpatium non occupant, intra ſpatium quoque non extenduntur.
Si enim extenderentur, majus uno puncto ſpatium occuparent.
Sed hoc refutatum eſt in præcedente.
Ergo cùm majus uno puncto ſolo ſpatium non occupant, neque in eodem extenduntur.

Et ſi non extenduntur, magnitudinem non acquirunt.
Si enim magnitudinem acquirerent, ſupra ſpatium ſe extenderent.
Sed hoc in præcedenti exploſum eſt.
Ergo cum in ſpatio non extendantur, neque magnitudinem acquirent.

Et ſi magnitudinem non acquirunt, neque de ſe illam producunt.
Si enim eam producerent, jam eam in ſe haberent;
Sed hoc eſt contra præcedentem.
Ergo dum magnitudinem non acquirunt, neque eam de ſe producent.

Et quia magnitudinem de ſe non producunt, neque longum, aut longitudinem aut lineam faciunt.
Si enim lineam facerent, longitudinem etiam ex ſe producerent.
Sed hoc eſt contra præcedentem.
Ergo cum longitudinem de ſe non producunt, neque lineam producent.

Et quia lineam non faciunt, etiam latitudinem aut ſuperficiem non faciunt.
Quia ſi ſuperficiem producerent, jam lineam quoque produxiſſent.
Sed hoc eſt contra præcedentem.
Ergo cum lineam de ſe non producant, neque ſuperficiem producent.

Et quia ſuperficiem non formant, etiam corpus non producunt.
Si enim corpus producerent, etiam ſuperficiem producerent.
Sed hoc eſt contra præcedentem.
Ergo ſi ſuperficiem non formant puncta plura contactu ſuo, ergo neque corpus producent.

Per Reſolutionem itaque redeamus eò, undè digreſſi ſumus.

Ergo duo aut plura puncta tangendo ſe, corpus de ſe non producunt.
Non formant corpus, quia ſuperficiem non producunt.
Non producunt ſuperficiem, quia lineam non producunt.
Non producunt lineam, quia magnitudinem de ſe non producunt.
Magnitudinem de ſe non producunt, quia eam non acquirunt.
Non acquirunt, quia in ſpatio non ſe extendunt.
In ſpatio non ſe extendunt, quia uno puncto ſolo majus ſpatium non occupant.
Et ſpatium non occupant, quia minima ſunt, & omnis quantitatis expertia.

Habemus primum duo puncta ſe tangere poſſe, ſpatium tamen, quod occupant, non niſi uno puncto majus eſſe.

Supponamus jam, duo puncta in ſpacio non ſe tangere. Dico, ſi duo puncta in ſpatio non ſe tangunt, ſpatium illud interſitum, punctum eſſe non poſſe.
Si enim eſſet punctum, ſe etiam tangerent.
Sed per ſuppoſitionem non ſe tangunt.
Ergo ſpacium illud, ſi ſpatium ſit, punctum non erit.
Si non eſt punctum, ergo ſpatium eſſe poteſt inter illa minimum, medium, maximum.
Si non, ergo nullum ſpatium eſſet. Ergo inter illa ſpatium eſſe poteſt minimum, medium, maximum.
Si ſit ſpatium minimum, quo minus dari non poteſt, id conſequenter erit primum in genere longorum. Si non eſſet prima, ante eam eſſet alia linea; Sed quia minima eſt, alia ante eam dari non poteſt. Ergo.
Si eſt primum, ergo erit ſimplex; ſi enim non eſſet ſimplex non eſſet prima, quod eſt contra præcedentem; Ergo, quia prima eſt, ſimplex eſt.
Si ſimplex, ergo ex partibus non erit compoſita.
Si eſſet ex partibus compoſita, jam non eſſet ſimplex;
Quia ergo eſt ſimplex, erit etiam ex partibus non compoſita.
Si non ſit compoſita ex partibus; ergo illud ſpatium non habebit partes; quia ſic ex partibus jam eſſet compoſita; quod eſt contra præcedentem. Ergo.
Si non habebit partes; ergo neque erit partibilis.
Si non partibilis; ergo neque diviſibilis.
Si non diviſibilis, ergo ſimplex hoc ſpatium, prima erit in ſpatio longitudo, ſive linea minima; quæ uti non eſt divi-

divisibilis, ita quoque nec in infinitum erit divisibilis.

Si verò linea minima non est divisibilis in infinitum, neque media linea erit divisibilis in infinitum, & consequenter neque maxima; semper enim divisio earum terminabitur in minima; Ergo nulla linea erit divisibilis in infinitum. Ergo falsum dogma, omnem lineam in infinitum esse divisibilem.

Quamvis verò duo puncta in spatio posita non se tangant, tangent tamen utrumque lineæ extremum; secus enim, spatium aliud foret inter lineæ extremum & punctum.

Si itaque tangunt utrinque lineam, erunt quoque extrema lineæ, aliàs enim non tangerent.

Si sunt extrema lineæ, erunt & termini ejusdem; aliàs enim non essent extrema.

Si termini, ergo lineam facient terminatam; aliàs enim non essent termini.

Si terminant, ergo terminant finitè, aliàs enim non terminarent.

Si finitè terminant; ergò linea utrinque potest prolongari; esset enim aliàs sine termino.

Si utrinque potest prolongari; ergo semper plus & plus potest prolongari.

Si semper plus & plus potest prolongari; ergo in infinitum.

Si potest prolongari in infinitum utrinque; ergo & linea minima potest prolongari.

Si potest prolongari; ergo potest pervenire ad æqualitatem mediæ & maximæ.

Si hoc, ergo non remanet minima, sed semper magis & magis prolongari potest in infinitum.

Sed ut per Analysin eò, unde progressi sumus, redeamus.

Nulla linea est divisibilis in infinitum.

Si non est divisibilis in infinitum; Ergo maxima non est divisibilis in infinitum; ergo neque media, neque minima.

Minima non est divisibilis in infinitum, quia est indivisibilis.

Est indivisibilis, quia non est partibilis.

Non est partibilis, quia omnis partis expers.

Est omnis partis expers, quia est incomposita.

Est incomposita, quia est simplex.

Est simplex, quia est prima.

Est prima, quia est minima, qua minor dari non potest.

Hæc linea semper potest esse major; ergo potest fieri media & maxima.

Potest fieri maxima, quia potest fieri media.

Potest fieri media, quia potest prolongari.

Potest prolongari, quia potest prolongari in infinitum.

Et quia semper potest prolongari, erit utrinque semper finita.

Si semper erit finita, utrimque erit terminata, quia utrimque habet terminos.

Habet terminos, quia habet extrema, quæ lineam utrimque tangunt.

Et quia utrinque tangunt lineam, spacium comprehendunt.

Et quia spacium comprehendunt, ideò non se tangunt; quod ab initio erat demonstrandum.

Hæc de puncti scientia per Analytico-Syntheticum artificium dicta sufficiant; quod enim de puncto demonstratum est, id & de Linea, angulo, parallelis, triangulis, cœterisque Geometricis propositionibus, Axiomatibus, definitionibus demonstrari potest, uti nos fusè in nostra Geometria Combinatoria, Deo dante, suo tempore, comprobabimus.

§. I.

Applicatio scientiæ puncti ad divinas proprietates, & ad octodecim Artis Magnæ principia.

Et quoniam punctum se habet per modum unius; Hinc quæcunque de proprietatibus DEI, Angelorum, rationalis creaturæ, proprietatibus dicuntur, illa omnia miro quodam ordine, & secundum analogiam quandam, quæ de dictis pariter enuntiari possunt, in puncti elucent proprietatibus. Si enim quærat quispiam.

Cur DEUS definiatur circulus, cujus punctum medium seu centrum sit ubique, circumferentia nusquam? Respondeo, quia ad punctum habet analogiam. Hoc ita resolvendum est.

Si DEUS centrum est; ergo unum primum; si primum, ergo simplex; si simplex, ergo incompositus; si incompositus, ergo partes non habet; si partes non habet, ergo impartibilis; si impartibilis, ergo indivisibilis; si indivisibilis, ergo non est ens quantum; si non ens quantum, ergo neque longum, latum, profundum; si neque longum, latum, profundum, ergo neque corporeum; si non corporeum, ergo incorporeum; si incorporeum, ergo ens est incorporeum primunum; si primunum, ergo bonum,

bonum, primum & ſummum; ſi hoc, ergo infinitè magnum; ſi infinitè magnum, ergo infinitè durans, id eſt, æternus; ſi æternus, ergo infinitè potens; ſi infinitè potens, ergo infinitè ſapiens; ſi infinitè ſapiens, ergo infinitæ voluntatis; ſi hoc, ergo infinitæ virtutis & perfectionis; ſi hoc, ergo veritas infinita; ſi hoc, ergo gloria infinita & æterna.

Si hæc omnia ſit DEUS unus; ergo nulla in eo dabitur differentia; ſi nulla differentia; ergo ſumma concordantia. Si ſumma concordantia, ergo omnis contrarietatis expers. Eſt itaque DEUS principium, medium & finis ultimus omnium; Major omnibus, æquans omnia, omni minoritate excluſa.

Vides itaque Lector, quomodò ex unius puncti proprietatibus, quicquid de DEO dici poteſt, per noſtræ Artis methodum demonſtrari queat. Et quoniam à puncto & uno incipimus; quomodo hujus puncti unitas, rebus quoque creatis applicari poſſit, videamus. Sicuti enim unitas omnibus ineſt, ita & punctum κατὰ τὴν ἀναλογίαν, omnibus applicari poſſe oſtendamus.

§. II.

De Angelica natura analoga lineæ minimæ, ad DEUM centrum omnium Comparata Reſolutiones.

DEUS ſimul ac à centro ad circumferentiam, id eſt, ad extra ſe movit, immobilis & immutabilis; mox Natura prodiit Angelica, quam nos lineæ minimæ, ſecundum analogiam quandam, quam à fluxu puncti concipimus, comparamus; id eſt, prodierunt duo puncta non ſe contingentia; ſicuti enim duo puncta non ſe contingentia neceſſario ſpacium intercipiunt, ita quoque hoc ſpatium punctum eſſe non poteſt. Si non eſt punctum, ergo alterum à puncto primo, ſeu centro eſſentiali Univerſorum DEO; Ergo eſt ſpacium minimum. Si ſpatium minimum, ergo cum puncto primo & eſſentiali & infinito, coincidere non poteſt; Si coincidere non poteſt, ergo nunquam idem fieri poteſt cum puncto infinito, cùm ſpatium ſit terminatum. Si idem eſſe non poteſt cum puncto eſſentiali, ergo ab eo immediatè productum fuit; ergo ab eo immediatè prodiit; & alterum factum eſt: Sicuti enim linea à puncto profluere concipitur, ita Angelus à DEO, centro omnium; & ſicuti linea differt à puncto, quod lineam terminat, ita Angelus à DEO, quia ab eo terminatur; Et quemadmodum linea minima incorporea à puncto incorporeo incipit, ita & Angelus incorporeus à DEO incorporeo; & quemadmodum linea prima eſt quantitatis ſpecies poſt punctum, ita Angelus prima Creatura poſt centrum omnium DEUM à DEO producta ex nihilo.

Si prima Creaturarum, ergo ſicuti linea minima eſt ſimplex, ita & Angelus ſubſtantia ſimplex.

Si eſt ſimplex, ergo, ſicuti linea minima, quâ minor dari non poteſt; non eſt compoſita ex partibus, ita & Angelus.

Si non eſt compoſita ex partibus; ergo ſicuti linea minima non eſt partibilis, ita & Angelus.

Si non eſt partibilis; ergo ſicuti linea minima non eſt diviſibilis, ex ſuprà demonſtratis, itaque neque Angelus.

Si non eſt diviſibilis, ergo ſicuti linea minima eſt unum quid indiviſibile; ita & Angelica natura unum quid & indiviſibile eſt, ergo incorporeum intellectuale.

Si unum quid Angelus quoad ſubſtantiam, & indiviſum in ſe, ergo ens bonum erit, convertuntur enim inter ſe bonum & unum. B.

Si bonum eſt intellectuale, ergo & bonitatis ſuæ diffuſivus; eſt enim omne bonum diffuſivum ſui.

Si eſt bonitatis ſuæ diffuſivus, ergo & magnitudine pollebit intellectuali; fieri enim non poteſt, ut bonus ſit, & magnus non ſit, cum magnitudo, bonitatis formalis effectus ſit. M.

Si magnum ſit ens intellectuale, ergo & durabilem permanentiam habebit, cum fieri non poſſit, ut quidpiam boni magnum ſit & non duret, & quidem uti ſubſtantia incorporea, ita perennis. D.

Si bonum magnum duret, ergo potentia pollebit activa intellectuali; ſi enim nulla potentia pollet, ergo bonum & magnum eſſe non poteſt; quod contra præcedentem eſt. P.

Si potens eſt, ergo intellectuali vi pollebit; S.

Si intellectuali vi pollebit; ergo erit ſummè ſapiens; ſi enim non eſſet ſapiens, altiſſimarum rerum cauſas intellectu non penetraret; quod falſum eſt.

Si eſt ſummè ſapiens, ergò ſummè appetitivum ſive voluntarium; ubicunque enim eſt ens intellectuale, ubi vim appetitivam ponere neceſſe eſt. Vo.

Si eſt voluntarium; ergo ſummæ virtutis & efficaciæ, tum ad intelligendum tum ad volendum erit. Vi.

Si eſt ſummæ virtutis & efficaciæ tum ad intelligendum, tum ad volendum, ergo eſt in eo ſumma conformitas intellectus cum rebus volitis.

Ve. Si est summa conformitas intellectus cum rebus volitis, ergo summa veritas creata.

G. Si est summa veritas creata, ergo est gloriosus, ergo plenam habet felicitatem in seipso. Haud secus per principia respectiva procedendum tibi esse scias.

Vides jam aliam catenam ex uno & puncto, quâ angelicæ naturæ proprietates miro quodam resolutorum terminorum ordine & nexu constituuntur.

§. III.

Rationalis Creaturæ, qui est homo, ad punctum, lineam, & superficiem comparatio & Analogia.

Quemadmodum ex uno seu puncto essentiali, profluxit linea minima, id est Angelus, ita sicuti ex fluxu puncti linea, ita ex fluxu lineæ constituitur superficies, quæ est longa & lata, quam nos secundùm ceptam analogiæ telam hominem rationalem dicimus; constat enim ex linea, id est, intellectu & ratione; quorum illud lineæ indivisibilis minima, hoc superficiei applicatio sequitur; Est enim rationis proprium discurrere, sicuti angeli sine discursu intelligere.

Si itaque homo ratiocinando discurrit, quod est proprium discurrere ex linea in superficiem; ergo judicat.

Si enim non judicaret, non discurreret, quod falsum est; ergo judicat.

Si judicat, ergo unum infert ex altero; aliàs enim non judicaret, unum expedire præ altro.

Si infert unum ex altero; ergo distinguit unum ab altero.

Si distinguit unum ab altero, ergo dividit.

Si dividit, ergo ex divisione infert differentias, ex differentiis species, ex speciebus individua, quod est, per longum & latum discurrere; ergo ratio humana in longum latumque discurrens se habet per modum superficiei ex lineæ fluxu constitutæ, quod ab initio erat propositum demonstrandum.

§. IV.

Analogia seu Applicatio unitatis essentiæ & vitæ intellectus primi ad omnia Mundi entia, eadem attributa secundùm gradus participantia.

Species rerum se habent, teste Aristotele, ut numeri; cui si unitatem addideris, statim in alterius unitatis essentiam illum degenerare necesse est; ut si binario 1. addas, fiet alter à binario numerus, videlicet ternarius, essentialiter à binario distinctus, sua essentiali unitate gaudens; & sic de cæteris.

Cùm itaque jam demonstratum sit, à Deo veluti ex centro prim'uno omnia provenisse; primam scilicet unitatem & in ea & extra eam omnes entium unitates, easque inter se tantum distinctas, quantum distinguuntur numeri à numeris, binarius à ternario, & hic à quaternario, sola primæ unitatis seu puncti ad extra facta appositione.

Si itaque ab unitate hac omnes unitates tum in Deo, tum extra ipsum sunt, ergo ab unitate hac omnes essentiæ; concipitur enim unum prius, quàm essentia.

Si ab unitate omnes essentiæ; ergo sicuti ab unitate omnes unitates, ita ab essentia prima omnes reliquæ essentiæ.

Si ab essentia omnes essentiæ, ergo uti à prima essentia omnes essentiæ, ita ab una essentia vita prima, & ab hac omnes vitæ.

Si à prima vita omnes vitæ, ergo & à prima vita primus intellectus; & ab hoc omnes creati intellectus; Concipiuntur enim, ratione originis primò unum, deinde essentia, & deinde vita, deinde intellectus; quæ tamen in Deo omnia unum sunt.

Si à primo intellectu omnes intellectus, ergo & à primo intellectu omnes animæ, id est ab anima prima omnium omnes animæ, quæ uti in Deo omnia unum sunt, ita & in anima omnia hæc unum sunt, unitas, essentia, vita, intellectus; inter quos gradus nihil mediat. Quod ut intelligas,

	1. Unitas.	Participat.
	2. Essentia.	
	3. Vita.	
	4. Intellectus.	
Medium.	5. Anima rationalis.	
	4. Natura.	Participat.
	3. Proprietas.	
	1. Forma.	
	2. Corpora.	

Nota, animam rationalem mediam esse inter novem universitatis gradus, superiores quatuor, & inferiores quatuor. Superiores sunt, unitas, essentia, vita, intellectus. Inferiores sunt, natura, proprietas, forma, corpora. Superiores immobiles & in dignitate sua constituti, infra animam non descendent, neque inferiorum quatuor ullum ultra animam ascendet; neque natura mundana, neque proprietas, neque forma, neque corpus, tametsi superiores quatuor, inferioribus quatuor de suis proprie-

proprietatibus nonnullas, non tamen omnes communicent. In omnibus unitatem, in aliquibus eſſentiam tantùm, in nonnullis vitam tantùm & ſenſum; mentem verò & intellectum nulli inferiorum animâ. Nullum etiam in novemplici hoc graduum ordine eſt, quod uti unum eſt, & ens eſt, ita bonum quoque non ſit; Vidit enim DEUS quæ fecit, & erant valdè bona; quod ita oſtendo reſolutoriè.

B. Si omnia bona ſunt, bonitate ſua primam bonitatem ut ut poterunt, imitabuntur; eſt enim omne bonum diffuſivum ſui; facient ergo aliquid.

Si facient aliquid, ergo hæc factio actio erit; Sed actio omnis eſt à viribus; vires ab eſſentia; ergo omnia beneficam eſſentiam habebunt, à majori uſque ad minimum.

Si omnia eſſentiam beneficam habent; ergo in ſe primò vires habent & per vires actiones parturient ad extra.

Si ad extra actiones parturiunt; ergo in ſe prius erunt prægnantia, & ad extra neceſſariò fœcunda;

Ergo converſa ratione, omne ens eſt fœcundum; ſi fœcundum, ergo etiam prægnans; ſi prægnans, etiam parturit; ſi parturit, etiam producit.

Si enim vires ab eſſentia emanantes nihil producunt; ergo erunt otioſæ; ſed fieri non poteſt, ut à bono ſummo & primuno participatum, ſit otioſum; ergo otioſæ non ſunt; ergo agent aliquid.

Si agent aliquid; erunt ergo in motu vel interno, vel ad extra externo; externus per internum ad extra fit, & vita dicitur.

Eſt enim vita nihil aliud, quàm eſſentia parturiens actionem tum intra ſe, tum extra ſe; ſi enim intra ſe actionem edit, ea actio à ſe non exit, ſed immota hæret; ſi verò extra ſe abit, fieri non poteſt, ut ſit otioſa.

Si otioſa non eſt, & ipſa motus eſt, & motu ipſo aliud à ſe efficit ut cauſa, quam vocant, alterius immediata.

Si cauſa eſt, illa prior erit & potentior ſuo cauſato.

Si prior & potentior ſuo cauſato; ergo cauſatum poſterius, vel impotentius; vel potentius, vel æquale erit;

Sed uti prius aſſerendum eſt, ita reliqua neganda ſunt.

Ergo impotentius eſt, quia tametſi omnes cauſæ proprietates ſecum ferat, eæ tamen remiſſiores ſunt.

Si remiſſiores; ergo non eaſdem prorſus habet, eſſet enim aliàs idem cum ſua cauſa, quod abſurdum eſt; neque præſtantiores, ſic enim ad ſuperiora fieret propagatio; quod naturæ ordini repugnat.

Si non præſtantiores, ergo non æquales, quia effectus cauſæ ſuæ par eſſe nequit; ergo remiſſiores, ut dictum eſt, ſecum defert cauſatum, partim cauſæ ſimiles, partim diſſimiles. Ergo effectus omnis non eodem cum cauſa gradu conſiſtit, non idem cum eo, ſed ſimile, & minus, & diverſum.

Habemus ergo per reſolutionem, quod omnis effectus ſit idem & diverſum, ſimile & diſſimile à ſua cauſa, quod poſterior, impotentior, ipſa cauſa in quantum primum agens eſt. Cauſa autem producendo effectum non otioſa erit, quia aget; ſi aget, ergo ab intrinſeco habuit, unde ageret; ergo vires habet, unde agat; ergo cauſa ut agens eſt diffuſiva ſuarum virium; ergo bonum; bonitas hæc eſt ab anima prima; anima ab intellectu primo; intellectus à vita prima; vita prima ab eſſentia prima; eſſentia prima ab unitate prima; & ſic datur reditus ad unum, qui eſt DEUS benedictus in ſecula. B.

Si porrò omnis cauſa per vires & actiones bona eſt, in quantum ſe diffundit; in alia ſe fundit, ſe propagat, & beneficiis implet, ergo & magna eſt. M.

Si enim non magna eſt, ergo neque ad alia ſeſe extendit, quod eſt bonitati contrarium: Si ſe extendit, ergo & magna.

Si magna, ergo & durans; Si enim non duraret, neque bona, neque magna foret, neque ſe diffunderet, vel extenderet; ſed ſeſe diffundit & extendit, ergo durat. D.

Si durat ſe diffundendo, extendendo, ergo potens eſt; aliàs enim non ſe diffunderet, neque extenderet, neque duraret; quæ incongrua ſunt; ergo potens eſt. P.

Si potens eſt; ergo cognoſcitiva vi pollet. S.

Si cognoſcitiva vi pollet, ergo illa erit vis intellectualis, vel rationalis, vel inſtinctiva; utique omne cauſans in rerum natura, unâ ex hiſce, Angelus intellectuali pura, rationalis mixtâ, reliqua ſenſitiva, vegetabilia, inanimata inſtinctivâ pollebunt; ergo omne cauſans cognoſcitiva vi pollebit vel vera vel analoga, unumquodque modo ſibi proportionato.

Si cognoſcitiva vi pollet, ergo & appetitiva; ſi enim bonum ſibi congruum non cognoſceret, illud non appeteret; ſed appetit, ergo cognoſcit, vel per realem cognitionem, vel inſtinctivam. Vo.

Vi. Si appetitiva vi pollet, ergo vires habebit ad finem obtinendum necessarias; si enim vires non habet ad bonum obtinendum necessarias; ergo frustra erit cognoscitiva & appetitiva vis à natura instituta; Sed DEUS & natura nil frustra faciunt; ergo vires habebit.

Ve. Si vires habet, ergo cognoscitivam conformitatem habebit ad cognoscibile, & volitivam ad bonum volibile; ergo

Gl. erit vera; ergo erit gloriosa, requiescens in fine suo adepto.

Omnia ergo à supremo ad infimum ens, unitates sunt, essentiæ sunt, Magnitudines, D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. sunt; In superioribus quidem quatuor, propriè; in inferioribus partim propriè, partim impropriè, & secundùm analogiam quandam.

DEUS ergo intellectus Conditor, dum hominem conderet, anima rationali instructum, omnes in eum transfudit proprietates, identitatis suæ tantum illi tribuens, quantum in alteritatem cadens secum ferre potuit; factus itaque homo anima rationali instructus, rerum universitas tota, sed modo & conditione animæ propria, videlicet animaria; sicuti intellectus factus est universitas tota, sed intellectualis; & vita universitas tota, sed vitalis; essentia universitas tota, sed essentialis; & denique unitas universitas tota, sed unialis.

Quemadmodum verò in intellectu omnium rerum formæ fuerunt suo modo; ita in animum eædem omnes rerum formæ ab intellectu descenderunt; per quas sicuti intellectus intelligibilis & intellectualis Mundus erat, sic homo anima rationali instructus, factus est Mundus animarius, rerum omnium formis refertus.

Homo itaque omnia est; superiora in se exprimit tanquam in imagine, inferiora respicit tanquam eorum exemplar; & essentia quidem sua tota universitas entium est, modo ut diximus, animario. Est igitur unum ab unitate prim-una; essentia, ab essentia intelligibili; & vita à vita intelligibili; & intellectus ab intellectu Conditore; & quamvis ab hoc productus sit & ab eo dependeat necessariò; postquam tamen productus fuit, & in se unus est, & unitatem habet, & in se est, & essentiam habet, & in se vivit effectivè & est vita, in se intelligit suo modo, & est intellectus, & est ratio, & est rationalis suo modo, & rationes rerum omnium essentiales sibi insitas habet: Ab Archetypo siquidem per unitatem, essentiam, vitam, intellectum in eum descenderunt; similem quidem illius proprietatibus, quia identitatis illius aliquid secum tulit; dissimilem verò, quia in alteritatem ab eo cecidit, aliusque ab eo factus est. Quemadmodum autem ipse à superioribus factus est, ita fiunt ea, quorum ipse productor est; partim similia ipsi, partim dissimilia, quia alia ab ipso facit. Rursus, quia uti intellectus est animæ, ita & naturæ quoque conditor est; ideò natura Universitas fit naturalis; & quia natura qualitatibus non affecta subsistere non potest, ideò qualitas quoque Universitas quædam erit, ut ita dicam, qualitativa; & quia qualitatibus veluti dispositionibus quibusdam præviis per hasce formarum quoque corporearum Conditor est, ideo forma quoque corporea Universitas erit formalis, id est, corporea; à qua proximè & à superis, qualitate, natura, animo intellectuque cum corpus efficiatur, corpus quoque Universitas erit corporalis. Omnes hæ universitates suo quæque ordine & statu stant; sunt tamen omnia in omnibus; superæ suo modo in inferis, & inferæ suo modo in superis.

Sunt itaque novem Universitatis gradus, uti suprà retulimus, & præter hos nihil est in rerum natura; nihil hisce intermediat; & quæcunque sunt, ex uno vel pluribus constant. Homo verò in quantum anima rationali instructus est, medium locum inter quatuor incorporea superiora, & quatuor corporea inferiora occupat; ut proinde solus homo à superioribus incorporeum quod habet, ab inferioribus corporeum quod habet, participet, cum utrisque communicans.

CONSECTARIUM.

Hinc sequitur, omnia quæ in Universitate rerum sunt, aut corporea esse aut incorporea, aut ex corporeo & incorporeo composita; Quæ omnia ἀναλυτικῶς-συνθετικῶς ita deduco. Axioma physicum est, dato uno contrariorum, & alterum dari necesse est; sed datur corporeum, ergo & incorporeum; ex his quoque medium dari postea ostendam. Igitur à corporeo incipiamus.

Si itaque corpus est, id vel à se movetur, vel ab alio: Si à se movetur, id non à seipso, sed à propria forma moveri necesse est.

Si à propria forma movetur; ergo id quod movet, à corpore aliud quid esse necesse est; ergo corpus in quantum corpus est, non se movet; sed ab intrinseco diverso à corpore differente moveri debet.

Si enim corpus seipsum in quantum corpus est, movet; ergo id movebitur à semet sine intrinseco, quod est impossibile; movetur ergo ab alio.

Si mo-

Si movetur ab alio, movebitur in tempore; ſi movetur in tempore, ergo motus hic erit actio; actio autem profluit à viribus; vires ab eſſentia; ergo motus hic & actio erit temporanea; ergo vires & eſſentia unde profluit, erunt temporaneæ. Si eſſentia eſt temporanea, ergo erit partibilis; ſi partibilis, ergo diviſibilis.

Si eſt partibilis & diviſibilis, ergo trinam habebit dimenſionem.

Omne verò quod trinam habet dimenſionem, corpus eſt, & omne corpus trinam habet dimenſionem; ſi trinam habet dimenſionem, ergo mole conſtat.

Si mole conſtat, ergo neceſſariò in loco erit; eſt enim locus, omnium corporum primum principium.

Omne ergo corpus in loco eſt & ſpatium occupat, & mole conſtat, & moles eſt, & trinam dimenſionem habet.

Si trinam habet dimenſionem, ergo totum erit; ſi totum, ergo partes habet; ſi partes habet; ergo erit diviſibile.

Si diviſibile, ergo patietur; nihil enim aliud agit corpus, quàm quod patiatur; ſi itaque patitur, ergo alteratur.

Si alteratur; ergo mutatur; ergo ab eo quod prius erat, non eſt amplius, quod erat; ex ea igitur parte, quod erat, & jam non eſt, eſt non ens; ſed ex ea parte, quod jam eſt, quod prius non erat, entis ſuſcipit denominationem, eſtque id, in quod mutatur. Ergo compoſitoriè corpus nunquam idem eſt, quia mutatur; mutatur, quia alteratur; alteratur, quia patitur; patitur, quia diviſibile; diviſibile eſt, quia partes habet; partes habet, quia trinè dimenſum; trinè dimenſum eſt, quia mole conſtat; mole conſtat, quia loco continetur; loco continetur, quia in ſpacio eſt determinato; atque ideo mobile eſt, non à ſe, ergo ab alio; uti prius demonſtravimus.

Ex hiſce corporis proprietatibus oſtendimus, neceſſariò incorporeum dari debere; Dato enim uno oppoſitorum, corporeo, alterum, incorporeum, dari neceſſe eſt.

Invenietur igitur in Univerſitate ens aliquod corporeo oppoſitum, videlicet incorporeum, quod ſemper ſit ſibi ſimile, ſemper ens, ſemper idem.

Semper hoc erit, quia non mutabile; & quia non mutabile, non erit alterabile; & quia non eſt alterabile, non erit paſſibile; & quia non eſt paſſibile, non erit partibile; & hoc, quia nullis partibus conſtat; & quia nullis partibus conſtat, non erit trinè dimenſum; & quia non eſt trinè dimenſum, non erit moles; & quia mole non conſtat, ſpacio ſeu loco non commenſurabitur; ſi loco non commenſurabitur, ergo erit totum in toto, & totum in qualibet parte; & quia hoc, erit neceſſariò per ſe ſubſiſtens; ergo incorporeum.

Vides igitur, quàm ſcitè ex oppoſitorum arte, res alioquin cognitione difficiles, per Analyticam noſtram Artem veluti per quandam propoſitionum argumentorumque catenam, demonſtrare valeamus.

Quomodò verò Corporeum incorporeo jungi poſſit, id eſt, quomodo anima rationalis corpori inſita, partim cum corporeis, partim cum incorporeis, cùm hæc contrarietatem habeant, communicari, corpuſque actione ſua movere, mutare, alterare, & conſervare poſſit; oſtendamus.

Anima rationalis media eſt inter incorporea completa & corporea. Si media eſt, ergo à ſuperioribus & ab inferioribus participatur; ſi participatur, ergo illis erit ſimilis; ſi ab inferioribus, diſſimilis erit ſuperioribus; quia ſicuti ſuprà demonſtratum eſt, omne productum non idem cum producente eſt; ſed eſt ei ſimile, in quantum ab illo identitatis ſuæ nonnihil defert; ſed quia ab illo in alteritatem cadit, fit ei etiam diſſimile, dum corpori jungitur; Si verò ſimilis eſt ſuperioribus, ergo ex ea parte erit quoque impartibilis & indiviſibilis. Animus verò corporeis affectionibus tingitur, & ut ita dicam, partibilis & diviſibilis redditur, & conſequenter diſſimilis ei, unde profluxerat; ratione ſenſuum corporeorum; & hoc pacto medium inter corporeum & incorporeum occupare locum dicitur.

Verùm, quoniam in ſequenti libro uberrimus dabitur hæc per Analyticam diſcutiendi locus, ubi & Theologiæ, Metaphyſicæ & Phyſicæ difficiliores materias hac methodo evolvere conabimur, non amplius hiſce immoror: Specimen enim tantum hoc loco Analytico-ſyntheticum dediſſe, modumque procedendi demonſtraſſe ſufficiat.

FINIS Tomi primi.


B
M
D
P
S
Vo.
Vi
Vi.
G
Dialectica
Rhetorica
Physica
Medicina
Mathesis
Jus Canonicum
ATHANASII KIRCHERI Soc. Jesu
ARTIS MAGNÆ COMBINATORIÆ
TOMUS II. PARADIGMATICUS
Quo
Omnes Scientiæ, variis propositis Paradigmatis, per Artis
Regulas & Canones ad praxin exponuntur & demonstrantur.
AMSTELODAMI
Apud Joannem Jansonium à Waesberge & Viduam
Elizæi Weyerstraet Anno 1669.

TOMUS II.

ARTIS MAGNÆ

SEU

COMBINATORIÆ
SCIENDI,

QVO

Omnia, quæ in præcedenti Tomo per Regulas & Canones deſcripſimus, hîc ad praxin per exempla ad omnes Artes & Scientias applicata, reducuntur;


ESTQUE

Practicus & Paradigmaticus omnium eorum, quæ ſub quæstionem cadere poſſunt.

Imprimatur

FR. HYACINTHUS

Libell. Sacr. Palat. Apostol. Magister.



Arbor Philosophica
Universæ cognitionis Typus.
Veritas
Gloria
Virtus
Voluntas
Intellectus
Potentia
Duratio
Magnitudo
Bonitas
Posse
Esse
Concordia
Oppositio
Concordans
Principium
Medium
Finis
Majoritas
Æqualitas
Minoritas
Comparans
Filius
Spiritus
Perfectus Simplex
Pater
Filius æterni Patris
Deus
Homo
Immortalis
Mortalis
Oppositio
in Christo
Æternus
Temporalis
Impassibilis
Passibilis
In quantum Homo
Christus
Petrus
Paulus
Ioannes
Homo
Animal
Aquatilia
Volatilia
Quadrupedia
Animal Rationale
Animal Irrationale
Omne sensitivum est vel
Pomus
Arbores
Frutices
Herba
Rosa
Sensitivum
Vegetabile non Sensitivum
Vegetabile
Sensitivum
Animatum est vel
Elementa
Perfecta
Mixta
Animatum
Inanimatum
Cœlum
Planetæ
Omne Corporeum est vel
Partes Integrantes
Complexa
Corporeum
Incorporeum
Angeli
Dæmones
Principatus
Potestates
Throni
Virtutes
Mixta Perfecta
Mundus Sensibilis
Creatum est vel
Simplicitas
Perfectio
Creatum
Increatum
Deus
Linea
Superficies
Continua
Discreta
Quantitas
Qualitas
Ens per se sive Substantia
Rationale
Irrationale
Sensitivum
Inanimatum
Incorporeum
Increatum
Creatum
Ens per se sive Substantia
Ens in alio sive per accidens
Omne quod est, est vel
Relatio
Actio, Passio
Ubi
Quando
Situs
Habitus
Fides
Spes
Charitas
ab infimo
ad summum
Abissus Nihilum

ARTIS MAGNÆ SCIENDI,

LIBER SEXTUS,

THEOLOGIA COMBINATA,

SIVE

Applicatio Artis noſtræ, ad Theologicas diſciplinas, nova methodo, eâque facillimâ acquirendas.

PRÆFATIO.



N præcedentibus Libris modum & rationem, quomodo omnia, quæ ſub quæſtionem quovis modo cadere poſſunt, per Artis noſtræ principia partim per Tabulas Combinatorias Orchemataque tum circularia tum linearia, partim Analytico-ſynthetica methodo deduci queant, operosè oſtendimus. Jam reſtat, ut tandem ad particularem ſcientiarum applicationem progrediamur, ut id, quod primum fuit in intentione, in executione ſit poſtremum; totius videlicet à nobis ſuſcepti operis & operæ, laboriſque aſſumpti finis. Cum verò fieri vix poſſit, ut tanta ſcientiarum varietas & multitudo, qualem in præcedenti ſectione protulimus, unius Tomi Complexu exhibeatur; nonnullas tantùm hoc loco, easque potiores diſciplinas, veluti Artis noſtræ paradigmata quædam aſſumere viſum fuit, ex quibus reliquas iis ſubordinatas, ſimili methodo, ingenium haud inſenſatum proprio ſtudio & haud magno labore expedire poterit. Ne quoque in his omnibus ἀμεθόδερῶς progrederemur, ordinem nobilioris cognitionis ſive dignitatis Scientiarum nobis cumprimis obſervandum duximus; in quo cùm Theologia primum locum non immeritò obtineat, ab ea faciemus noſtræ diſceptationis primordia; reliqua deinceps ordine ſimili proſecuturi.

SECTIO I.

Præluſiones ad Theologiam.

CAPUT I.

De Neceſſitate objecti ſubjectique Theologiæ.



Um Homo ad imaginem DEI factus, finem ad quem divinæ providentiæ diſpoſitione conditus eſt, cognitione naturali attingere non poſſit; neceſſaria eidem fuit diſtincta ſui finis cognitio, ſive doctrina ſupernaturalis. Doctrina verò ſupernaturalis à nullo humani intellectus acumine penetrari poteſt, niſi doctrina divinitus inſpirata, juxta quam ad finem ſupernaturalem intentum dirigatur, debili menti detur. Ad finem verò ſupernaturalem conſequendum neceſſaria eſt

mediorum cognitio, quæ nisi edoceantur, naturali vi, uti sunt opera meritoria, cognosci non possunt. Cognosci verò non possunt, quia à vera DEI dependent voluntate; hæc autem voluntas DEI innotescere non potuit, nisi per extrinsecam voluntatis suæ interpretationem; quæ quidem divinæ voluntatis interpretatio nil aliud, quam sacra scriptura est; hæc enim mentem mortalium ad supernaturalem finem consequendum, veluti manuducens, media ad eundem adipiscendum demonstrat, quid fugiendum, quid amplexandum, per præcepta tum negativa, tum affirmativa saluberrimis documentis præscribit; ut proinde sacræ Theologiæ adæquatum objectum, in quantum fide supernaturali innititur, sit DEUS revelatus in sacris literis, id est, per verbum scriptum, vel non scriptum: formale verò objectum sit ipsius fidei, ex qua sua principia desumit, ipsa revelantis DEI auctoritas, quæ sicuti nec fallere vult, nec falli potest; ita hominem ad omnia, quæ præcepit, credenda, aut quæ non credenda, certissima & infallibili ratione movet & incitat.

Hanc autem DEI revelantis in sacris scripturis authoritatem veram & authenticam esse, decem rationibus probatur.

Prima est prophetica, sive prophetarum, qui vera se narrasse præterita, ex iis, quæ futura pronunciarunt, dum tanta charitate implentur, ostendunt.

Secunda. Scripturarum concordia, ut in septuaginta Interpretibus; quos ita concordasse constat, ut impossibile sit, eos alio quam divino afflatu agitatos tam consentaneam interpretationem protulisse.

Tertia. Scriptorum auctoritas, quos summæ sanctitatis Viros fuisse constat.

Quarta. Recipientium affectus, quo tanta in recipiendis sacris literis tanquam Canonicis, diligentia, studio tam exquisito, nullo non tempore laboravit Ecclesia.

Quinta. Contentorum in sacris literis rationabilis conditio; quid enim rationi magis congruum, quam DEI revelantis dictamina infallibili certitudine mixa sectari.

Sexta. Sectarum errorumque extra sacram scripturam exortarum irrationabilis fœditas; quid enim stultius, quàm (ut Gentiles) opera manuum hominis inania simulacrorum figmenta stulto errore adorare, aut uti Mahumet in Alcorano suo tradidit, brutam felicitatem & corporearum voluptatum illecebras pro ultimo fine sibi præfigere; vel uti Judæi, qui veritatem Euangelicam in veteri testamento veluti in typo quodam contentam, reprobant & condemnant, quo quid insanius esse possit, non video.

Septima. Ecclesiæ inconcussa constantia, quæ nec Tyrannorum persecutionibus, nec Hæreticorum perfidia, perversisque dogmatis divelli unquam potuit.

Octava. Miraculorum evidentia, de qua scitè Richardus de S. Victore: *Domine si est error, à te decepti sumus, cùm tantis signis hæc sint confirmata, quæ nisi à te, fieri non possunt.*

Nona. Est vel ipsa gentilium philosophorum attestatio, uti Hermetis, Platonis, Sybillarum, qui divino afflati spiritu ea subinde de DEO, Christo reliquisque mysteriis eructârunt, quæ non nisi à DEO dictante originem suam habere potuisse D. Augustinus docet.

Decima. Est ipsa infinita DEI bonitas, quæ nulli salutem quærenti deesse vult; omniaque confirmantur Martyrum utriusque sexûs constantiâ; Confessorum pro veritate concertantium inconcussa fortitudine.

Ex his dictis clarè patet, subjectum Theologiæ non esse sub ratione respectûs ad extra, nec sub aliqua ratione attributorum, uti nonnulli subjectum Theologiæ, accipiunt sub ratione boni, alii sub ratione entis; ergo proprium subjectum Theologiæ considerari debet sub ratione deitatis; reliqua verò, ut postea dicetur, ad subjectum tantùm revocantur, cujusmodi sunt sequentia;

Ordo

Ordo in divinis quadruplex conſideratur, vel ſecundùm

- *Naturam*, quæ ſunt, vel
  - Perfectiones eſſentiales DEI; uti ſubſtantia, vita.
  - Neceſſitas, infinitas, realitas, exiſtentia.
  - Attributa intrinſeca, uti ſapientia, charitas, bonitas.
  - Attributa extrinſeca, uti ſunt miſericordia & juſtitia; omnipotentia.
- *Relationes*, quæ ſunt, vel
  - Relationes fundamentales, ut ſunt ordo & diſtinctio inter perfectiones eſſentiales.
  - Relationes fœcunditatis intellectivæ, ut ſunt generatio activa in Patre & paſſiva in Filio.
  - Relationes fœcunditatis volitivæ, ut ſunt ſpiratio activa & paſſiva.
  - Relationes communes & eſſentiales, ut ſunt æqualitas, identitas & ſimilitudo.
- *Perſonas*, uti, ſunt
  - Pater generans ſibi filium coæternum & conſubſtantialem.
  - Filius genitus, & cum Patre Spiritum Sanctum ſpirans.
  - Spiritus S. à Patre & Filio ſpiratus.
- *Operationes*, quæ ſunt, vel
  - Operationes immanentes ad intra, & ſunt intellectio & volitio.
  - Tranſeuntes ad intra, ut ſunt dicere & ſpirare.
  - Immanentes ad extra, ut ſunt intelligere & velle creaturas.
  - Tranſeuntes ad extra, ut ſunt creare & conſervare, unire, ſanctificare, exornare, reſtaurare, glorificare.

Ordo propoſitus in divinis neceſſariò involvit diſtinctionem, vel

- *Eſſentialem*, cujùſmodi eſt inter DEUM & creaturas.
- *Realem* & hypoſtaticam, uti inter tres perſonas.
- *Formalem*, inter eſſentiam & relationes.
- *Modalem*, qualis noſtri concipiendi modus non verò philoſophicus eſt inter eſſentiam divinam & modos ſuos intrinſecos.

Diſtinctiones hæ ſupponunt ſummam & radicalem identitatem, cujus decem gradus ſunt.

1. Inter proprietates conſtitutivas ob attributionem ad naturam.
2. Inter tres perſonas, ob incluſionem divinæ eſſentiæ.
3. Inter generationem activam & paſſivam; ſpirationem activam & paſſivam.
4. Inter eſſentiam & relationes.
5. Inter attributa, potentiam, ſapientiam & bonitatem.
6. Inter attributa & divinam eſſentiam.
7. Inter eſſentiam & ſubſtantiam, ſpiritum, deitatem, entitatem, vitam intellectualem.
8. Inter eſſentiam & ſeipſam, quæ eſt maxima identitas.
9. Inter eſſentiam & modos intrinſecos.
10. Inter modos ipſos.

Hinc fit, ut una divinarum perſonarum in alia eſſe dicatur per admirabilem incircumſeſſionem quæ nihil aliud eſt, quàm ſubſiſtentis alicujus in alio ſubſiſtente realiter diſtincto mutua & intima præſentialitas in eadem natura numero, quæ nulli creaturæ convenit.

Unde ſequitur; Primò, quod attributa divina non ſint in eſſentia per incircumſeſſionem, neque perſonæ in eſſentia, cùm realiter ab ea non ſint diſtinctæ.

Secundò. Neque DEUS ubique exiſtens per incircumſeſſionem ineſt rebus, quia nulli rei ita præſens, uti ſibi ſunt perſonæ divinæ.

CAPUT II.

De Objecto Theologiæ adæquato seu attributionis.


Rimò objectum adæquatum attributionis in Theologia est DEUS sub ratione Deitatis consideratus, quod per resolutionem ita ostenditur.

Analysis. DEUS sub ratione Deitatis consideratur vel ut in se, vel ut in suis actionibus.

Uti in se, est unitas essentiæ & trinitas personarum.

Ad unitatem essentiæ pertinent proprietates essentiales, quarum aliæ sunt negativæ, aliæ affirmativæ.

Negativæ à DEO removent imperfectionem.

Imperfectio omnis à causis & circumstantiis.

A DEO removentur causæ tum internæ tum externæ.

Causas internas de DEO negat simplicitas sive incompositibilitas, quæ negat omnem compositionem ex esse & essentia, natura & supposito, actu & potentia, genere & differentia, materia & forma, subjecto & accidentibus.

Causas externas negat immutabilitas.

Circumstantiam loci à DEO removet immensitas.

Temporis, æternitas.

Proprietates affirmativæ sunt, quæ de DEO enunciant perfectiones per excellentiam.

Perfectio autem est vel intellectus vel voluntatis, vel potentia agendi.

Perfectio intellectus in DEO dicitur omniscientia seu omnisapientia.

Perfectio voluntatis est tum veracitas tum bonitas.

Perfectio potentiæ executivæ dicitur omnipotentia.

Horum omnium necessaria est consequens beatitudo, quæ est gloria & gaudium.

Trinitas personarum est, in qua in una essentia tres sunt hypostases, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, de quibus postea. Atque hoc pacto DEUS consideratur in se.

In actionibus verò consideratur DEUS, in quantum actiones ejus sunt vel ante tempora, vel in tempore, vel post tempora.

Actiones DEI ante tempora, sunt decreta providentiæ scilicet, & prædestinationis.

Actiones DEI in tempore sunt opus creationis, redemptionis & sanctificationis.

Actiones DEI post tempora sunt glorificatio vel damnatio.

Atque ad hæc omnia, quæ in Theologia traduntur, revocantur; Ergo DEUS sub ratione Deitatis est objectum adæquatum sive attributionis Theologiæ; quod erat probandum.

Hæc omnia veluti in Viginti Capita distincta, hoc ordine exhibemus.

1. Unitas.
2. Simplicitas.
3. Immutabilitas.
4. Immensitas.
5. Æternitas.
6. Omniscientia.
7. Veracitas.
8. Bonitas.
9. Omnipotentia.
10. Beatitudo.
11. Pater.
12. Filius.
13. Spiritus Sanctus.
14. Decretum providentiæ.
15. Decretum prædestinationis.
16. Creatio.
17. Redemptio.
18. Sanctificatio.
19. Glorificatio.
20. Damnatio.

Atque hæc sunt Capita, ad quæ, quicquid in Universa Theologia agitur, revocatur. Quomodo verò hæc omnia per Artis nostræ principia deducenda sint, in sequentibus per varia speciminum paradigmata exhibebimus.

CAPUT III.

De divinis prædicatis, quæ sunt Artis nostræ principia.

CATENA ANALYTICA.


Analysis. EUS est trinus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, unus DEUS; Nam in Unitate naturæ numerali realis est pluralitas personarum.

Quarum *Prima persona* Pater est; à nullo producta; si non producta, ergo neque producibilis; si non producibilis, ergo neque genita; si non genita, ergo ingenerabilis, nec spirata, quia non spirabilis, nec creata, quia increabilis.

Secunda persona, scilicet Filius, est genità, à Patre productione naturali, naturali intel-

intellectûs fœcunditate per memoriam, non ſpirata, non creata.

Tertia perſona, ſcilicet Spiritus Sanctus eſt ſpirata à Patre & Filio, non genita, non creata.

Eſſentia autem divina eſt ſummè una.

Si ſummè una, ergo nullo modo in plures eſſentias diviſibilis.

Si non in plures eſſentias diviſibilis, ergo ſummè ſimplex.

Si ſummè ſimplex, ergo incompoſita ex multis.

Si incompoſita, ergò incomponibilis cum rebus tum extra ſe tum à ſe diſtinctis.

Si incomponibilis, ergo à ſe, in ſe, & per ſe ſubſiſtit.

Si à ſe, in ſe, & per ſe ſubſiſtit, ergo erit primum.

Si primum, ergo omnium principium.

Si omnium principium; ergo omnia in omnibus.

Si omnia in omnibus, ergo immenſa; ergo præſens omni rei.

Si præſens omni rei, ergo ipſe operatur omnia in omnibus, omnia ſervat, omnia intelligit, idem, & ſemper.

Si hoc, ergo eſt æterna.

Si æterna, ergo uti nec incipit, ita neque deſinit.

Si hoc, ergo ſimul & ſemel omnes perfectiones indiviſibiliter continet.

Si hoc, ergo incommutabilis, id eſt, nulli mutationi nec ſubſtantiali nec accidentali obnoxia eſt.

Ergo ingenerabilis, incorruptibilis, imperfectibilis, indefectibilis.

Si hoc, ergo eſſentia neceſſaria.

Si neceſſaria, ergo non poteſt non eſſe.

Si hoc, ergo omnis actio ejus eſt ipſa eſſentia.

Si actio eſt ſua eſſentia, ergo radix & fundamentum eſt omnium emanationum & proprietatum perſonalium.

Si hoc, ergo eſt ſumma fœcunditas.

Si hoc, ergo ſicuti per intellectum producit verbum, ita per voluntatem amorem, qui Spiritus Sanctus eſt. Trinitas una, & trina unitas; tres perſonæ in unitate eſſentiæ ſuæ.

Si unum ſunt in eſſentia, ergo in Trinitate ſumma charitas, & una numero voluntas, eadem volitio & volitum idem.

Si ſumma voluntas, ergo ſumma bonitas, ergo ſumma liberalitas.

Si ſumma liberalitas, ergo eſſentia ſummè communicativa omnis perfectionis tum ad intra, tum ad extra.

Ergo operationes ad extra ſunt in ſumma æqualitate communes tribus perſonis.

Ergo una immenſitas, una æternitas, una potentia, una natura, una virtus, una veritas, una gloria.

Hæc verò ulterius ita reſolvuntur.

DEUS eſt ens unum, verum, bonum. Reſolutio.

Si ens unum, Si verum, Si bonum,	Ergo	Indiviſum in ſe. Intelligibile. Communicabile.

Si communicabile, ergo in omnia diffuſum, ergo abſolutè magnum.

Si hoc, ergo eſt verè & propriæ omnipotens.

Si eſt omnipotens, ergo eſt potentiæ completæ.

Si completæ, ergo nec deficere nec ſuccumbere, neque indigere poteſt.

Si itaque completè eſt omnipotens, ergo eſt ſummè & abſolutè ſapiens.

Si eſt ſummè & abſolutè ſapiens, ergo omnia bona mala, præſentia, futura, præterita, actu exiſtentia, poſſibilia & conſequenter infinita infinitè cognoſcit.

Si hoc, ergo habebit ſcientiam omnium poſſibilium cognitivam. Videt ergo omnium actu exiſtentium rerum intimam conditionem.

Si videt hoc pacto, ergo quæ videt, vel bona ſunt, vel mala;

Mala eſſe non poſſunt, quia ea cognoſcit ut entia, ergo bona ſunt.

Si bona ſunt, ergo illa approbat.

Si illa approbat, ergo illa præcognoſcit in quantum futura ſunt.

Si præcognoſcit in quantum futura ſunt, ergo illa diſponit, in quantum facienda.

Si diſponit in quantum facienda, ergo prædeſtinat ad præmium gloriæ.

Si non prædeſtinat, ergo illa opera reprobat, quæ reprobatio reſpicit damnatos.

Tota itaque hæc viſio Dei lux eſt æterna. Syntheſis.

Ex lux quidem eſt, in quantum eſt ratio cognoſcendi omnia.

Et Sapientia eſt, in quantum eſt ratio cognoſcendi approbata.

Exemplar eſt, in quantum eſt ratio cognoſcendi viſa & approbata.

Liber vitæ eſt, in quantum eſt ratio cognoſcendi prædeſtinata.

Sapientia Dei liber vitæ eſt, reſpectu rerum redeuntium.

Exemplar ut exeuntium.

Speculum ut euntium.

Lux reſpectu omnium.

Ad exemplar quidem ſpectat idea ſecundùm actum procedendi.

Verbum

Verbum secundùm actum proponendi.
Ars secundùm actum prosequendi.
Ratio secundùm actum perficiendi.

Iterum.

Si Deus est exemplar, Verbum, Ars, Ratio;
Ergo omnia quæ sunt, ab eo prodierunt.
Si omnia ab eo prodierunt, ergo efficiens Mundi causa exemplaris & finalis indicatur.
Si efficiens Mundi causa, ergo ratione hujus omnis creatura est unitas, modus & mensura.
Si exemplaris, ergo ratione hujus omne ideatum seu creatura est veritas, species, numerus.
Si finalis, ergo ratione hujus est in creaturis bonitas, ordo & pondus.
Hæc omnia sunt in Ente vero, bono, essentiali, qui Deus est, ergo Deus ens primum, verum, bonum, est omnia in omnibus, quod erat probandum.

CAPUT IV.

De Modo per Artem nostram in Theologia Combinata procedendi.



THeologia Combinata nihil aliud est, quàm nova methodus Theologica, qua variis modis mediisque cujuscunque Theologicæ ad probandum propositæ quæstionis statum plurima argumenta juxta artis nostræ principia & canones suppeditantur, & difficultates occurrentes mira facilitate solvuntur.

Est autem methodus varia; vel enim per rotarum Cyclicas revolutiones; vel per Lineares Combinationum ductus; vel per tabulas artificiosè compositas, unicuique scientiæ pertractandæ accommodatas; vel denique per Artificium Analytico-Syntheticum, de quibus omnibus & singulis cùm in Secundo Libro fusè egerimus, hîc longiores esse noluimus; Quare ad instituti nostri propositum nobis scopum progrediamur.

Primò itaque, si nobis propositæ quæstiones sint per Rotam Scientificam circulosque methodicos resolvendæ aut componendæ, quid sit illa Rota, priùs explicandum duximus.

Rota tota composita est ex Artis nostræ principiis sub sextuplici Enneadum ordine, circulisque ad divini intellectus ideam constitutis concinnata; circa quam veluti per centrum totius divinæ juxta atque humanæ sapientiæ ratio versatur, atque adeò nihil sit in universa rerum natura, quod Cyclico huic scientiarum organo non subftet.

Expositio Organi scientifici in formam Rotæ concinnati.

Dividitur hæc Rota in sex Enneades.

1. Enneas. *Prima Enneas* dicitur Erotematica, & novem quæstiones continet, quibus quicquid in omni scibili proponitur, per has quæstiones exhauritur; suntque:

1. Utrum. 2. Quid. 3. Ex quo. 4. Propter quid. 5. Quantum. 6. Quale. 7. Quando. 8. Ubi. 9. Quomodo, vel, Cum Quo.

Ponuntur autem hæ quæstiones primo loco; seu circulo, quia nihil ab intellectu concipi potest, nisi prius per unam ex hisce, ad veritatem cognoscendam moveatur; atque ideò meritò tanquam novem portæ considerantur, per quas in scientificæ arcis intima penetralia aditus pateat.

Secunda Enneas dicitur subjectorum, sive scalæ naturæ; & sunt novem subjecta seu objecta, circa quæ humani intellectus operatio utplurimùm versatur, adeòque nihil sit in universa natura, quod non ad unum ex iis novem revocetur; suntque ea, quæ sequuntur. 2.

1. DEUS, Christus. 2. Angelus. 3. Mundus. Cœlum. 4. Homo. Anima. 5. Natura sensitiva. 6. Natura vegetativa. 7. Natura inanimata, Mixta. 8. Elementa. 9. Materia.

Tertia Enneas continet novem principia universalissima substantialia & transcendentalia, & sunt veluti prædicata quædam, quæ omnibus præcedentibus subjectis conveniunt; & sunt: 3.

1.	2.	3.	4.
Bonitas.	*Magnitudo.*	*Duratio.*	*Potestas.*
Bonum.	*Magnum.*	*Durans.*	*Potens.*
5.	6.	7.	8.
Sapientia.	*Voluntas.*	*Virtus.*	*Veritas.*
Sapiens.	*Volitum.*	*Virtuosum.*	*Verum.*
9.			
Gloria.			
Gloriosum.			

Nihil enim est in toto rerum creatarum ambitu, quod non participet rationem boni, magni, durabilis, & sic de reliquis, potentiæ, cognitionis, voliti, virtutis, veri, gloriæ; sive id verè & realiter, sive analogicè & similitudinariè, uti in processu expositionis docebitur.

Quarta Enneas, continet novem principia relativa sive respectiva, & sunt universalissima & substantialia, quibus per differentias & concordantias, contrarietates cætera- 4.

cæteraque, universæ naturæ subjecta examinantur, singulorumque natura declaratur; sunt autem sequentia novem:

Differentia.[1] *Concordantia*.[2] *Contrarietas*.[3] *Principium*.[4] *Medium*.[5] *Finis*.[6] *Majoritas*.[7] *Æqualitas*.[8] *Minoritas*.[9]

5. *Quinta Enneas* continet novem principia Categorica seu prædicamentalia: & sunt:

Quantitas.[1] *Qualitas*.[2] *Relatio*.[3] *Actio*.[4] *Passio*.[5] *Ubi*.[6] *Situs*.[7] *Quando*.[8] *Habitus*.[9]

Quæ ingentem Combinationis congeriem nobis suppetunt.

6. *Sexta Enneas* est novem distinctionum, quibus omnium & singulorum distinctiones subtili indagine explorantur; & sunt sequentes novem.

Distinctio rationis.[1] *Modalis*.[2] *Formalis*.[3] *Realis*.[4] *Numerica*.[5] *Essentialis*.[6] *Generica*.[7] *Se totis Subjectiva*.[8] *Se totis Objectiva*.[9]

Eccè Lector, hæ sunt sex Enneades, veluti totidem quædam scalæ, quibus omnium rerum notitia acquiritur; dum per totius naturæ gradus ab infimo per intermedios ad summum, & ex summo per intermedios ad infimum assensivo descensivoque intellectus motu agitamur. Et ne fusiori discursu Lectoris animum sciendi aviditate ardentem suspendam, statim ad praxin procedam; ut incredibilis Enneadum feracitas, & argumentorum circa assumptum unum ex novem subjectis inexplicabilis multitudo & varietas, nec non innumerarum inventionum ubertas luculentius patefiat. Unde fit.

ORGANUM SCIENTIARUM

SEU

ROTA SCIENTIFICA.

Enneades.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
1. Erotematica, Quæstiones.	An.	Quid.	Cur.	Quantum.	Qui.	Quale.	Ubi.	Quando.	Quibuscum, de Quo.
2. Subjecta Universalia.	△	[symbol]	◎	⊡	[symbol]	[symbol]	[symbol]	⬠	⁝⁝⁝
3. Principia absoluta.	B.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.
4. Principia respectiva.	=	♡	○●	α.	⊙	ω	M	Æ.	Min.
5. 9 Prædicamenta.	Quantitas.	Qualitas.	Relatio.	Actio.	Passio.	Ubi.	Situs.	Quando.	Habitus.
6. Distinctiones.	Rationis.	Modalis.	Formalis.	Realis.	Numerica.	Essentialis.	Generica.	Se totis Subjectiva.	Se totis Objectiva.

Hæc Tabula in 6. Circulos semper minores & minores contorquenda est; quos omnes separatos & mobiles esse oportet. Et habebis Rotam Polysopham, ad de quacunque re proposita discurrendum, paratam.

CAPUT V.

Quæstionibus per Artem nostram solvendis.

QUÆSTIO I.

An sit DEUS.

Uandoquidem de nulla re quæstio discutienda proponitur, nisi primò constet, Utrum res, quæ in quæstione proposita movetur, verè existat; ita quoque in Theologicis disceptationibus, primum semper locum illa (An DEUS sit, & an naturaliter cognosci possit) quæstio locum habet; ut quid alicui Atheo responderi possit aut debeat, exquisita argumentorum serie ostendatur, quam & nos in Arte nostra, seu Combinata Theologia meritò primam omnium quæstionem statuendam rati sumus.

Cùm itaque divina essentia sit simplex indistincta tum intrinsecè, tum etiam virtualiter, neque finem à se distinctum quacunque ratione consideratum habeat, sed sit potius ipsum principium, & omnis bonitatis, distinctionis realis & perfectionis simpliciter simplicis finis ultimus; patet illam esse summè unam, summéque perfectam & infinitam, ex quo nulla cognitionis vi quicquam aut tolli, aut ad eam quicquam addi possit; & quia principii & finis expers, magnam, id est, infinitæ essentiæ esse; hanc essentiam esse, ex Artis nostræ principiis demonstrare conabimur.

OPERATIO.

Adaptentur Circuli Rotæ hoc pacto: particulæ erotematicæ in primo circulo (An.) applicetur in secundo circulo subjectorum subjectum (DEUS.) & huic applicetur in Circulo tertio prædicatorum primum prædicatum explicitum (Bonum.) terminique impliciti illi adscripti, qui sunt, Ens, unum, primum, essentia, existentia, perfectum, omni carens defectu, indefectuosum &c. ad demonstrandum assumentur. His positis cuipiam quæsituro (An DEUS sit) Respondebis affirmativè, DEUM necessariò existere. Quod quidem juxta Artis nostræ principia ita demonstrabis.

ANALYSIS.

Argumentum primum ab indefectibilitate & Bonitate. △. B.

Nullum bonum est, esse impossibile; sed carens omni defectu est bonum. Ergo carens omni defectu non est impossibile.

Major demonstratur.

Si impossibile bonum esset, Ergo sub ratione veri intellectus illud, & voluntas sub ratione boni attingere posset.

Sed uti impossibile est, intellectum sub ratione veri, quod non est, attingere posse, ita & impossibile est, ut illud sub ratione boni voluntas attingat.

Ergo nullum bonum est, esse impossibile.

Minor probatur.

Omne perfectum melius est quolibet imperfecto.

Sed omni carens defectu est perfectum, & omne non carens defectu imperfectum.

Ergo omni carens defectu melius est quolibet imperfecto.

Si melius est ens omni carens defectu; ergo bonum;

Si bonum, ergo impossibile non est bonum. Ergo omni carens defectu bonum.

Sed tale ens non est impossibile, ergo omni carens defectu est possibile.

Si possibile, id dico, necessariò quoque & realiter existere; si non. Ergo hoc ipso quod non realiter existit, necessariò defectuosum erit, quod ita demonstro.

Omne id, quod non potest dici pervenisse ad optimum, defectuosum est.

Sed non existere realiter, non potest dici pervenisse ad optimum.

Ergo non existere realiter est defectuosum; quia à complemento perfectionis deficit.

Si deficit, ergo potest esse nihil; si hoc, ergo duci pro nihilo; ergo contemptibile & vile; ergo defectuosum.

Ergo illud solùm, quod omni caret defectu, necessariò existit; ergo cùm possibile sit, non potest non existere realiter.

Sed hunc DEUM dicimus; Ergo DEUS necessariò existit.

Vel datur singulare quoddam optimum existentium, vel non datur. Ex utroque per modum argumentandi, quem Mathematici ἀντιθετικὸν, sive contrapositorium vocant, optimum quoddam esse demonstrabimus. II. Argumentum. △. B.

Si itaque datur optimum existentium, illud necessariò erit melius omni possibili non existente; quod analyticè probo.

Si enim datur aliquod possibile illo optimo melius; hujus melioris possibilis potentia productiva necessariò existit & supponitur.

Si hæc necessariò existit, ergo actu existet intra suam potentiam activam.

Si

Si actu intra potentiam activam exiſtit; ergo illud poſſibile ſe habet ad illam, tanquam productibile ad productivum; ergo ſe habet tanquam cauſa ad ſuum effectum.

Sed Cauſa actu exiſtens melior eſt ſuo effectu; ergo melior poſſibili ſive productibili; ergo optimum exiſtentium actu erit etiam optimum poſſibilium.

Sed hunc DEUM dicimus, optimum actu exiſtentium.

Porrò, ſi quis dicat, tale ſingulare optimum omnium exiſtentium dari non poſſe, eum ego hoc ipſum negantem tale optimum dari poſſe convincam hac ratione:

Si enim non exiſtit, ergo omnia ſingularia hujus univerſi erunt defectuoſa & imperfecta.

Si ſingularia ſunt defectuoſa & imperfecta, ergo univerſum erit melius ipſis.

Si melius ipſis, ergò omnium actu exiſtentium & poſſibilium optimum; jam enim demonſtratum eſt optimum actu exiſtentium, id optimum eſſe quoque poſſibilium.

Sed impoſſibile eſt, Univerſum eſſe optimum poſſibilium; quod ita demonſtro.

Si Univerſum eſſet optimum poſſibilium, contineret in ſe omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices, & conſequenter infinitas.

Sed hoc perabſurdum eſt. Ergo impoſſibile eſt, Univerſum eſſe omnium poſſibilium optimum.

Majorem probo.

Univerſum componitur ex partibus defectuoſis & finitis;

Ergo omnes poſſibiles perfectiones ſimpliciter ſimplices continere non poteſt.

Ergo in alio quodam ſingulari contineri neceſſe eſt, Mundi conditore, quem DEUM dicimus, omnium & actu exiſtentium & poſſibilium optimum.

III. Argumentum à Magnitudine infinita ſumitur. △. M.

Neceſſe itaque eſt dari ens abſolute magnum, id eſt, maximum.

Si non detur ens abſolute magnum; ergo quolibet dabili fuit aliud majus & perfectius.

Si omni dabili fuit majus & perfectius; ergo infinitas actualis entium ſe invicem excedentium, in exceſſu fuit determinato.

Sed hoc eſt abſurdum; daretur enim proceſſus actualis entium in infinitum; ergo neceſſariò aliquod maximum dari debet, immobile & conſtitutivum omnium.

Argumentum IV. à Duratione. △. D.

Neceſſe eſt, fuiſſe ens aliquod æternum eſſendi initio carens. Demonſtratur.

Si nullum ens fuit æternum, utique nihil quoque fuit poſſibile; & æternum, ex hypotheſi; uti enim non fuit, ſic eſſe non potuit.

Neque temporale aut æviternum eſſe potuiſſe, ita demonſtro.

Omne quod aliquando fuit non ens, illud æternum eſſe non potuit.

Omne temporale aliquando fuit non ens; ergo æternum eſſe non potuit.

Major demonſtratur.

Quodcunque aliquando à non eſſe, ad eſſe prodiit, illud aliquando fuit non ens; ergo æternum eſſe non potuit.

Sed quod aliquando fuit non ens, id neceſſario à non eſſe ad eſſe tranſiit. Ergo aliquando fuit non ens.

Ergo æternum eſſe non potuit.

Major ita oſtenditur.

Si à non eſſe ad eſſe tranſiit, ergo ſeipſum produxiſſe neceſſe fuit.

Si non hoc, ergo ab alio; ſi ab alio, ergo hoc iterum ab alio; ergo nullum primum; ergo ſine fine æterna cauſantia & cauſata; ergo multitudine infinita, æterna & neceſſaria, & ſic dabitur actualis proceſſio in infinitum ſine ſtatu; quod implicat. Ergo.

Omnis enim perfectio poſſibilis debet in aliquo habere neceſſitatem eſſendi, quam ſi non habet, erit impoſſibilis; neque enim ſeipſum producere poſſet, neque produci ab alio poſſibili & contingenti; cùm omnis perfectio contingens ſupponat neceſſariam cauſam in qua contineatur.

Sed hæc alia non poteſt eſſe niſi æterna, habente cum abſoluta neceſſitate eſſendi ſecum æternitatem, hoc eſt, ſemper eſſe, ſive nunquam non eſſe, uti ex terminis patet.

Quidquid partibus conſtat, id neceſſario ab aliquo fuit, partes conjungente in unum, & conſequenter compoſitum aliquando cœpit. V. Argum. à potentia ad extra. △, P.

Sed Mundus hic ſenſibilis ſive Univerſum veluti totum ex ſuis partibus conſtat; Cœlo, Terra, Elementis.

Ergo ab aliquo conjungi debuit, & conſequenter inchoari; ſed hic alius non fuit, quàm DEUS Mundi conditor. Ergo DEUS eſt.

Probatur ſecunda pars conſeq.

Si DEUS non fuiſſet conditor Mundi; ergo Mundus fuiſſet à ſeipſo. Sed hoc eſt abſurdum. Ergo.

Minor probatur.

Quicquid per ſe & à ſe exiſtit, id neceſſariò ſupponit potentiam infinitam.

Sed hoc de Mundo finito & limitato dici non poteſt. Ergo.

Major oſtenditur. Impoſſibile eſt, ut finitum ſit potentiæ infinitæ;

Sed ſi Mundus eſſet à ſeipſo, finitum jam infinita potentia polleret; eſſet ergo finitus & infinitus, quod implicat contradictionem.

Ergo à ſe exiſtens neceſſariò ſupponit infinitam potentiam, quam aliam non niſi DEUM dicimus.

Arg. VI. à Sapientia △. S.

Omnis ordinis pulchritudo reſolvi debet in aliquam rationem unam & primam, optimam, pulcherrimam, infallibilem & neceſſariam, rationem rationum.

Sed Mundi ordo eſt pulcherrimus.

Ergo reſolvi debet in rationem unam & primam, optimam &c.

Si in non primam, unam & optimam, ergo alia & alia ſemper fuit prior & prior, & ſic dabitur proceſſus in infinitum, & conſequenter omnis ceſſabit ordinis ratio, quod abſurdum, ut ſuprà diximus.

Debet ergo neceſſariò omnis ordinis ratio reſolvi in rationem unam primam, optimam, veram, infallibilem & neceſſariam; ſine hac enim humana mens nunquam quieſcit; cùm omnis alia ratio ſit defectuoſa; ſi defectuoſa, ergo diſplicet; ſi diſplicet, ergo ſatiare non poteſt; ſatiare non poteſt, quia optimum appetit; Ergo quieſcendum in una prima, vera, infallibili, neceſſaria, qui DEUS Opt. Max. eſt.

Arg. VII. à Voluntate. △. Vo.

Si eſt bonum infimum, neceſſario erit ſupremum; ſunt enim hæc correlativa. Sed datur bonum infimum. Ergo ſupremum.

Major patet per Regulam Correlativorum. Minor probatur per inductionem:

Infimus bonitatis gradus in natura eſt, corpus inanimatum.

Sed hôc melior eſt gradus vegetativus, & hôc melior ſenſitivus, & hôc melior rationalis, & hôc melior intellectivus, & hôc melior intellectus eſſentialis omni imperfectione, omni defectu carens, qui Deus eſt, ſupremum bonum.

Ergo datur ſupremum bonum, à quo omnia bona participativè bona ſunt; quæ uti ab alio, id eſt, à ſummo bono bona ſunt, ita diverſos quoque bonitatis gradus ſortiuntur.

Nam lapis minus bonum eſt, quia tantùm eſt.

Arbor melior eſt lapide, quia eſt & vivit.

Brutum verò melius eſt lapide, quia eſt, vivit, ſentit.

Hôc Homo melior eſt, quia eſt, vivit, ſentit, ratiocinatur & intelligit.

Ergo datur ſupremum bonum, à quo omnia bonitatem participiant, ab omnibus appetibile.

Hoc pacto per ſingula prædicata eſſentialia procedendo, neceſſitatem eſſentiæ DEI demonſtrabis. *V. G.* ex Voluntatis, Virtutis, Veritatis, Gloriæ principiis oſtendes, neceſſariò ultimum finem eſſe, in quo appetitus quieſcat. In virtutem primam reſolvi omnes virtutes; in veritatem primam omnes veritates; in gloriam omnes glorias & beatitudines; quæ omnia neque intellectui, neque voluntati ſatisfaciunt, niſi requieſcant in uno, primo & ultimo.

Poſtquam demonſtravimus DEUM eſſe, & divinam eſſentiam neceſſariò exiſtere, omnes reliquas perfectiones ſimpliciter ſimplices, cæteraque attributa jam tutò inferes; qualia ſunt: DEUM eſſe ſumme & abſolutè bonum, immenſum, æternum, ſapientem, & ſic de cæteris principiis Artis noſtræ, ut ſequitur.

Nulla Bonitas ſuprema dari poteſt, quin ipſa ſit infinitè magna.

Nulla infinita B. & M. quin ſit infinitè durans, ſcilicet æterna.

Nec ulla infinita B. M. D. quin ſit infinitè potens.

Nec ulla infinita B. M. D. P. quin ſit infinitè ſapiens.

Nec ulla infinita B. M. D. P. S. quin ſit infinitè volens.

Nec ulla infinita B. M. D. P. S. Vo. quin ſit infinitæ virtutis.

Nec ulla infinita B. M. D. P. S. Vo. Vi. quin ſit infinitè verax.

Nec ulla infinita B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. quin ſit infinitè glorioſa.

Nec ulla infinita B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. quin ſit infinitè bona.

Ergo per compoſitionem abſtracto-concretam Bonitas eſt infinitè { Glorioſa. Ve. Vi. Vo. S. P. D. M. B. }

Ergo per compoſitionem concreto-abſtractam infinitum bonum eſt infinita { Gloria. Veritas. Virtus. Voluntas. Sapientia. Poteſtas. Duratio. Magnitudo. Bonitas. }

Notan-

Notandum, quod omnia principia tertiæ Enneadis hujus ſunt demonſtrabilia per æquiparantiam, & eſt teſte Ariſtotele, quando æquale majus demonſtratur per æquale magis notum. Cùm itaque dicta eſſentialia principia ſint æqualia in divinis, & prorſus identificentur in divina eſſentia, ideò unum per aliud facile & nullo penè negotio demonſtrari poteſt; Sicuti enim, qui unam campanæ partem pulſat, is omnes haud dubiè campanæ partes ad ſonum pariter edendum concitat; ita in DEO una perfectio poni nequit, quin omnes mox ponantur, adeò ut per terminorum convertibilitatem in divinis, abſtractum de concreto, & hoc per illud æquo ratiocinio prædicentur.

His itaque præmiſſis jam ad propoſitum nobis ſcopum progrediamur. Et eſt, quomodo hujus Combinatoriæ Artis methodo admirandâ, omnia Theologicæ ſcientiæ arcana per Syllogiſmos abſolutos & univerſales inveſtigari poſſint.

CAPUT V.

Combinatio prima Syllogiſmorum.

Eſſentiam DEI juxta novem attributorum ſeu principiorum eſſentialium ordinem, qui in tertia Enneade continetur, inveſtigans & demonſtrans.

	CATENA SYLLOGISMORUM.	PROBATIO PRÆMISSARUM.
1. B. M.	Quicquid eſt infinitè *bonum*, id eſt infinitè *Magnum*.	Si non eſſet infinitè M. eſſet limitatum; & conſequenter non infinitè bonum.
	DEUS eſt infinitè bonus. Ergo eſt infinitè Magnus.	Quia magnitudo bonitatis eſſet limitata ab alio.
2. M. D.	Quicquid eſt infinitè *M.* id eſt infinitè *D.* id eſt æternum.	Si non infinitè D. ergo habebit principium; ergo ab alio principiatus.
	DEUS eſt infinitè *M.* ergo infinitè *D.* id eſt æternus.	Si non. Ergo non infinitè magnus, nec bonus, quæ ſunt abſurda.
3. D. P.	Quicquid eſt infinitè *durans*, id eſt infinitè *P.*	Si non infinitè P. ergo poterit & non poterit, ergo limitatam & illimitatam potentiam exercebit. Sed hæc involvunt contradictoria; loquimur enim de intrinſeca potentia.
	DEUS eſt infinitè *D.* Ergo infinitè *P.* id eſt omnipotens.	
4. P. S.	Quidquid eſt infinitè *P.* id eſt infinitè *Sapiens.*	Si non eſt infinitè S. ergo intelligendo ſe non ſe comprehenderet ſecundùm omne complementum perfectionis; & conſequenter eum nonnulla laterent. Sed hoc eſt abſurdum.
	DEUS eſt infinitè *P.* Ergo infinitè *Sapiens.*	
5. S. Vo.	Quidquid eſt infinitè *S.* id infinitè *Vo.* DEUS eſt infinitè *S.* ergo infinitè *Vo.*	Si non infinitè Vo. ergo non ſe amaret infinitè, defectu perfectionis. Sed hoc abſurdum eſt.
6. Vo. Vi.	Quidquid eſt infinitè *Vo.* id eſt infinitè *Vi.* DEUS eſt infinitè *Vo.* ergo infinitè *Vi.*	Si non eſſet infinitè Vi. non pertingeret ad immenſitatem & ſummitatem abſolutam; quod dici non poteſt.
7. Vi. Ve.	Quidquid eſt infinitè *Vi.* id eſt infinitè *Ve.* DEUS eſt infinitè *Vi.* ergo infinitè *Ve.*	Si non eſſet infinitè Ve. ergo non eſſet infinitè Sapiens, nec objectum reſponderet potentiæ infinitæ; quod de DEO dici non poteſt.
8. Ve. G.	Quicquid eſt infinitè *Ve.* eſt infinitè *G.* DEUS eſt infinitè *Ve.* ergo infinitè *G.*	Si non eſſet infinitè G. ergo non eſſet finis univerſorum, nec infiniti gaudii, quæ omnia implicant.

9\. Quidquid itaque eſt infinitè M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. id eſt infinitè B.
DEUS eſt talis. Ergo.

Quæ quidem ita Combinari poſſunt, ut quodcunque ex novem prædicatis acceperis, de eo reliqua omnia prædicare poſſis.

EPILOGISMUS

Combinatorius cum inventione medij.

Omne infinitè — *est infinitè*

B	M								
B	M	D							
B	M	D	P						
B	M	D	P	S					
B	M	D	P	S	Vo.				
B	M	D	P	S	Vo.	Vi.			
B	M	D	P	S	Vo.	Vi.	Ve.		
B	M	D	P	S	Vo.	Vi.	Ve.	G	
B	M	D	P	S	Vo.	Vi.	Ve.	G	B

Sed DEUS est infinitè — *Ergo infinitè*

B	M								
B	M	D							
B	M	D	P						
B	M	D	P	S					
B	M	D	P	S	Vo.				
B	M	D	P	S	Vo.	Vi.			
B	M	D	P	S	Vo.	Vi.	Ve.		
B	M	D	P	S	Vo.	Vi.	Ve.	G	
B	M	D	P	S	Vo.	Vi.	Ve.	G	B

Combinatio ſecunda reliquorum Attributorum poſitivorum.

QUÆSTIO I.

De perfectionibus DEI.

1. An DEUS ſit Ens unum, ſimplex, perfectum, bonum, ſapiens, volens, omnipotens, providens; de ſingulis ordine dicetur.

Submove Enneadis ſecundæ Orbem primò ſub quæſtione Utrum; ita ut DEUS ſit ſubjectum, & ens ſimplex prædicatum; hoc pacto procedes ut in præcedentibus, prædicando unitatem, ſimplicitatem, perfectionem DEI &c. de omnibus novem eſſentialibus principiis & attributis ſubſtantialibus. Ut in Exemplis vides.

1. *An DEUS unus abſolutè.*

Omne quod eſt infinitè	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Eſt neceſſariò & abſolutè unum.	Sed △ eſt infinitè	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Ergo.	Si non. Ergo,	Et unum foret & multa. Eſſet compoſitus vel ex partibus, vel accidentibus, vel materia & forma, actu & potentia. Non carens principio & fine. Diviſus potentia, ergo non ſemper in actu. Cognoſceret per modum accidentalis cognitionis. Vellet ſubinde & non vellet, ergo mutabilis. Multiplicitati formarum ſubjaceret. Objectum cognoſcibile difforme foret intellectui divino. Gloriam participatam habet.

Quæ omnia abſurda ſunt. Eſt ergo DEUS abſolutè unus.

2. An

2. *An DEUS absolutè simplex.*

Omne quod est infinitè { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Est absolutè simplex.

Sed △ est infinitè { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Ergo.

Si non esset, Ergo {
- Ex diversis bonitatibus constitueretur.
- Corporeus quocunque tandem modo & compositus.
- Non expers principii & finis.
- Non esset causa causarum, & ens entium, ergo in seipso divisum.
- Intelligeret per modum discursus, inferendo unum ex alio.
- Mutabilis voluntatis.
- Subjectus accidentibus.
- Intellectus versaretur circa cognoscibilia more humano.
- Divisus in gloria & gaudio suo.

Quæ omnia absurda sunt; Ergo est infinitè simplex.

3. *An DEUS perfectus.*

Omne infinitè { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Est absolutè perfectum.

Sed △ est infinitè { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Ergo.

Si non esset, Ergo {
- Non esset actus purus.
- Non esset illimitatus & immensus.
- Non esset æternus, neque rerum omnium principium & finis.
- Aliquid potentiæ ei deesset.
- Non haberet omne complementum cognitionis.
- Non esset bonum appetibile ab omnibus.
- Non contineret omnem perfectionem simpliciter simplicem.
- Difformis intellectu cum objecto.
- Non esset absolutè beatus.

Quæ omnia absurda sunt. Est ergo DEUS perfectus absolutè; est ergo illud absolutè perfectum, extra cujus esse nihil est, cujus esse totum est suum nomen, cujus esse totum est independens ab alio.

4. *An DEUS sit summum Bonum.*

Omne infinitè { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Est summum bonum.

Sed △ est infinitè { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Ergo.

Si non. Ergo {
- Non esset finis ultimus rerum.
- Quia si non esset infinitè M. non posset esse summum bonum; quia deesset illi bonum magnitudinis.
- Creaturæ omnes in bonitate deficerent.
- Impotens foret in communicandis bonis.
- Defectus in eo foret ratione providentiæ.
- Invidiosus dici posset.
- Deficeret in virtute sua.
- Intellectus difformis foret voluntati in providendo & communicando.
- Non esset completum gaudium in DEO.

Quæ omnia absurda sunt. Bona itaque omnia à DEO sunt, tanquam à primordiali principio effectivo, finali, extrinseco &c.

5. *An*

5. An DEUS seipsum scientiâ comprehensivâ cognoscat.

Omne infinitè { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Est seipsum comprehensivè cognoscens. { Sed △ est infinitè { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Ergo. { Si non: Ergo {

- Seipsum infinitè non appeteret.
- Magnitudo bonitatis eum lateret.
- Non esset æterna DEI cognitio.
- Eum lateret aliquid, quod nosse non posset; ergo plura nosset, quàm nosse posset.
- Intellectus, intelligibile, & intelligere non esset idem, sed per modum accidentis.
- Non esset causa rerum, nec scientiam haberet approbationis; voluntate enim ejus facta sunt omnia.
- Non cognosceret virtutem suam, ergo nec ea, ad quæ se extendit, noscit itaque & se & alia per seipsum.
- Cognoscibile non esset conforme intellectui; videt itaque malum per bonum, singularia, infinita, futura; quia cognitio est ipsa DEI essentia, non ut distinctum quid.
- Gloria ejus deficeret.

Quæ omnia sunt absurda. DEUS ergo seipsum comprehensivè cognoscit.

6. An in DEO sit Voluntas.

Omne infinitè { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Est infinitè volens. { Sed △ est infinitè { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Ergo. { Si non esset: Ergo {

- DEUS non perfectè se amaret.
- Non esset diffusivus sui.
- Voluntas DEI aliquando cessaret.
- Non esset omnipotens, quod implicat. Quia omnia solo nutu & Voluntate fecit.
- Intellectus & voluntas in DEO non essent idem.
- Non necessariò se vellet suamque bonitatem, nec etiam ex hypothesi.
- Semper ageret ex necessitate naturæ, ad extra.
- Esset mutabilis ad intra.
- Non perfectè delectaretur gloriâ sui.

Quæ omnia absurda sunt.

7. An

7. An DEUS ſit verè omnipotens.

Omne infinitè	B.	Eſt infinitè potens.	Sed △ eſt infinitè	B.	Ergo.	Si DEUS, ut eſt	Summum bonum, non eſſet omnipotens, ergo diffuſio bonitatis eſſet limitata ad intra & ad extra.
	M.			M.			Abſolutè magnus, non eſſet omnipotens, ergo ejus magnitudo non ſeſe extenderet ad omnia.
	D.			D.			Abſolutè durans, non eſſet omnipotens, ergo ejus poteſtas non fuiſſet æterna.
	P.			P.			Simpliciter potens, non eſſet omnipotens, eſſet omnipotens & non omnipotens.
	S.			S.			Abſolutè Sapiens, non eſſet omnipotens, de omnibus providentiam non haberet.
	Vo.			Vo.			Abſolutè Volens, non eſſet omnipotens, Voluntas non adæquaret intellectum, & per conſequens eſſet defectuoſa.
	Vi.			Vi.			Summæ virtutis, non eſſet omnipotens, illum in virtute deficere neceſſe foret.
	Ve.			Ve.			Infinitè verax, non eſſet omnipotens, non eſſet ratio rationum.
	G.			G.			Simpliciter glorioſus, non eſſet omnipotens, eum in beatitudine ſua deficere neceſſe foret.

Hæc omnia abſurda ſunt, & impoſſibilia. Ergo.

Per Reſolutionem.

DEUS eſt omnipotens, quia infinitè bonus.

Eſt infinitè bonus, quia eſt infinitè magnus.

Eſt infinitè magnus, quia eſt infinitè durans.

Eſt infinitè durans, quia eſt infinitè potens.

Eſt infinitè potens, quia eſt infinitè ſapiens.

Eſt infinitè ſapiens, quia eſt infinitè volens quoad ſe.

Eſt infinitè volens quoad ſe, quia eſt infinitæ virtutis.

Eſt infinitæ virtutis, quia eſt infinitè verax.

Eſt infinitè verax, quia eſt infinitè beatus.

8. An detur Providentia in DEO.

Ubi eſt infinita	B.	Ibi eſt providentia reſpectu rerum.	Sed DEUS eſt infinita	B.	Ergo.	Quia ratio ordinis ad finem eſt in mente DEI.
	M.			M.		Quia infinita magnitudo bonitatis ubique providet.
	D.			D.		Quia ab æterno objectivè providet omnibus.
	P.			P.		Quia omnia ſubjecta ſunt ejus potentiæ, ergo & providentiæ.
	S.			S		Quia eſt ordo immediatus rerum ad ſe tanquam ad finem.
	Vo.			Vo.		Non tamen neceſſitatem imponit in omnibus, executionem tamen facit per velle ſuum, quia perfectio mundi id requirit.
	Vi.			Vi.		Quia uti ſe res habet ad providere, ſic ad conſervare.
	Ve.			Ve.		Si non; ergo DEUS malum intenderet formaliter, non permiſſive.
	G.			G.		Quia ex providentia reſultat gloria conditoris DEI.

Habes hîc Lector positiva DEI Attributa cum absolutis Artis nostræ principiis Combinata, qui est primus Combinandi modus per simplices terminos. Modò Tabulam hîc apponendam duxi, quæ uti omnes terminos ad unumquodque ex novem reducibiles Combinat, ita innumerorum quoque argumentorum sedes suppeditat Tyroni ad quamcunque quæstionem urgendam peridoneas.

CAPUT VI.

TABULA

Terminorum reducibilium ad novem prædicata essentialia.

AD BONITATEM

Termini reducibiles sunt.

DEUS.

1. Unum simplex, perfectus absolutè.
2. Ens entium. Origo bonorum omnium.
3. Creator omnium, Natura naturans.
4. Causa causarum.
5. Conservator omnium existens, per se, & à se, in se, & ex se.
6. Actus purus, & simpliciter simplex.
7. Bonum summum & increatum.
8. Necessarium, absolutum.
9. A quo omnia participativè bona sunt.
10. Bonum appetibile ab omnibus.
11. Centrum universæ creaturæ.
12. Bonum per essentiam.
13. Amor omnium objectivus.
14. Amando infundit bonum omnibus.
15. Idem est, & id per quod est.
16. Infinitè perfectus, & causa ordinis & unum simpliciter.
17. Indivisus in se, quia sine partibus.
18. Omnia affectant assimilari suæ causæ.
19. Cujus esse, operari, & finis idem sunt.
20. A quo omnia dependent ceu à principio & primo exemplari effectivo & finali extrinseco.
21. Bonum expetibile quia ab ipso bona sunt.
22. Diffusivum sui essentialiter.
23. Communicativum sui ad intra substantialiter.
24. Acceptabile & gratum finaliter.
25. Perfectionem omnibus tribuens.
26. Amor est, cujus voluntas tanquam primus actus tendit in bonum secundum se.
27. Id à quo omnia participativè bona sunt.
28. Per cujus communicationem & diffusionem bonitatis omnia sunt.
29. Ad quod tendit omnis appetitus creaturæ.
30. Appetibile ultimatum.
31. Quò bonitas major est, tantò diffusio & communicatio major.
32. Primum & supremum entium.
33. Causa universalis omnis bonitatis & perfectionis in creaturis.
34. Infinitè excedit omnem creaturæ perfectionem.
35. Finis omnium.
36. Quod totum esse, bonitatem & perfectionem tribuit creaturis.
37. Omne sive finitum sive infinitum DEO additum non facit illud majus aut melius intrinsecè.
38. In suo esse constituitur per propriam essentiam & aseitatem.
39. Non ordinatur ad finem suum consequendum per aliquid distinctum à se & à sua essentia.
40. Per essentiam suam realiter comprehendit seipsum & fruitur seipso.
41. Non perficitur participativè & dependenter ab alio.

THEOLOGICI TERMINI

Ad Magnitudinem reducibiles.

DEUS.

1. Magnitudo increata.
2. Infinitus, omnia in omnibus.
3. Immensus & ubique per essentiam, præsentiam & potentiam.
4. Incomprehensibilis, quia infinitæ perfectionis.
5. Principii & finis expers.
6. Interminabilis, quia infinitè magnus.
7. Quantitatis & qualitatis expers.
8. Omnia implens.
9. Ubique. Incircumscriptibilis loco.
10. Quo nihil majus dari potest.
11. Ipsum esse non receptum in aliquo.
12. Distinctus ab aliis infinitè, & alia ab illo.
13. Unde creatum infinitum actu dari non potest per essentiam, quia coincideret cum infinito absoluto; & quia est contra rationem facti, cum esse rei factæ non sit de ejus essentia.
14. Inexistens omnibus rebus, non ut pars, vel accidens, sed ut agens & conservans.

15. Con-

15. Continens omnia, & omnibus inexiſtit, non formaliter ſed cauſaliter, per eſſe proprium non ut forma, ſed ut cauſa, ſine quo nihil poteſt eſſe & conſervari.
16. Non exiſtit ut indiviſibile in quanto.
17. Totus in ſingulis, & totus in omnibus.
18. Omnibus ſufficientiam præſtans.
19. Intenſivè & extenſivè omnia excedens.
20. Infinitæ capacitatis.
21. Omni compoſitione & partibus expers.
22. Sub nullo genere & ſpecie continetur. Non veniens in compoſitionem aliorum.

AD DURATIONEM

Termini reducibiles.

DEUS.

1. Æternus. Duratio increata, eſſentialis.
2. A & Ω. ſibi ſoli ſufficiens.
3. Perfectus in æternitate eſſentiæ ſuæ.
4. Principio & fine carens.
5. Semper nunc, abſque præterito & futuro.
6. Nulli tempori aut æviternitati ſubditus.
7. Poſſeſſor ſui ipſius ab æterno.
8. Omnia continens & ſemel & ſimul.
9. Totius vitæ ſimul & perfecta fruitio.
10. Totus in actu, omni potentialitate excluſa.
11. A quo omnia nonnihil æternitatis participant.
12. Immutabilis, quia ſuum ipſius eſſe eſt.
13. Uniformis ſemper tum intellectu tum voluntate.
14. Cujus duratio eſt duratio rerum omnium.
15. Omne tempus & ævum includens.
16. Cujus duratio & eſſentia idem ſunt.
17. Omnes temporum differentias ſupergrediens.
18. Circulus, cujus centrum ubique, circumferentia nuſquam.
19. Menſura increata ſui ipſius.
20. Nulli mutationi, neque quoad locum, neque quoad finem, neque quoad voluntatem, ut in creatis fit, obnoxius.
21. Actus purus, ſimplex, & totius perfectionis complementum.
22. Maximum abſolutum.
23. Indeficientem naturam habens.

AD POTENTIAM

Termini reducibiles.

DEUS.

1. Potentia infinita.
2. Omnipotens.
3. Poſſibilium cognitor.
4. Potens omnia, niſi implicet ex parte objecti.
5. Cujus effectus ad extra non coæqualis eſt potentiæ ſuæ.
6. A quo omnis poteſtas.
7. Dominator abſolutus, Princeps, Rex, Gubernator.
8. Cui omnia ſubſunt.
9. Actus divinæ potentiæ eſt idem cum eſſentia ſua.
10. Cujus eſſe & operari idem ſunt.
11. Cujus eſſe & poſſe idem ſunt.
12. Principium activum rerum omnium non paſſivum.
13. Nobiliſſimus & puriſſimus actus.
14. Nulli potentialitati ſubjacens.
15. Cujus voluntas quod imperat, id potentia exequitur, & ſcientia ad id dirigit, quæ omnia unum ſunt, ratione tantum diſtincta.
16. Quantò quis majorem habet & perfectiorem agendi rationem, tantò potentia ipſius eſt major in agendo; ſed divina eſſentia principium agendi in DEO eſt infinitum, ergo & potentia.
17. Movens omnia ipſe immobilis.
18. Cognoſcens non entia, poſſibilia tamen ſcientiâ viſionis, quia ipſi omnia ſunt præſentia; non entia verò & impoſſibilia cognoſcit ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſecundùm D. Bonavent.
19. Cognoſcit mala per bona.
20. Cognoſcit ſingularia quia contingentia, quia ea creat; infinita, quia omnia cognitioni ejus ſubſtant ſine omni temporis reſpectu, eadem ratione futura.

AD SAPIENTIAM

Termini reducibiles.

DEUS.

1. Omniſcius, Intellectus primus.
2. Archetypon increatum.
3. Increata Sapientia.
4. Idea idearum.
5. Ineffabilis quia illimitatæ eſſentiæ.
6. Incomprehenſibilis, quia intellectum creatum infinitè excedit.
7. Vita vitarum, à qua omnia vitam & eſſe participant.
8. Monas intellectualis, quia unitas eſſentialis.
9. Cujus ſcientia non eſt actus, ſed ſua ſubſtantia.
10. Non eſt per modum concluſionis, neque univerſalis, neque particularis; non per modum habitus vel potentiæ, ſed altiori modo ſe habet, utpote identificatum cum eſſentia divina.

11. Intelligens ſe per ſe, cujus intellectus idem eſt cum eo, quod intelligitur.
12. Quem nihil latet, quia aliàs eſſet in potentia.
13. Comprehenſor ſui ipſius eſſentialiter & ſubſtantialiter.
14. In quo intellectum, intelligere & intelligibile idem ſunt.
15. Qui in ſe & virtute ſua omnia alia cognoſcit à ſe producta ſine diſcurſu, in ſe ipſo, ut eſt cauſa cauſarum.
16. Omnia quæ ſunt, ſunt per ſcientiam approbationis DEI.

AD VOLUNTATEM
Termini reducibiles.

DEUS.

1. Cujus Voluntas, ipſe eſt.
2. Cujus intellectus & eſſentia idem ſunt.
3. Qui eſt finis omnium.
4. Qui amat quod poſſidet, eoque gaudet non motus ab alio.
5. Qui vult alia à ſe, ut ad finem, ſeipſum ut finem.
6. Qui vult alia, quia diffuſivum ſui omne bonum.
7. Qui vult multa propter unitatem eſſentialem bonitatis ſuæ.
8. Vult ſe neceſſariò, alia ex hypotheſi, id eſt non defectu voluntatis ſuæ, ſed creaturæ.
9. Quæ eſt cauſa rerum, quia agit per intellectum & Voluntatem, non ex neceſſitate naturæ, quia crearet infinitum, ſed finitè, quia voluntas determinat.
10. Qui unico actu vult finem & media.
11. Vult hoc eſſe propter hoc, non tamen propter hoc vult hoc.
12. Cujus voluntas ſemper impletur, quia cauſa univerſalis.
13. Vult omne bonum, id eſt, ſimpliciter; non alia, quia nulli mutationi obnoxia eſt.
14. Non eſt mutabilis, quia ſua ſubſtantia.
15. Omnis mutatio ex parte creaturæ in DEO non niſi metaphoricè.
16. Non niſi in aliquibus neceſſitatem imponit ob efficacem ſuam voluntatem, in reliquis conditionatam.
17. Quæ liberè vult, quia poteſt velle hoc eſſe vel non eſſe.
18. Voluntas ſigni fundatur in creaturis; contrà voluntas beneplaciti. Ita punitio in nobis eſt ſignum iræ in DEO; quæ enim in nobis ſunt ſigna volendi, in DEO ſunt divina voluntas.

AD VIRTUTEM
Termini reducibiles.

DEUS.

1. Virtus infinita.
2. Increata vis ſubſtentativa omnium.
3. Quæ omnibus influit creaturis.
4. Quæ in eſſe & vivere conſervat omnia.
5. Lux infinita omnia illuſtrans.
6. Lux increata in ſe reflexiva.
7. Ex cujus igne omnia genita.
8. Sol ſupramundanus caloris vigorem omnibus infundens.
9. Ignis, lux, lumen primum & infinitum.
10. Cujus lux eſt ipſius eſſentia.
11. Lux intellectualis omnia attingens.
12. Cujus luce mundus fovetur & ſuſtentatur.
13. Cujus virtute luminis omnis homo ſanctificatur.
14. Pater luminum à quo omne bonum.
15. Cujus virtutis radios omnia participant.
16. Cujus vis in fontani luminis receſſu latet.
17. Virtus cujus ope omnia vivunt, moventur, ſunt.
18. Lux prima ſimpliciſſima, incorporea, à qua omnis lux promanat.
19. Vita rerum omnia implens, animans, conſervans.

AD VERITATEM
Termini reducibiles.

DEUS.

1. Veritas æterna infinita.
2. Prima & ſumma veritas.
3. Regula & norma omnium veritatum creatarum.
4. A qua omnia participativè vera ſunt.
5. Omnis falſitatis expers, quia immutabilis.
6. Omnia vera ſunt per comparationem ad intellectum divinum.
7. Veritas in intellectu divino non eſt tanquam in componente & dividente.
8. Quia eſt ſuum eſſe & intelligere ſine compoſitione.
9. Veritas nulli mutationi obnoxia.
10. Dictamen omnium veritatum.
11. Unum, verum, bonum, in ente increato ſubſtantialiter idem ſunt.
12. Veritas & intellectus in DEO convertuntur.
13. Sicut ſe habet malum ad bonum, ita falſum ad verum; unde fieri non poteſt, ut DEUS malum & falſum cognoſcat, niſi per bonum & verum, quorum privationes ſunt.

14. Sicuti

14. Sicuti veritas & intellectus in DEO idem sunt cum sua essentia, ita in creatis cum ente convertitur.
15. Cujus justitia veritas est.
16. Omnia ordinat secundum suam sapientiam, quæ est regula, & veritas dicitur.
17. Fons totius cognitionis & sapientiæ.
18. Origo totius inventionis rerum.
19. Exemplar veritatis.

AD GLORIAM

Termini reducibiles.

DEUS.

1. Beatitudo increata.
2. Gloria infinita.
3. Gaudiosus.
4. Æternus sui ipsius possessor.
5. Sibi sufficientissimus.
6. A quo omnis gloria.
7. Superbenedictus.
8. Gloria & merces Electorum.
9. Regnum omnium seculorum.
10. Honor totius creaturæ.
11. Dignissimus, superexcelsus.
12. Lumine gloriæ electos beatificans.
13. In quo omnes participativè beati sunt.
14. Beatitudo essentialis & formalis sui ipsius, quia identificatur cum essentia divina.
15. Speculum voluntarium visionis beatificæ.
16. Ultima beatitudo & sui ipsius & omnium, quia est summum bonum & perfectissimum.

Usus Tabulæ hic est. Singulæ propositiones, quæ in singulis columnis continentur, reducuntur ad illud absolutum principium, quod in fronte referunt, & sunt veluti media quædam ad formandos syllogismos disposita, & in majori quidem propositione locum tenent subjecti, in Majori verò, prædicati; ita ut DEUS in Minori semper pro subjecto assumatur; prædicatum verò in Majori semper sit unum ex novem principiis essentialibus. *Exempli gratia.*

Omne unum, simplex & absolutè perfectum, est absolutè Bonum. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.
DEUS est unum, simplex & absolutè perfectum.
Ergo est absolute Bonus, Magnus, &c.

Rursus.

Necesse est, ut Ens entium sit absolutè Bonum. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.
DEUS est Ens entium. Ergo.

Iterum.

Origo bonorum omnium est necessariò infinitè bonum. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.
DEUS est origo bonorum omnium. Ergo.

Hoc pacto in reliquis ordine terminis Compositis procedes, quæ, ut dixi, sunt tot media.

Est & hoc mirabile, omnes hasce propositiones ita esse dispositas, ut omnes & singulæ assumptæ mediorum locum subeant, *V. G.* Probatur, DEUM esse Ens unum simplex & perfectum; assumo pro medio secundum terminum in Columna, & sic argumentor.

Ens entium necessariò est unum, simplex & absolutè perfectum.
DEUS est ens entium. Ergo.

Hujus Majorem probare poteris per quamlibet aliam propositionem. *Verbi gratia.*

Omne quod à se & necessariò existit, id est unum, simplex & perfectum.
Sed Ens entium necessariò à se existit. Ergo.

Quicunque itaque has Columnarum propositiones rectè calluerit, is ingentem syllogismorum de qualibet Theologica materia congeriem paratam habebit.

Vides Lector hic octo Combinationes Syllogisticas, quibus attributa divina per novem essentialia principia demonstrantur; ut ex hisce discas, quomodo de reliquis divinis perfectionibus, videlicet de infinitate, immutabilitate, æternitate, immortalitate, incomprehensibilitate, similibusque, in hoc Combinationis Theologicæ negotio procedendum sit; & quàm multiplici argumentorum varietate, unam & eandem rem demonstrare ex suis principiis possis.

Atque hactenus quidem de essentialibus DEI perfectionibus; nunc quomodo illa per Enneadem Erotematicam. Amplianda sint videndum est.

CAPUT VII.

Combinatio Divinæ essentiæ per Quæstionum regulas.

De Divina essentia juxta enneadem quæstionariam discutienda.

Ostensâ divinâ essentiâ modo supradicto, procedes juxta primi circuli quæstiones: Quid; Ex Quo; propter Quid; Quantum; Quale; Quando; Ubi; Quomodo; vel Quo. In singulis investigando naturam, proprietatem & essentiam divinam. *V.G.* Quid sit DEUS; quid intrinsecè & in se ad intra, quid extrinsecè in alio, sive ad extra; utrum compositionem aliquam admittat; quid formaliter; quid agat, quid patiatur; utrum substet accidentibus, & sic ea juxta novem essentialia & substantialia principia combinabis.

Et questionem quidem de, Utrum DEUS sit, jam suprà expedivimus, restat quomodò reliquæ quæstionum particulæ ad propositam nobis materiam discutiendam applicari debeant.

Quæritur itaque primò. Quid sit DEUS?

Per quæstionem Quid?

℞. Quod sit ens à seipso, per seipsum, in seipso existens, sitque formaliter infinitè B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.

Per Analysin itaque sic argumentos.

Si DEUS est ens à seipso, &c. Ergo erit primum.
Si primum, ergo nullum illo fuit anterius.
Si nihil illo fuit anterius, ergo non ab alio ullo.
Si non ab alio ullo, ergo independens ab omni alio.
Si independens ab omni alio, ergo supremum & maximum ens est.
Si supremum & maximum ens est, ergo ab eo omnia alia.
Si ab eo omnia alia, ergo principium & causa universalis omnium.
Si causa est universalis omnium, ergo ens summè diffusivum sui.
Si summè diffusivum sui, ergo summè bonum.
Si summè bonum, ergo omnia bona ab eo participativè bona sunt.
Sed participativè bona esse non possent; nisi omnibus ubique afflueret.
Si omnibus ubique affluit, ergo erit immensus.
Sed immensus esse non potest, quin sit æternus.
Si enim esset immensus & non æternus, jam non esset primum, nec à se, neque independens ab omni alio; atque adeò foret immensus & non immensus, quod implicat; Hoc ipso itaque quod immensus est, æternum quoque esse necesse est.
Si æternus, ergo absolutè potens, ergo omnipotens, ergo omnivolens, παντοδύναμος, verissimus, gloriosissimus.
DEUS ergo est ens primum, à seipso existens & subsistens formaliter, infinitè B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. Quod erat demonstrandum.

Quæritur Secundò. Cur sit DEUS?

Per quæst. Cur.

℞. Propter seipsum. Et hoc pacto id ostendo.

Id est propter seipsum, quod immediate se ipsum respicit ut finem ultimum.
Si enim non seipsum respiceret ut finem, extra se alium finem haberet.
Sed impossibile est, DEUM præter se ipsum alium finem habere; ergo uti alium finem non respicit nisi seipsum, ita & propter seipsum esse necesse est.
Minor probatur. Si enim alium præter seipsum finem haberet, ergo appeteret illum extra se, tanquam aliquid sibi conveniens; quod impossibile est; careret enim aliquo bono, eoque privaretur; Sed Deus nullius indigus, nullo extrinseco bono perfectus est, cum sibi sit sufficientissimus omni carens defectu.
Manet ergo. Deum esse propter seipsum.
Si hoc; ergo omnes alii fines, omnia bona in id, quod propter seipsum est, resolvuntur.
Cùm nullus appetitus satiari & quiescere possit, nisi in ultimo fine, qui est Deus, finis sui ipsius.

Quæritur Tertiò. Quantus sit DEUS?

Per quæst. quantum.

℞. Quod sit magnus sine numero & mensura.

Est magnus sine numero & mensura, quia magnitudinis & extensionis suæ non habet terminos.

Ergo

Ergo infinitus	Duratione,	Quia	Æternus.
	Potentiâ,		Omnipotens.
	Sapientiâ,		Omniscius.
	Voluntate,		Quæcunque vult facit in Cœlo & in Terra.
	Virtute,		Virtus summa.
	Veritate,		Veritas æterna.
	Gloriâ,		Gloria suipsius.
	Unitate,		Unicum & summum bonum.
	Magnitudine,		Magnitudinis suæ non habet terminos, omnia continens à nullo contentus.

Et sic de cæteris perfectionibus divinis idem judicium esto.

Quæritur Quartò. Quomodo DEUS *sit* B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.

℞. Quod DEUS sit	B.	Ratione	Diffusionis & communicationis bonitatis suæ tum ad intra, tum ad extra, omnibus rebus.
	M.		Extensionis magnitudinis suæ in omnia.
	D.		Durationis suæ, qua facit, ut omnia sint & durent, & in suo esse conserventur meliori modo, quo sunt & esse possunt.
	P.		Infinitudinis essentiæ suæ, cui omnia substant & obediunt.
	S.		Miræ ordinis providentiæ, qua omnia in numero, pondere & mensura condidit, omnia cognoscit, videt, conservat.
	Vo.		Voluntatis absolutæ, quæ est sua ipsius essentia, qua suum & esse, posse, velle, & operari idem sunt, licet nonnulla, extra se necessariò, quædam liberè & contingenter cognoscat.
	Vi.		Immensæ suæ activitatis & efficaciæ, quæ omnia esse, posse, vivere, velle, operari facit.
	Ve.		Idealis sui intellectus, quo omnia, ut sunt, intuetur, sine ulla objectorum ad intellectum divinum difformitate aut falsitate.
	G.		Beatitudinis suæ, qua seipso solus fruitur, in seipso, tanquam in sempiterna bonitatis suæ abysso, requiescens.

Hæc verò omnia modo in præcedentibus solito demonstrari & per Analytico-Syntheticum ampliari poterunt.

Quæritur Quinto. Qualis sit DEUS *vel utrum* DEO *qualitas conveniat?*

℞. Quod Deo qualitas convenire non possit, & sic argumentor.

Si Deo qualitas conveniret, sequeretur primò, Deo aliquid, quo essentia ejus caret, accedere, adeoque accidentibus subjiceretur.

Secundò. Sequeretur, quod in Deo contrarietas intrinseca reperiatur.

Tertiò. Quod attributa essentialia Dei non idem essent, cum ipsa essentia.

Quartò. Quod Deus in compositionem partium veniat; Unde sic arguo.

Si Deus in compositionem partium veniret, illa compositio esset, vel haberet se, ut compositum ex	Materia & forma.	Sed hæc omnia sunt absurda & impossibilia.	Ergo △ in compositionem partium non venit; uti suprà demonstratum fuit.
	Genere & differentia.		
	Totum ex partibus.		
	Potentia & actu.		
	Ut genus ex speciebus.		
	Ut species ex individuis.		
	Ut causa ex effectibus.		
	Ut subjectum ex accidentibus.		
	Ut ens ex omnibus constitutum.		

Hoc idem oſtendi poteſt ex novem prædicamentis accidentalibus; Sequeretur enim: DEUM eſſe quantum, eſſe figuratum, dicere reſpectum ad aliquid ſibi non identificatum; agere & pati, in loco eſſe, certo ſitui & tempori ſubjici, &c. quæ abſurda ſunt: Ergo.

Eſt ergo minimè dicendus qualis in rigore phyſico; ſed ipſa attributa DEI: B. M. D. P. S. &c. ſunt ipſa DEI eſſentia, ſubſtantialiter identificata cum illa.

Quæritur Sextò. An DEUS ſit alicubi & an verè in loco, & an locatio ipſi conveniat?

Hujus quæſtionis reſolvendæ modum vide in ſequentibus ſuo loco. Uti & Quæſtionem Septimam de Quando.

Quæritur Octava. De quo vel ex quo DEUS ſit?

Hanc quæſtionem reſolves per 6. hujus propoſ. Utrùm DEUS in compoſitionem partium veniat.

Poſſunt & hæ quæſtiones innumeris aliis modis urgeri, quos ex ipſa rota Erotematico circulo adſcriptos facilè addiſces; Quare hîc tantùm eos indigitaſſe ſufficiat.

CAPUT IX.

De applicatione dictorum ad principia reſpectiva.

HIs poſitis, jam quomodò divinam eſſentiam per enneadem principiorum reſpectivorum inveſtigare valeas, aperiendum reſtat. Hoc itaque pacto procedendum eſt.

Applicentur Circuli extimi primæ quæſtioni, Utrum: ſecundo circulo ſubjectum DEUS. Deinde pone in tertio circulo primum principium, quæ eſt differentia; in quinto circulo primam diſtinctionem, quæ eſt rationis, & deinde formabis talem quæſtionem: Utrum DEUS ſit infinitè bonus, magnus, durans, potens, ſapiens &c. differat, concordet, contrariet, principiet, mediet, finiat &c. quoad primum, utrum attributa DEI differant inter ſe ratione, ſive quod idem eſt, utrum hæc principia eſſentialiter in DEO diſtinguantur diſtinctione rationis, vel modali, vel formali, an reali, & ſic de cæteris; Solutionem præſtabit propoſitionis factæ, Circulus 9. diſtinctionum; ſic itaque argumentaberis.

Quæſtio I. Utrum inter attributa detur diſtinctio rationis pura ſive ratiocinantis.

℞. Affirmativè cum pleriſque Scholaſticis, & ſic argumentor.

Ubicunque cauſantur plura entia rationis inter ſubjectum & prædicatum, ibi eſt diſtinctio rationis ſecundùm nos, inter propoſitionis identicas.	Sed in DEO cauſantur plura entia rationis puræ inter ſubjectum & prædicatum, id eſt inter has propoſitiones identicas:	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Eſt	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Ergo inter illas datur diſtinctio rationis inter ſubjectum & prædicatum, ſemper intelligendo ſecundùm noſtrum concipiendi modum.

Quæſtio II. *Utrum divina attributa diſtinguantur inter ſe ratione ratiocinata, ſeu virtuali?*

℞. Affirmativè.

Omnis diſtinctio rationis cum fundamento in re eſt diſtinctio rationis ratiocinatæ, ſive virtualis.	Bonitas DEI eſt Bonitas magna. Magnitudo eſt magnitudo æterna. Æternitas eſt æternitas potens. Potentia eſt potentia ſapiens. Sapientia eſt ſapientia volens. Voluntas eſt voluntas virtuoſa. Virtus eſt virtus vera. Veritas eſt veritas glorioſa. Gloria eſt gloria & gaudium abſolutum.	Inter hoſce terminos eſt diſtinctio rationis cum fundamento in re.	Ergo inter illas datur diſtinctio rationis ratiocinatæ, ſive virtualis.

Hanc virtualem diſtinctionem nonnulli Scholaſtici formalem quoque appellant, uti ex ſequenti diſcurſu patet.

Quæſtio III. *Utrum attributa modaliter diſtinguantur, an formaliter?*

℞. Non datur in Deo modalis, ſed formalis diſtinctio.

Prius ita oſtenditur.

Modalis diſtinctio tunc eſt, quando unum alteri additum non mutat rationem conſtituti.

Sed talis in Deo non datur diſtinctio.

Ergo non per modos, ſed per formales rationes attributa inter ſe diſtinguuntur. Quod ita oſtendo.

Ubicunque ſunt plures formalitates ibi datur diſtinctio formalis.	Sed inter	B. & M. M. & Æt. Æt. & P. P. & S. S. & Vo. Vo. & Vi. Vi. & Ve. Ve. & G. Juſt. & Miſ. Intell. & Vol.	Dantur plures formalitates. Ergo inter attributa divina datur diſtinctio formalis.	Ratio: quia △ Non	A magnitudine, ſed à bonitate bonus eſt. A magnitudine, ſed ab æternitate æternus eſt. Ab æternitate, ſed à potentia potens eſt. A potentia, ſed à ſapientia ſapiens eſt. A ſapientia, ſed à voluntate volens eſt. A voluntate, ſed à virtute virtuoſus eſt. A virtute, ſed à veritate verus eſt. A veritate, ſed à gloria glorioſus eſt. A juſtitia, ſed à miſericordia miſericors eſt. A voluntate generans, nec ab intellectu amans eſt. Sed intellectu generat, & voluntate ſpirat amorem.	Formaliter.

Quæſtio IV. *Utrum in DEO detur realis diſtinctio?*

℞. Affirmativè.

Ubicunque ſunt tres ratæ res & incommunicabiles, ibi datur diſtinctio realis.

Sed in Deo ſunt tres res ratæ & incommunicabiles: Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Ergo.

Atque prædictæ diſtinctiones Deo propriè congruunt, non item reliquæ, quia ſolis creaturis. Sed hæc fuſiùs in ſequentibus deducuntur.

Quæst. V. *Utrum in* DEO *detur differentia & concordantia?*

℞. Affirmativè; & per inductionem probatur.

Distinguuntur, sive differunt late sumpta verè inter se	Petrus Homo Leo Arbor Cœlum Substantia	Et	Paulus. Leo. Arbor. Lapis. Angelus. DEUS.	Concordant verò, In	Homine. Animali. Corpore animato. Corpore. Substantia. Ente.

Ergo in DEO datur differentia & concordantia intrinseca, semper intelligendo differentiam pro distinctione virtuali, aut formali.

Aliter.

Differunt inter se	Ens & infinitas. Ens & finitudo. Substantia & Spiritualitas. Substantia & corporeitas. Elementa 4. Arbor, Leo. Leo & Petrus. Angelus & Homo. Homo & DEUS.	Concordant, In	DEO intrinsecè. Substantia. Angelo & Anima. Cœlo, primo corpore naturæ. Elementis seu mixtis. Corpore animato. Natura sensitiva. Intellectuali. Christo, qui est omnia in omnibus.

His positis, sic argumentor.

Ubicunque datur	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve.	Et	M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Ibi secundùm nostrum concipiendi modum datur differentia. Sed in DEO datur. Ergo.	Iterum. Ubicunque datur infinita	B. M D. P. S. Vo. Vi. Ve.	Et	M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Ibi datur concordantia. Sed in Deo datur B. & M.	Quia concordant in essentia divina, cum qua identificantur.

Conveniunt & hæ prædicationes etiam rebus creatis, quare per novem subjecta deduci possunt.

Variæ quoque Differentiæ & Concordantiæ rationes inveniri poterunt in Loculamento Differentiæ & Concordantiæ; ut, num in DEO differentia sit, vel generis in species; speciei in individua; totius in partes; causæ in effectus &c. de quibus citata loculamenta consule. Si numerica, si specifica, si generica, si se totis subjectiva aut objectiva. Et Respondetur per negationem; Quia si numerica differentia daretur in divinis, divina essentia esset una & multa, & personarum multiplicitas in una essentia consequenter assereretur; quod est absurdum. Neque specifica aut generica differentia datur in DEO; quia poneretur in prædicamento tanquam species aut genus subalternum, & sic de cæteris arguendo, de quibus in primo Libro, Capite de differentia & concordantia amplè dictum fuit.

Quæstio VI. *An in* DEO *detur contrarietas intrinseca?*

Respond. Negativè.

Omnis contrarietas consideratur vel in qualitate, vel virtute, vel in relatione vel similibus hisce;

Sed nihil horum in Deo admitti debet. Ergo.

Minor probatur inductione.

Si DEUS

Si DEUS intrinsecè & physicè involveret contrarietatem; ergo in Deo successivè esset	Bonum & malum. Magnum & parvum. Æternum & temporale. Potentia & impotentia. Scientia & ignorantia. Voluntas & noluntas. Virtus & defectus. Veritas & falsitas. Gloria & ignominia.	Sed hæc omnia absurda sunt. Quia DEUS ex accidentibus qualitatibusque constitueretur, quod est impossibile. Ergo.

Potest tamen dici impropriè contrariari malo extrinsecè, quia dicitur odisse malum, & amare bonum. Quare contrarietas propriè creatis rebus competit, & iis, quæ accidentibus substant; complicat tamen DEUS intra se, ob infinitam suam essendi rationem, contradictoria; uti paulò post apparebit.

Quæstio VII. *An DEUS sit primum principium rerum.*

℞. Affirmativè hoc syllogismo.

Omne quod est primum principium, illud est causa causarum.

Sed DEUS est primum principium rerum, ergo causa causarum.

Minorem probo inductione per novem principia substantialia.

Minoris probatio.

Illud est primum principium rerum à qua omnia participativè sunt.	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Sed DEUS est talis causa. Ergo.

Majoris probatio.

Omne quod est infinitè	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Id est consequenter causa rerum & causa causarum.	Sed quod est primum rerum omnium principium, est infinitè	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Uti in præcedentibus demonstratum est.	Ergo quod est primum rerum principium, id est causa rerum, & causa causarum;

Quæ omnia aliter sequenti modo ostendi possunt; Sic ergo argumentor:

DEUS est unum essentialiter & absolutè, ergo principium primum est omnium.

Si non: ergo ab uno essentiali est absoluto nihil est; quod impossibile est; cùm unitas sit principium numerationis; ergo unum & principium primum est.

Si DEUS est principium omnium, ergo omnia ab ipso.

Si enim non omnia essent à principio, id vel nihil esset, vel otiosum esset; quod pariter est impossibile; sicuti igitur unitas est principium omnis numerationis, ita & ordinis; & uti ab hoc omnia ortum habent, ita ab unitate numerari incipiunt.

Si itaque est principium numerationis & ordinis, ergo & principium productionis; ab eo enim omnia producta sunt.

Si principium productionis, ergo & constitutionis; unum enim illud, quod in entibus reperitur essentiale, & quod ea in esse suo constituit, aliundè non est, nisi à principio productionis, quo omnia constituuntur.

Si itaque principium constitutionis est, ergo & principium essentiæ, cùm omnis essentia ab uno per unitatem suam prodierit.

Si principium essentiæ, ergo & principium à quo omnia.

Ergo & ideale principium, ut ita dicam, quo omnia ſunt.

Ergo & exemplare, cùm omne ideatum, uti ab una idea profluxit, ita & ejuſdem particeps ſit.

Si hoc, ergo & principium conſervationis; quia omnia entia tam diù conſervantur, quamdiu una ſunt; qua unitate ab eis ablata in nihilum ruunt.

Si principium conſervationis eſt, ergo & finitionis & perfectionis; à plenitudine enim ejus omnia accipiunt, omnia perficiuntur; Ergo principium, medium & finis omnium; principium namque & bonum idem ſunt; bonum autem omnibus entibus eſt propoſitum.

Eſt itaque DEUS principium à quo omnia; principium ſeu medium, circa quod omnia verſantur, & principium finale in quod omnia reſolvuntur.

Quæſt. VIII. *An DEUS medium ſit?*

Reſpond. affirmativè.

Nota primò, Medium ſub triplici ratione conſiderari poſſe; vel ut eſt medium centri; vel uti eſt medium conjunctionis; vel denique uti eſt medium menſurationis & extremitatum. Omnibus his modis DEUM medium dici poſſe, & primò quidem, DEUM eſſe medium centri, ita oſtendo.

Centrum univerſale rerum eſt, ad quod omnia tendunt;

DEUS eſt centrum univerſale rerum.

Ergo ad eum omnia tendunt.

Si omnia ad eum tendunt, ergo circulus intellectualis eſt omnia continens; ergo & centrum; quod ita demonſtro.

Si non, Ergo circulus ſine centro, & centrum ſine ſphæra concipi poſſent. Sed hoc eſt impoſſibile; Ergo hoc ipſo, quod DEUS centrum eſt, & circulus eſt; eſt enim de eſſentia circuli centrum, & de centri eſſentia circulus.

Si ergo eſt circulus omnia continens, ergo circulus eſt infinitus.

Si hoc; ergo centrum & ſemidiameter & circumferentia & Sphæra idem ſunt; quod ita demonſtro.

Si non idem ſunt, vel centrum, ſemidiameter & circumferentia erunt finitæ, vel infinitæ; Si hoc, habemus, quod quærimus: Si illud, jam Sphæra conſtat ex centro, ſemidiametro & circumferentia finita; Ergo DEUS eſt finitus & infinitus, quæ omnia abſurda ſunt & impoſſibila.

Sunt ergo in Sphæra divina centrum & ſemidiameter, & circumferentia idem prorſus & eſſentialiter; quod demonſtrare oportebat.

Si idem ſunt, ergo DEUS circulus eſt, cujus centrum ubique, circumferentia nuſquam.

Ergo centrum ſemidiameter, circumferentia in ſphæra infinita coincidunt.

Si coincidunt, Ergo idem erit principium, medium & finis omnium.

Si hoc: ergo maximum abſolutum & infinitum eſſe neceſſe eſt.

Si maximum abſolutum, ergo longitudo, latitudo, & profunditas unum quid erit ſimpliciſſimum & indiviſibile maximum.

Ergo uti centrum præcedit omnem longitudinem, latitudinem & profunditatem, ita omnia in eodem confluunt & terminantur.

Si omnia in id confluunt & terminantur; ergo iterum medium & finis eſt omnium. Deus ergo eſt medium centri, quod demonſtrare oportebat.

Si eſt Centrum, medium & finis omnium, ergo actus ſimpliciſſimus omnium.

Si hoc, ergo omnis exiſtentia actualis in tantum exiſtit, in quantum in infinitæ ſphæræ centro actu eſt.

Ergo eſſe ejus, uti eſt eſſe quodlibet, ita eſt & eſſe omne id quod eſt; Eſſe autem Dei, ſive aſeitas Dei ſe habet per modum centri, ex qua uti omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices, omnia attributa emanant, ita & infinita ſunt.

Aliter per Artis Analogicæ principia.

Sicuti Sphæra materialis maxima eſt & ultima perfectio figurarum omnium, qua major dari non poteſt; ita Sphæra divina, maxima, & perfectionum omnium perfectiſſima. Adeò omne imperfectum ipſi eſt perfectiſſimum; ergo in ea circuitus eſt rectitudo, & compoſitio ſimplicitas; & diverſitas eſt identitas; & alteritas, unitas; & magnitudo bonitas, & bonitas æternitas; & æternitas potentia, & potentia ſapientia; & intellectus voluntas; virtus, veritas, gloria eſt; Quomodò enim aliquid ibi eſſe poſſet imperfectionis? ubi imperfectio omnis eſt infinita perfectio, & poſſibilitas eſt omnis actus?

Ergo totius univerſi, omniumque in eo exiſtentium unica & ſimpliciſſima & adæquatiſſima menſura, utpote in quo totum non eſt majus parte, ſicuti ſphæra non eſt major lineâ infinitâ; eſt ergo unica ſimpliciſſima & immobilis ratio totius univerſi.

Dixi immobilis, quia omnium motuum finis

finis eſt, in quo omnis motus, ut in centro quieſcit; ergo per Syntheſin.

Quia in eo veluti centro omnia quieſcunt, ergo eſt quies maxima, in qua omnis motus quies eſt, & quia quies maxima.

Ergo omnium motuum menſura eſt; Et quia hoc, ideò omnium circumferentiarum maxima eſt rectitudo, & maxima præſentia ejus, quæ æternitas ejus eſt, omnium temporum ævorumque complexus; ergo in ipſo omnes motus naturales ut in fine quieſcunt, & omnis potentia in ipſo, ut in actu infinito perficitur. Et hoc, quia ipſa eſt entitas omnis eſſe, & omnis motûs ad eſſe; ergo ipſa eſt quies motûs, quia eſt finis omnis motûs, ſcilicet forma & actus eſſendi. Entia ergo omnia ad eum tendunt; ergo centrum, medium & finis omnium eſt; quod erat demonſtrandum.

DEUS eſt Medium Conjunctionis. Ita ex Lulliana methodo oſtenditur.

Quia omne	Bonificans mediante bonificatione bonificat bonificabile. Magnum mediante magnificatione magnificat magnificabile. Durarefactivum mediante durarefactione durare facit durificabile. Potentificativum mediante potentificatione potentificat potentificabile. Et ſic de cæteris.	Sed hæc omnia in DEO ſunt. Ergo inter efficientem cauſam & paſſivam actio ſemper medium eſt. Sed hoc eſt medium conjunctionis; Ergo DEUS medium conjunctionis eſt.

Non tamen eſt medium menſurationis aut extremorum phyſicè loquendo, quia id tantùm in rebus quantitati ſubjectis, aliiſque entibus corporeis extra DEUM reperitur; In quantum tamen eſt ratio rationum, qua omnia numeris ſuis perficit, pondere definit, menſura determinat, medium menſurationis dici poteſt.

MODUS IX.

Quod DEUS non ſit medium Menſurationis aut extremitatum, ita oſtenditur per novem principia ſubſtantialia.

Si DEO competeret medium menſurationis & extremorum, ejus	B^as. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Neceſſariò eſſet finita & terminata.	Quia omnia divina attributa ſub menſuram caderent, & terminos ſuæ perfectionis haberent; quod dici non poteſt	Ergo.

Quæſt. X. An DEUS ſit finis ultimus rerum.

Reſpond. Affirmativè; & probatur per novem prædicata.

	Concreta.				Abſtracta.		Concreta.	
Illud in quod omnia	B^a. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Reſolvuntur & quod omnia appetunt	Eſt ultimus finis rerum.	Sed in divinam	B^tem. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Omnia	B^a. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Reſolvuntur. Ergo.

Quæcunque paulò ante de Medio adduximus argumenta, & huic de fine ultimo rerum quæſtioni adaptari poſſunt, ut proinde ſuperfluum ſit, illa hic repetere.

Quæst. XI. *An in* DEO *sit Majoritas.*

℞. Affirmativè. Per novem prædicata.
Ubi est summum B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. ibi est majoritas.
In Deo est summum Bonum &c.
Ergo in Deò datur Majoritas.

Quod & in DEO *detur Minoritas, ita probatur. Ex Card. Cusano, l. de docta ignorantia.*

Ubi est infinitum B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. ibi maximum & minimum coincidunt.
Sed in Deo est infinitum Bonum &c.
Ergo maximum & minimum in Deo coincidunt. Ergo in Deo datur Majoritas & Minoritas.
Major patet. In quolibet puncto DEUS totus est, & quibuslibet minutis; utpote cujus centrum ubique, circumferentia nusquam.
Si verò minoritas dicitur aut sumitur pro defectu, aut negatione Majoritatis, hoc pacto Deo competere non potest.

Quod tandem in DEO *detur Æqualitas, ita probatur.*

Tunc est summa æqualitas, quando	B.	Et	M.	Inter se identificantur & convertuntur	Sed in DEO	B.	Et	M.	Identificantur & convertuntur. Ergo in DEO est summa æqualitas.
	M.		D.			M.		D.	
	D.		P.			D.		P.	
	P.		S.			P.		S.	
	S.		Vo.			S.		Vo.	
	Vo.		Vi.			Vo.		Vi.	
	Vi.		Ve.			Vi.		Ve.	
	Ve.		G.			Ve.		G.	

Majoritatem & Minoritatem & Æqualitatem in DEO *aliter demonstrare.*

Cùm itaque in præcedentibus demonstratum sit, in Sphæra divina infinita, centrum, diametrum & circumferentiam esse prorsus idem, ita ut centrum nec circulo minus sit, nec circulus centro major, neque diameter aut centro aut circulo major aut minor sit; sed sit prorsus una infinita æqualitas. Quod hoc pacto demonstro.

Ubicunque Maximum & Minimum in uno & eodem subjecto coincidunt, ibi datur consequenter infinita æqualitas.
In Deo hoc fieri paulò ante, de centro, diametro, circumferentia infinitæ Sphæræ ostendimus. Ergo.
Major patet. Quia in infinita essentia omnis contradictionum ratio ita absorbetur, ut supponendo DEUM Sphæram infinitam, in ea
Diversitas sit identitas.
Non esse sit esse.
Possibilitas ipsum sit actuale esse.
Centrum sit linea.
Linea, diameter.
Diameter circumferentia.
Maximum minimum.
Minimum maximum sit.

Unde patet, in infiniti Entis abysso, contradictoria prorsus absorberi, neque oppositionem dari ullam physicam aut metaphysicam, aut moralem, quia summam argueret imperfectionem.

Concludo Ergo. In Deo maximum cum minimo, minimum cum maximo coincidere.
Ergo totum maximum est intra omne simplex & indivisibile, quia centrum est.
Ergo extra omne ambiens circumferentia est, quia diameter infinita est.
Et principium quidem omnium, quia centrum; finis omnium, quia circumferentia; medium omnium, quia diameter.
Causa efficiens est, quia centrum essendi omnium. Idealis causa, quia à suo esse, veluti linea à centro, omne esse profluit. Finalis, quia circumferentia omnia includens, ipsa à nulla contenta & clausa.
Ergo est summa essendi bonitas, quia centrum; diffusiva sui, quia diameter; conservativa omnium, quia circumferentia sua continet omnia.
In ipso enim, ex ipso, & per ipsum sunt omnia, quia circulus, diameter & centrum est.
Non quantitativum, sed intellectuale, maximum, simplicissimum; mensura omnis circulationis extra se.

Quæ

Quæ eſt de potentia in actum, & de actu redeundo in potentiam, menſura compoſitionis è principiis ad individua, & reſolutionis principiorum ad individua; nec non formarum perfectarum circulariumque operationum, & motuum euntium & redeuntium, quorum unitas in perpetua quadam pericycloſi conſiſtit.

CONSECTARIUM.

Hinc patet, quomodo Attributa Dei eſſentialia, ſicuti & novem Artis noſtræ principia, Circulari quadam & convertibili ratione de ſe invicem prædicentur, ita ut ſumma Bonitas ſit ſumma Magnitudo, & ſumma magnitudo ſumma bonitas.

Magnitudo ſit Æternitas.	Et univerſali Combinationis methodo.	B.	Sit M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.
Æternitas Potentia.		M.	
Potentia Sapientia.		D.	
		P.	
Intellectus Voluntas.		S.	
Voluntas Virtus.		Vo.	
		Vi.	
Virtus Veritas.		Ve.	
Veritas Juſtitia.		G.	

CAPUT X.

Quæſtiones de Immenſitate & Infinitate DEI.

Quæſtio I. *An DEUS per immenſitatem ſuam ſit ubique?*

Cum DEUS à nonnullis ob immenſitatem ſuam dicatur nullibi eſſe & ubique, id explicandum eſt, per analyſin: ergo ſic argumentor.

Conſtat haſce particulas: Ubique, Alicubi, nullibi, ad locum pertinere; omne verò locatum vel corpus eſt, vel in corpore.
Sed DEUS, neque corpus eſt, neque in corpore;
Ergo erit incorporeus.
Si incorporeus, ergo locari non poteſt.
Si locari nequit, ergo nullus eum locus capit.
Si nullus eum locus capit, ergo eſt ubique.
Si verò non eſt ubique, ergo nullibi erit.
Si nullibi, ergo non erit alicubi.
Sed ex præcedentibus eſt ubique, quia eſt immenſus, ergo.
Sed immenſus eſſe non poteſt, quin ſit incorporeus.
Incorporeus eſſe non poteſt, quin ſit immaterialis.
Si immaterialis, non impeditur materiâ.
Si non impeditur, ergo penetrat omnia.
Si penetrat omnia, ergo & permeat omnia.
Si permeat omnia, ergo in nullo habet reſiſtentiam.
Si nullam habet in ullo reſiſtentiam, ergo in omnibus eſt; Ergo ubique, quod erat demonſtrandum.

DEUS itaque hoc ipſo, quod incorporeus & immaterialis eſt, nullam à corporibus patitur reſiſtentiam; atque adeò veriſſimum eſt, eum eſſe ubique ipſo ſui eſſe, ipſa ſua potentia, ipſa ſua operatione, & omnia tum efficere potuiſſe, tum effeciſſe, quæcunque in terris & univerſis elementis, & ſupra Cœlos ſunt, viſibilia & inviſibilia omnia vivificare, in omnibus omnia operari.

Eſt ergo nullibi, quia nullibi eſt affixus; nullibi affixus, quia nullibi locatus, ſed per omnia means; ab omnibus eſt ſegregatus, & ab omnibus ſejunctus in ſuæ dignitatis & ſupereminentiæ abyſſo, ſeſe à noſtris ſenſibus, à noſtris etiam cogitationibus in altum rapit.

Quæſtio II. *An DEUS ſit Infinitus?*

Reſpond. Affirmativè; Et probatur per Syntheſin & Analyſin.
DEUS eſt infinitus per eſſentiam, quia eſt infinitus in ſuis attributis.
Et quia eſt infinitus in ſuis attributis;

Ergo

Ergo DEUS est infinitus	Magnitudine,	Cùm	Sit ubique.
	Duratione,		Sit æternus.
	Potentia,		Sit omnipotens.
	Sapientia,		Sit omniſcius.
	Voluntate,		Nihil ei reſiſtere poſſit.
	Virtute,		In omnibus operetur omnia.
	Veritate,		Sit lex immutabilis & ratio rationum.
	Gloria,		Sit in ſeipſo, per ſeipſum abſolutè beatus.

Confirmatio.

Illud quod	A ſe & per ſe exiſtit & ſubſiſtit à quolibet alio independenter.	Infinitum & immenſum eſt	DEUS eſt talis. Ergo.
	Includit in ſe omne eſſe ſecundùm omnes gradus poſſibiles illimitato eſſendi modo.		
	Continet in ſe omnem eſſendi plenitudinem.		
	Continet omnia à nullo contentus.		
	Circumſcribit omnia à nullo circumſcriptum.		
	Quo majus quid humana mens excogitare non poteſt.		
	Independens ab omni alio, & non habet unde limitetur.		
	Non eſt receptum in alio, ſed cujus eſſe eſt ſua ſubſtantia.		
	Eſt extra & ſupra omne genus, nullo genere clauſum & limitatum.		
	Dat eſſe omnibus locatis, in omni loco eſſe neceſſe eſt, & conſequenter.		

Per Compoſitionem ſeu Syntheſin.

Quia dat eſſe omnibus locatis.
Ergo in omni loco eſt.
Et quia in omni loco eſt, non eſt receptus in alio.
Et quia non eſt receptus in alio, eſt independens.
Et quia eſt independens ab omni alio, ergo illimitatus.
Et quia illimitatus, ergo abſolutè maximus.
Et quia maximus, ergo circumſcribit omnia.
Et quia circumſcribit omnia, omnia continet à nullo contentus.
Et quia continet omnia, omnem quoque in ſe continet eſſendi plenitudinem, includens inſe omne eſſe ſecundùm omnes gradus poſſibiles. Ergo immenſus & infinitus.

Aliter per Analogiam.

Sicuti ſe habet virtus activa DEI ad effectus, quos poteſt, ita eſſe ad ſuam magnitudinem.
Sed virtus Dei activa eſt infinita.
Ergo & eſſe ſuum.

Sicuti ſe habet creatio rerum ad eſſe ex nihilo, ita conſervatio ad eſſe rerum, ne abeant ad nihilum.
Sed creatio ex nihilo arguit infinitam potentiam.
Ergo & conſervatio eandem.

Sicuti ſe habet immenſitas ad ubi, ita infinitas ad eſſe DEI.
Sed de ratione immenſitatis eſt, eſſe formaliter ibi, ubicunque aliud quidpiam eſſe poteſt, & de ratione infinitatis eſt continere in ſe omne eſſe purum modo eminentiali cum exceſſu incomparabili.
Ergo infinitas & immenſitas nihil aliud eſt, quàm ſimpliciſſima & eminentiſſima omnis entitatis & perfectionis complexio.

ANALYSES

De Immmutabilitate DEI, in qua fundatur æternitas.

1. Ubicunque non eſt transmutatio nec viciſſitudinis obumbratio, ibi eſt perfecta immutabilitas.	In DEO hæc dantur. Ergo.
2. Ubicunque non eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe, vel ab eſſe ad non eſſe, ibi eſt immutabilitas.	

ANALYSIS.

Ubi eſt immutabilitas, ibi nullus eſt motus.
Ubi nullus eſt motus, ibi non eſt actus entis in potentia.
Ubi non eſt actus entis in potentia, ibi non eſt mutatio.

Ubi

Ubi nulla est mutatio, ibi nulla est alteratio.
Ubi nulla est alteratio, ibi nulla est debilitas.
Ubi nulla est debilitas, ibi summa integritas, & quoad essentiam, potentiam, & actionem.
Ubi talis integritas, ibi nulla indigentia.
Ubi nulla indigentia, ibi sufficientia summa.
Ubi summa sufficientia, ibi etiam felicitas & beatitudo.
Ubi summa felicitas, ibi perfecta vitæ possessio.
Ubi perfecta vitæ possessio, ibi summa quoque Sapientia.
Si hæc ei non desunt, ergo nulla ei potentia defuit, aut deerit unquam, aut ulla actio; Ergo æternè & fuit & est, & erit omnia.
Ergo immutabilis.
Ergo impossibile est transire de esse ad non esse, aut de non esse ad esse.
Ergo essentialiter determinatur, ut semper & necessariò sit, & immutabiliter persistat eodem semper modo in se intrinsecè.
Ergo vita fruetur invariabiliter & uniformiter semper permanente.
Ergo solus habet immortalitatem atque imutabilitatem, atque in ea fundatam æternitatem.

QUÆSTIO.

De Incomprehensibilitate & Ineffabilitate DEI.

Quæritur. An DEUS sit incomprehensibilis & ineffabilis respectu Creaturæ.

Respond. Quod ita. Et sic Analyticè argumentor.

DEUS ut in se est, à nullo intellectu creato possibili comprehendi potest; Ergo neque nominari; ergo ineffabilis.
Ineffabilis est, quia nullæ voces, nulla nomina sufficiunt ad ejus essentiam cognoscendam aut explicandam.
Nullæ verò voces & nomina sufficiunt ad ejus explicandam essentiam, quia voces & nomina sunt ex intentione imponentis.
Et quia sunt ex impositione hominum, vel etiam ipsius DEI, sunt finitæ.
Et quia finitæ sunt, non adæquabunt cognoscibilitatem DEI infinitam.
Et quia non adæquant cognoscibilitatem DEI, necessariò erunt tantum similitudinariæ.
Et quia similitudinariæ tantùm, erunt necessariò imperfectæ.
Et quia imperfectæ, impossibile est, ut sint repræsentativæ omnium, quæ in DEO sunt, tùm propter infinitam distantiam objectorum creatorum, tum cognoscibilitatis eorum à DEO.

Est ergo DEUS uti incomprehensibilis, ita ineffabilis, & non nisi per similitudinum & metaphorarum umbras comprehenditur; quæ tamen magnam in se involvunt imperfectionem, etiam præscindendo ab omni imperfectione secundùm rectum; uti sunt attributa: Omniscius, Omnipotens, ens à se; quæ cùm infinitatem involvant, utique à creato & finito intellectu, ut in se sunt, comprehendi non possunt; sicuti enim sese habet cognoscibile infinitum ad intellectum humanum finitum, ita visibile infinitum ad visionem Dei, ab intellectu creato. Unde sic arguo.

Omne quod est incapax & impotens ad videndum DEUM immediatè, id DEUM quoque nec explicare, neque explicando comprehendere potest.
Sed humanus intellectus est incapax & impotens naturaliter ad Visionem DEI immediatam. Ergo.
Neque supernaturaliter; quia comprehensivè DEUM intueretur; quod est impossibile.

QUÆSTIONES.

De Cognitione DEI.

An & quid sit Veritas DEI.

Loquimur hîc de objectiva DEI Veritate, non de formali conceptu ipsius, quæ ad scientiam pertinet.

Unde sic argumentor.

Ubi est ratio rationum objectiva. Ubicunque est perfecta adæquatio ideati cum idea. Ubicunque est lex æterna & immutabilis cognoscibilitatis DEI. Ubicunque est Opifex infallibilis, summa certitudine operans.	Ibi est prima & absoluta veritas objectiva. In DEO tales sunt. Ergo.

Per Resolutionem ita procedo.

Veritas certissima est, ergo falli non potest.
Falli non potest, quia est immutabilis.

Immutabilis est, quia est ipsa DEI sapientia & bonitas, quarum illa falli uti non potest, ita hæc fallere non vult.
Ergo omne ens à DEO cognoscibile est verum.
Verum est, quia ideatum adæquatur ideæ suæ.
Adæquatur ideæ suæ, quia est perfecta conformitas entis cognoscibilis cum mente divina.
Est perfecta conformitas, quia DEUS omnia videt, ut in se sunt; ergo vera.
Sed & intellectus humanus, cognoscendo omnia, ut in se sunt; conformis fit ideali conceptui, cui omnia inexistunt, ergo omnia cognoscit, prout vera sunt.

Est ergo veritas objectiva cujuscunque Entis creati intelligibilitas ejus non qualiscunque, sed respectu mentis divinæ; ita ut veritas hæc nil aliud sit, quàm conformitas rei cum prima sua regula, quæ est idea divina, cui planè adæquatur & commensuratur, essentiâ suâ perfectè exprimens, prout in mente divina virtualiter formata erat & concepta; quia omnis res creata ita est in se, uti expressa est in mente divina.

Atque ab hac primæva veritate ens quodlibet creatum habet, quod sit intelligibile ab intellectu creato.

SECTIO II.

Praxis per Tabulam Combinatoriam Universalem, suprà *Lib.* I. *pag.* 14. positam.

CAPUT I.

Fabrica & Utilitas Tabulæ Combinatoriæ.


Abula hæc continet novem Abacos, qui correspondent novem principiis essentialibus, cujusmodi sunt:

Bonitas.[1] *Magnitudo.*[2] *Duratio.*[3] *Potestas.*[4] *Sapientia*[5] sive *Intellectus.* *Voluntas.*[6] *Virtus.*[7] *Veritas.*[8] *Gloria.*[9]

Et ne semper integra nomina, cum magno legentium tædio, ponere cogeremur; Combinationem dictorum novem principiorum tantùm per initiales literas indigitavimus; ita quidem, ut ubicunque B. ponitur, ibi Bonitas, Bonum, Bona, Bonificatum, Bonificare, Bonificabile, & quæcunque tandem ad bonitatem revocari possunt, prædicata propria & essentialia, uti posteà declarabitur, intelligantur. Ita M. significat Magnitudinem: D. Durationem. P. Potestatem, & sic de cæteris idem judicium esto; ita ut quæcunque propria & essentialia prædicata de unoquoque principio dari possunt, ad illud revocentur.

Quoniam vero in omni propositione demonstrativa tria ponuntur: Subjectum, Medium & prædicatum; hinc in singulis Combinatoriis Abacis tres literas posuimus; quarum prior indicat subjectum, secunda Medium, tertia prædicatum; uti in his literis patet: B. B. B. quarum prior significat bonum; B. vero medium quodcunque, quod ad bonitatem revocari quovis modo potest: uti est, appetibile, diffusivum sui, communicativum, quæ sunt prædicata bonitatis, & tenent locum mediorum, quæ assumi debent ad aliquid demonstrandum; tertium B. iterum indicat bonum sub alia formalitate consideratum. Ex his enim tribus literis cognitis, statim in notitiam venio totius Syllogismi, qui assumitur ad aliquid de DEO demonstrandum.

Verbi gratia. Illud bonum[B.], quod ab omnibus est appetibile[B.], illud est summè bonum: Sed Deus est appetibilis[B.] &c. Ergo. Et quod in unius exempli demonstratione comprobatum est, id de omnibus aliis pariter intelligendum esse scias, trium literarum Combinationibus, ut posteà amplissimè ostendetur.

Quoniam vero prædicata DEI sive attributa, uti & hîc novem principia essentialia inter se convertuntur, & unum de altero per æquiparantiam prædicari potest; hinc facilè per nostram hanc Artem Combinatoriam innumerarum quæstionum de DEO argumenta reperiuntur; uti ex hac præsenti Tabula patet; in qua

singuli

singuli novem literarum Abaci 81 Combinationes exhibent, & totidem Argumentorum sedes; si verò 81, in se duxeris, habebis 6561. denuò diversa Combinationum argumenta; Si hæ Combinationes 6561 per 72 attributa sive prædicata DEO congrua (tot enim ex Authoribus collegimus) multiplicentur, habebuntur loca & argumenta Theologica 472392; quibus omnibus describendis vix centum Tomi sufficerent quantumvis magni, & si præterea per novem quæstionum circumstantias, quæ sunt, *An*, *Quid*, ex *Quo*, *Quantum*, *Quale*, *Cur*, *Quomodo*, *Ubi*, *Quando*; discutiantur singula, nascentur 4186728 diversarum Combinationum novarum, serierumque innumerarum augmenta. Hæc iterum si per novem principia relativa, quæ sunt: *Differentia*, *Concordantia*, *Contrarietas*, *Principium*, *Medium*, *Finis*, *Majoritas*, *Æqualitas*, *Minoritas* conferantur, excurret moles Combinationum ad 37690552. Quæ moles crescet, si accesserint variæ figuræ Syllogismorum, per propositiones absolutas, conditionatas, universales, particulares, affirmativas, negativas, quæ omnia fusè demonstrata sunt, in 4. Lib. prioris Tomi, uti & in Logica Combinatoria, ad quam Lectorem remitto. Unde hoc loco tantùm κατὰ τὴν ἐπαγωγὴν, ex singulis Combinationum Abacis, nonnullas propositiones adducemus, ut Lectori uberrimam demus cæterarum rerum deducendarum materiem: Ex hisce enim tabulis quisque pro libitu suo applicare poterit, quæ profectui suo magis profutura cognórit. Et ut melius & majori cum certitudine in hoc negotio procedere possit, singulis Combinationum Abacis sua propria prædicata adjunximus: *V. G.* Abaco, qui intitulatur Bonitatis, inscripta reperiet prædicata illa, quæ ad bonitatem propriè pertinent; Magnitudinis verò Abaco, sua; Durationis, sua, & sic de cæteris sequentibus principiorum essentialium Abacis per Combinatoriam artem artificio singulari dispositis, idem judicium esto.

CAPUT II.

De modo inveniendi varia media, sedesque Argumentorum varias, per Tabulam Combinatoriam.

Tabulam hanc vide in Lib. IV. de Arte Combinatoria, pag. 179. & seqq.

NOtandum primò, primum essentialium principiorum, quam Bonitatem sive Bonum dicimus, habere in se complicatam divinam essentiam, ita ut omnia hujusmodi principia sint tanquam proprietates quædam, quæ à divina essentia emanant; neque enim ullum divinum attributum concipi potest, nisi prius id cogitetur esse & existere; hoc ipso autem quod cogitatur esse & existere, id necessario quoque bonum esse comprobabitur; siquidem bonum & unum, sive divina essentia, & unitas inter se convertuntur; Bonum enim est esse, & non esse, est malum; Essentia autem Dei infinita infinitè bona esse non potest, nisi sit infinitè magna, & infinitè magna esse non potest, nisi æterna, æterna esse non potest, quin omnipotens, & sic de cæteris, ut in prima parte ostendimus. Atque hæc omnia tametsi quoad DEUM, cum una & eadem Dei essentia identificentur, secundùm nos tamen, conceptum involvunt explicitum; alio enim concipitur Sapientia, alio potentia &c. hoc pacto intellectus concipitur prior voluntate; hæc potentiâ, & sic de cæteris; hæc autem ordinata secundùm prius, & posterius, necessariò habent aliquod primum, ergo radicem cæterorum, videlicet essentiam, & per se primò constitutivum. Hoc autem primum ens est à se, sive increatum, sive ens per essentiam, sive irreceptum, quæ omnia eòdem recidunt; & tale est, ut eo nihil prius & anterius dabile excogitari possit; hoc enim concipi nequit tanquam ab alio emanans, sed est sui ipsius esse necessarium & independens, estque non tantum negativè, sed & positivè primum, id est omnia ipso sunt posteriora, atque ex eo tanquam ex radice emanant; Aseitas enim, ut ita loquor, seu Dei sui ipsius existentia, uti primum principium & radix omnium cæterorum concipitur, ita ex ea quoque continuò profluit summa essendi necessitas, ex hac æternitas, tum infinitas seu illimitatio omnimoda, ex hac simplicitas, ex hac verò ratio purissimi actus, absque ulla potentialitate ad aliud esse; ex hac deinde immutabilitas, impassibilitas, immortalitas, quorum opposita mutationem involvunt. Rursus ex illimitatione omnimodâ oritur infinita perfectio & pulchritudo, quæ sunt attributa bonitatis, ex qua ratio ultimi finis exurgit. Infinitas præterea quoad intelligere, constituit attributum Sapientiæ; quoad velle verò attributum libertatis perfectissimæ,

impeccabilitatis, fidelitatis, misericordiæ, justitiæ, cæterarumque virtutum moralium, quæ subjecti imperfectionem non connotant, quarum complexum est sanctitas, ex qua ratio primæ regulæ omnium actionum moralium ac providentia, & ratio causæ primæ universalis oritur. Hoc pacto si divinæ Aseitatis attributum spectes quoad præsentiam, nascitur immensitas, omnipræsentia; si quoad durationem, nascitur æternitas; ex hisce invisibilitas, incomprehensibilitas, atque ineffabilitas, quæ omnia unitas essentialiter in se complicat.

Hinc deducitur, essentiam & existentiam DEI ita complicare bonum, ut illa sine bonitate concipi non possit; tam enim DEUS magnum bonum est in agendo, quàm in existendo; siquidem unius essentiæ bonitas notat in essentia & existentia sua ita esse DEUM, ut ipsum existere DEI sit ipse DEUS, & tantus in existentia sua, quantus in activitate sua, secus enim differret in aliquo, quod impossibile est. Essentia itaque sive existentia DEI per se, est radix omnium horum essentialium principiorum, qua sublata remanet nihil. Unde antequam Artis nostræ Tabulam generalem in praxin deducamus, prius id, à quo cætera omnia dependent, declarandum esse censui, & est ipsa DEI Aseitas, sive sui ipsius existentia, præsertim cùm in omni disceptatione primum sit, ut ea de re, de qua differitur, an ipsa revera sit, quæri soleat.

CAPUT III.

Ἐπίζευξις seu Combinatio prima.

Quæst. I. *An DEUS sit?*

Respondetur affirmativè.



HOc probare poteris 6561. modis; Sed ne chartam innumeris Combinationibus impleamus, id tantùm per unam Columnam Abaci Primi de Bonitate, comprobare tentabimus, ut ex uno paradigmate, reliquorum Combinationem luculentiùs percipiat Lector.

Quod antequam præstemus, sciendum est, Prædicata infra unumquemque Abacorum posita, Mediorum, quæ in præmissis assumi debent, locum obtinere; quibus si subjectum & prædicatum aptè connectas, statim resultabit Syllogismus rei demonstrativus; ita quidem, ut quemadmodum suprà diximus, prima litera cujusque triadis, subjectum; secunda medium; tertia prædicatum significet. Quoniam verò medium, quo Aseitatem sive existentiam DEI demonstramus, Bonitatem assumpsimus; hinc omnia quæ quovis modo ad bonitatem revocari possunt, prædicata, ad id, quod intendimus, demonstrandum assumuntur; & in hunc finem quoque primam Abaci primi de bonitate Columnam posuimus. Hoc itaque pacto procedendum est.

DEUM esse, ita ostenditur primò per Resolutionem novem essentialium principiorum.

1. B. B. B. Illud *bonum*, à quo omnia participativè *bona* sunt, necessariò est summum *bonum*, & consequenter & est, & à se existit.
DEUS est bonum, à quo omnia participativè bona sunt.
Ergo DEUS est summum bonum, & consequenter & est, & à se existit.

2. B. B. M. Omne *bonum* absolutum necessariò supremum & *maximum* ens est, & consequenter non potest non existere.
Sed DEUS est bonum absolutum.
Ergo necessariò supremum & maximum ens est, & consequenter non potest non existere.

3. B. B. D. Omne *bonum* essendi necessitatem habens, illud necessariò quoque erit *æternæ durationis*, & consequenter non potest non existere.
Sed DEUS est bonum essendi necessitatem habens.
Ergo est æternæ durationis &c.

4. B. B. P. Omne *bonum* essendi necessitatem habens, illud quoque necessariò erit *omnipotens*, & consequenter non potest non existere.
Sed DEUS est bonum essendi necessitatem habens.
Ergo & necessariò erit omnipotens, & consequenter non potest non existere.

5. B. B. S.

5. B.B.S. Omne *bonum* infinitè potens, neceſſariò eſt *omniſcium*, & conſequenter non poteſt non exiſtere.
Sed DEUS eſt infinitè potens.
Ergo & omniſcius, & conſequenter non poteſt non exiſtere.

6. B.B.Vo. Omne *bonum* omniſcium neceſſariò eſt interminæ *voluntatis*, & conſequenter non poteſt non exiſtere.
DEUS eſt bonum omniſcium.
Ergo interminæ voluntatis, & conſequenter non poteſt non exiſtere.

7. B.B.Vi. Omne *bonum* infinitè *volens*, illud neceſſariò eſt infinitæ *virtutis*, & conſequenter non poteſt non exiſtere.
DEUS eſt bonum infinitè volens.
Ergo & infinitæ virtutis, & conſequenter non poteſt non exiſtere.

8. B.B.Ve. Omne bonum infinitæ virtutis, neceſſariò eſt æternæ *veritatis*, & conſequenter non poteſt non exiſtere.
DEUS eſt infinitæ virtutis.
Ergo neceſſariò æternæ veritatis, & conſequenter non poteſt non exiſtere.

9. B.B.G. Omne *bonum* æternæ *veritatis* neceſſariò eſt æternæ *gloriæ*, & conſequenter non poteſt non exiſtere.
DEUS eſt æternæ veritatis.
Ergo neceſſariò æternæ gloriæ, & conſequenter non poteſt non exiſtere.

Atque hæc eſt prima probatio per novem eſſentialia prædicata traducta, qua DEUM eſſe, demonſtramus.

Jam verò ſi quis negaret Majorem, in omnibus propoſitis Syllogiſmis; huic reſpondebitur per totidem Syllogiſmos vel enthymemata, uti ex ſequentibus patebit.

Major in omnibus Syllogiſmis propoſitis hoc pacto confirmatur.

Ad. 1. Si bonum ſupremum non eſſet neceſſariò exiſtens, nihil participativè eſſet bonum; imò omnia eſſent mala, verbo; nihil.

2. Si DEUS non eſſet ens bonum ſupremum & maximum neceſſariò exiſtens; ergo aliud ens ante eum fuit bonificativum & magnificativum.

3. Si DEUS non eſt bonum æternum neceſſariò exiſtens, ergo initium aliquod habuit ſuæ eſſentiæ & bonitatis; ergo ens receptivum.

4. Si DEUS non eſt bonum infinitè potens neceſſariò exiſtens, ergo ſuæ habebit potentiæ reſiſtentem; ergo majorem ſe.

5. Si DEUS non eſt bonum omniſcium neceſſariò exiſtens, ergo aliquid eum latebit; ergo defectuoſus in ſcientia.

6. Si DEUS non eſt infinitè Volens neceſſariò exiſtens, ergo quiſpiam alius ejus Voluntati vim inferre poterit; ergo minor alio.

7. Si DEUS non eſt infinitæ virtutis neceſſariò exiſtens; ergo erit limitatæ; ergo deficiens in aliquo.

8. Si DEUS non eſt infinitæ Veritatis neceſſariò exiſtens, ergo ſubinde in ſua ſapientia & ſcientia falletur; ergo limitatæ ſcientiæ.

9. Si DEUS non eſt infinitæ gloriæ neceſſariò exiſtens; ergo non obtinebit finem quæ eſt fruitio ſui ipſius, nec requieſcet.

Sed hæc omnia abſurda ſunt & impoſſibilia,
Ergo DEUS neceſſariò exiſtit; quod erat demonſtrandum.

Aliter per 2. Colum. Abaci primi.

Nota nos primam tantùm propoſitionem ponere.

1. B.M.B. Omne *ens* ſive bonum (ſunt enim hæc Convertibilia) Magnitudinis ſuæ terminos neſciens, illud quoque neceſſariò exiſtit infinitæ bonitatis.

2. B.M.M. Omne *ens*, quod virtute ſua omnia implet, id quoque neceſſariò exiſtit infinitæ magnitudinis.

3. B.M.D. Omne *ens*, quod *limitationis* omnis expers eſt, id abſolutam quoque neceſſitatem eſſendi habet, & æternæ *Durationis*.

4. B.M.P. Omne *ens*, quo *majus* dari non poteſt, id neceſſariò exiſtit, & independens ab alio, increatum & *omnipotens*.

5. B.M.S. Omne *ens*, quo nihil duratione *anterius* eſt, id quoque neceſſariò & infinitæ *Sapientiæ* exiſtit.

6. B. M. Vo. Omne *ens immensitatis* absolutæ, necessariò à se & per se existit, infinitæ *voluntatis*.

7. B. M. Vi. Omne *ens* interminæ *Capacitatis*, id necessariò existit & infinita *virtute* pollet.

8. B. M. Ve. Omne *ens*, à quo omnia *magna* sunt participativè, id necessariò quoque existit, & infinitæ *veritatis* est.

9. B. M. G. Omne *ens*, quod essentiæ suæ *magnitudine* omnia attingit, id necessariò quoque existit, infinitæ *gloriæ*.

Sed DEUS est tale ens sive bonum.

Ergo DEUS necessariò existit.

Probantur Assumpta.

Ad 1. Si ens infinitæ magnitudinis non necessariò existeret; ergò contingenter, ergo & esse, & non esse potuisset; quod est impossibile.

2. Si ens omnia virtute sua implens non necessariò existit; ergo vel æqualem habuit, vel se majorem; ergo foret immensum & non immensum, quod absurdum est.

3. Si ens illimitatum non necessariò existeret æternum; ergo quandoque habuit principium; ergo non increatum; ergò finitum.

4. Si ens, quo majus dari non potest, non necessariò existeret omnipotens; ergo aliquid eo majus & potentius, à quo immensitatem & omnipotentiam participavit; quod inconveniens est.

5. Si ens duratione æternum non necessariò existeret omniscium; ergo erit contingenter omniscium æternum, ergo non totum, quod scit, scit; & consequenter æternus & omniscius contingenter; quod impossibile est, cùm omnis contingentia præsupponat ens liberum, à quo producitur.

6. Si ens immensitatis absolutæ non necessariò existeret infinitæ voluntatis; ergo vel non vellet quod posset, vel vellet quod non posset; Sed hoc est impossibile.

7. Si ens interminæ magnitudinis non necessariò existeret infinitæ virtutis; ergo in virtute sua deficiet; quod inconveniens est.

8. Si ens, à quo omnia participativè magna sunt, non necessariò existeret illimitatæ veritatis; ergo nihil erit magnum & verum; ergo omnia parva & falsa, quod impossibile est.

9. Si ens essentiæ suæ immensitate omnia attingens non necessariò existeret *gloriosum*; ergo nullum ens creatum finem suum obtineret, neque naturalem neque supernaturalem.

CONSECTARIUM.

Aliter per reductionem aliorum prædicatorum.

B. M. M. In omni ente datur aliquod *ens supremum* constitutivum omnium.

Tale, DEUS est. Ergo DEUS inter omnia entia supremum ens est.

B. M. M. Illud *ens* in omni genere entis *supremum* est, quo non est *majus* dabile.

B. M. D. Illud verò *ens*, quo *majus* dari non potest, est illud, quo nullum *anterius* est, aut esse potest, tempori non subjectum.

B. M. D. α. Illud verò *ens*, quo nullum *anterius* est aut esse potest, est illud, quod seipsum neque causare, nec ab alio causari potest.

B. α. D. Quod verò seipsum *causare* non potest, nec ab alio causari, illud est *durans* actu omnem finitam durationem excedens.

B. α. D. M. B. Omne verò *ens incausatum*, primum, *æternum*, immensum, summum, absolutam necessitatem habet.

Sed tale ens non nisi DEUS est. DEUS ergo necessariò existit.

Unde iterum concluditur.

1. Si DEUS non existit, ergo necessariò dabitur actualis progressus in infinitum; quod in omni philosophia damnatum est.

Ergo necessariò primum aliquod, supremum, æternum, immensum, increatum ens dari debet causa causatum, & constitutivum omnium; qui DEUS est.

2. Tota Series seu collectio causatorum est dependens & causata, ergo ut consistat, ab alio necessariò causabitur & dependebit; & quidem ab alio non intra collectionem causarum contento, sed

sed ab ente quodam increato, æterno, infinito; qui DEUS est.

3. Vel enim illa collectio erit finita vel infinita. Si prius: illa necessariò continet aliquod primò causatum, adeoque extra eam necessariò est aliquod primo causans, & non causatum. Si posterius, ergo illud ipsum erit ens illud infinitum, increatum, æternum, de quo diximus; qui DEUS est.

Illorum autem collectio entium, quorum nullum ex se consistere potest, & reduci ad esse, illud ex se in nihilum resolvi necesse est, cùm non habeat sustentantem se; ergo debet dari, qui illud sustentet, non sustentatus; qui DEUS est.

4. Omnis illa entium collectio vel est necessaria vel contingens; prius dici non potest; essent enim à seipsis, quod soli infinitæ potentiæ Dei competit. Non contingens; quia omne ens contingens ex se & sua natura potest esse, vel non esse. Si hoc: ergo ad esse transire non poterit, eritque in numero impossibilium. Si illud, id est, esse potuit; ergo ad esse reduci debuit ab alio, non utique, nisi ab ente necessario, æterno, immenso, increato; qui DEUS est.

Ex hisce tandem concluditur, Impossibile plures Deos præter unum dari; quod ita per resolutionem novem principiorum deducitur.

Si plures Dii essent, necessario unusquisque eorum deberet esse ens unum, necessarium & summum B. M. D. P. S. V. V. V. G.

Sed hoc est impossibile; idque per analysin ita deduco.

Si plures essent Dii, vel essent distincti vel indistincti; quorum neutrum admitti potest aut debet.

Primo enim non forent distincti. Probatur. Quia si essent distincti, differrent necessariò; si differrent, ergo diversi; si diversi, ergo unus habebit, quo ab alio diversificetur; Si hoc, ergo unus aliquid habebit, quo alter carebit; ergo se habebunt ut excedens & excessum; Si hoc, ergo inæquales, ergo finiti, ergo non necessariò existentes; ergo quod unus vellet, id alter nollet, quæ apertam contradictionem, atque adeo in utroque imperfectionem involvunt; ergo neuter infinitè B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. Ergo impossibile est plures Deos esse & distinctos. Si verò indistincti; ergo duo illa unum erunt, cum unum nihil aliud, quàm negatio divisionis sit, ergo indivisi; ergo duo illi Dii infinitè B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. idem erunt & Bonitate, Magnitudine, Duratione, Potentia, Sapientia, Voluntate, Virtute, Veritate, Gloria æquales, atque adeò unum erunt essentialiter. Ergo impossibile est, præter unum plures Deos dari; quod erat demonstrandum.

Innumera hoc loco argumenta producenda forent; sed quia illa omnia in Tabulæ Combinatoriæ appropriatis triadibus continentur, ea Lectori eruenda relinquo. Quare ad alia progrediamur.

Quæst. II. *Quid DEUS sit?*

Respond. Quod DEUS est ens per essentiam unum, simplicissimum, perfectissimum, infinitum, æternum.

Quoniam verò Ens, unum, simplex sub essentiali prædicato bonitatis continetur, accipies B. literam, ubicunque occurrerit pro ente, & uno, tuæ probationis argumentum. Media verò ex aliis Columnis pro libitu accipere poteris. Hoc itaque pacto progredere, & primò per simplices terminos.

Modus I. per Simplices terminos.

Exemplum I. *per Columnam* 2. *Abaci primi.*

B. B. B.	Omne ens infinitæ bonitatis est	Absolutè & simpliciter unum.	Sed DEUS est infinitæ bonitatis. Ergo absolutè & simpliciter unum.
B. B. M.		Unum absolutè magnum.	
B. B. D.		Unum infinitè durans.	
B. B. P.		Unum infinitè potens.	
B. B. S.		Necessariò unum infinitè sapiens.	
B. B. Vo.		Necessariò unum omnivolens.	
B. B. Vi.		Necessariò unum infinitæ virtutis.	
B. B. Ve.		Necessariò unum infinitæ veritatis.	
B. B. G.		Necessariò unum infinitæ gloriæ.	

Exem-

Exemplum II. *per Colum.* 2. *Abaci primi.*

B. M. B.		B.	
B. M. M.		M.	
B. M. D.		D.	
B. M. P.		P.	
B. M. S.	Omne ens ſimpliciter & abſolutè magnum eſt neceſſariò unum infinitè	S.	Sed DEUS eſt talis. Ergo.
B. M. Vo.		Vo.	
B. M. Vi.		Vi.	
B. M. Ve.		Ve.	
B. M. G.		G.	

Vides in hiſce ſimplicibus terminis, quomodo, ut in præcedenti exemplo patet Ens indicatum per primum B, ſemper ſit ſubjecti locum obtinens; Infinitæ verò bonitatis, per ſecundum B. indicatum, medium ſit; Unum vero per tertiam literam indicatum ſit prædicatum. In ſecundi vero exempli Columna ſubjectum eſt ens; medium infinita magnitudo; prædicatum unum cum adjunctis attributis.

Exemplum III. *Colum.* 3. *Abaci primi.*

B. D. B.			B.	
B. D. M.			M.	
B. D. D.			D.	
B. D. P.			P.	
B. D. S.	Omne ens æternum,	Eſt neceſſariò unum infinitè	S.	Sed DEUS eſt talis. Ergo.
B. D. Vo.			Vo.	
B. D. Vi.			Vi.	
B. D. Ve.			Ve.	
B. D. G.			G.	

Exemplum IV. *Colum.* 4. *Abaci primi.*

B. P. B.			B.	
B. P. M.			M.	
B. P. D.			D.	
B. P. P.			P.	
B. P. S.	Omne ens immenſè potens,	Eſt neceſſariò unum infinitè	S.	Sed DEUS eſt talis. Ergo.
B. P. Vo.			Vo.	
B. P. Vi.			Vi.	
B. P. Ve.			Ve.	
B. P. G.			G.	

Exemplum V. *Colum.* 5. *Abaci primi.*

B. S. B.			B.	
B. S. M.			M.	
B. S. D.			D.	
B. S. P.			P.	
B. S. S.	Omne ens infinitæ ſapientiæ,	Eſt neceſſariò unum abſolutè & ſimpliciter	S.	Sed DEUS eſt talis. Ergo.
B. S. Vo.			Vo.	
B. S. Vi.			Vi.	
B. S. Ve.			Ve.	
B. S. G.			G.	

Exemplum VI. *Colum.* 6. *Abaci primi.*

B. Vo. B.			B.	
B. Vo. M.			M.	
B. Vo. D.			D.	
B. Vo. P.			P.	
B. Vo. S.	Omne ens infinitè volens,	Eſt neceſſariò unum abſolutè	S.	DEUS eſt tale ens. Ergo.
B. Vo. Vo.			Vo.	
B. Vo. Vi.			Vi.	
B. Vo. Ve.			Ve.	
B. Vo. G.			G.	

Exem-

Exemplum VII. *Colum.* 7. *Abaci primi.*

B. Vi. B.	Omne ens infinitæ virtutis	Eſt neceſſariò unum ſimpliciter	B.	Talis eſt DEUS. Ergo.
B. Vi. M.			M.	
B. Vi. D.			D.	
B. Vi. P.			P.	
B. Vi. S.			S.	
B. Vi. Vo.			Vo.	
B. Vi. Vi.			Vi.	
B. Vi. Ve.			Ve.	
B. Vi. G.			G.	

Exemplum VIII. *Colum.* 8. *Abaci primi.*

B. Ve. B.	Omne ens æternæ veritatis	Eſt neceſſariò unum abſolutè	B.	DEUS eſt talis. Ergo.
B. Ve. M.			M.	
B. Ve. D.			D.	
B. Ve. P.			P.	
B. Ve. S.			S.	
B. Ve. Vo.			Vo.	
B. Ve. Vi.			Vi.	
B. Ve. Ve.			Ve.	
B. Ve. G.			G.	

Exemplum IX. *Colum.* 9. *Abaci primi.*

B. G. B.	Omne ens immenſæ gloriæ.	Eſt neceſſariò unum abſolutè	B.	Talis eſt DEUS. Ergo.
B. G. M.			M.	
B. G. D.			D.	
B. G. P.			P.	
B. G. S.			S.	
B. G. Vo.			Vo.	
B. G. Vi.			Vi.	
B. G. Ve.			Ve.	
B. G. G.			G.	

Habes hîc Lector novem Columnarum primi Abaci Combinationes 81, totidem Syllogiſmis exhibitas, in quorum prima propoſitione, ſive in Majori ſemper pro ſubjecto ponitur ens, quod per B. literam ſignatur; Secunda verò notat medium, quod in Columnis ſingulis idem eſt, in omnibus verò novem Columnis diverſum: Tertia litera prædicata novem ſignat, in omnibus Columnis eadem, in ſingulis verò differentia, à priori Columna vix recedens. Quoniam verò in hoc Abaco nobis unitatem DEI demonſtrare incumbebat; Hinc quoque Ens ſemper & in omnibus propoſitionibus pro ſubjecto ponitur; Unum verò pro prædicato; Media vero, & quæ prædicato adnexa ſunt attributa eſſentialia ſemper in omnibus & ſingulis Columnis, ut patet, mutantur. Ex quo patet, hanc propoſitionem: Omne ens eſt unum, juxta Abacum hunc noſtrum, 81. mutari poſſe, non plus nec minus: Sed hæc de primo Abaco, qui Combinatio bonitatis inſcribitur, ſufficiant.

Si quiſpiam verò hoc argumentum propoſitum per reliquos novem principiorum abſolutorum Combinatorios Abacos, proſequi deſideraret; is in ſecundo Abaco novem Columnarum per 81. Combinationes ſemper Magnum, habebit pro ſubjecto; unum verò pro prædicato; novem verò principia eſſentialia pro mediis & prædicato ſervient, ad id, quod intenditur demonſtrandum. Sed modum & rationem paucis exponamus.

Exemplum I. *Columna* 1. *Abaci secundi.*

Subjectum.	Medium.	Prædicatum.	
M. B. B. M. B. M. M. B. D. M. B. P. M. B. S. M. B. Vo. M. B. Vi. M. B. Ve. M. B. G.	Omne magnum infinitæ bonitatis, est unum	Summè bonum. Infinitè magnum. Infinitè durans. Infinitè potens. Infinitè sapiens. Infinitè volens. Infinitè virtuosum. Infinitè verax. Infinitæ gloriæ.	DEUS est tale magnum. Ergo.

Exemplum II. *Colum.* 2. *Abaci secundi.*

M. M. B. M. M. M. M. M. D. M. M. P. M. M. S. M. M. Vo. M. M. Vi. M. M. Ve. M. M. G.	Omne magnum infinitæ extensionis est unum	Infinitè bonum. Infinitè magnum. Infinitè durans. Infinitè potens. Infinitæ sapientiæ. Infinitæ voluntatis. Infinitæ virtutis. Infinitæ veritatis. Infinitæ gloriæ.	Sed DEUS est tale ens. Ergo est unum simpliciter & absolutè.

In reliquis Columnis Abaci secundi, consequentibus, combinandis, eadem est ratio; Subjectum semper idem est; medium diversum, prædicatum idem in omnibus, uti ex literis & ex prima literarum triade Colum. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. apparet, & tali ratione prædicatur.

EXEMPLUM I.

Triades primæ Ex Columna	3.	M. D. B.	Omne magnum	Infinitæ durationis, necessariò unum est	Infinitè bonum.
	4.	M. P. B.		Infinitæ potentiæ, est necessariò unum	
	5.	M. S. B.		Infinitæ sapientiæ, est necessariò unum	
	6.	M. Vo. B.		Infinitè volens, est necessariò unum	
	7.	M. Vi. B.		Infinitæ virtutis, est necessariò unum	
	8.	M. Ve. B.		Infinitæ veritatis, necessariò est unum	
	9.	M. G. B.		Infinitæ gloriæ, est necessariò unum	

EXEMPLUM II.

Secunda trias literarum in Abaco secundo ita combinat propositionem assumptam.

1.	M. B. M.	Omne magnum	Infinitè bonum, necessariò unum est	Infinitè magnum.
2.	M. M. M.		Infinitæ extensionis, necessariò unum est	
3.	M. D. M.		Infinitæ durationis, necessariò est unum	
4.	M. P. M.		Infinitæ potentiæ, necessariò est unum	
5.	M. S. M.		Infinitæ sapientiæ, necessariò est unum	
6.	M. Vo. M.		Infinitæ voluntatis, necessariò est unum	
7.	M. Vi. M.		Infinitæ virtutis, necessariò est unum	
8.	M. Ve. M.		Infinitæ veritatis, necessariò est	
9.	M. G. M.		Infinitæ gloriæ, necessariò est	

Vides

Vides itaque Lector, quomodò in reliquis Columnis procedendum ſit, & exempla hîc poſita ita clarè ob oculos omnia ponunt, ut nemo niſi prorſus ſtupidus Combinandi rationem non attingat. Sed jam, ut univerſæ Tabulæ Combinatoriæ uſus uberiùs pateſiat; nonnulla exempla ex reliquis Combinatoriis Abacis adducemus.

Nota itaque in tertiò Abaco, qui durationis inſcribitur, pro ſubjecto ſemper aſſumi durationem, vel quæ ad eam quovis modo revocari poſſunt; Media quoque pro diverſitate Columnarum diverſa ſunt; prædicato ſemper eodem permanente, annexis tantum ei terminis tranſcendentalibus diverſis.

EXEMPLUM III. EPIZEUTICON.

Columnæ I. *Abaci tertii, Durationis.*

D. B. B.		Eſt unum eſſentialiter bonum.
D. B. M.		Eſt unum infinitè magnum.
D. B. D.		Eſt unum æternè permanens.
D. B. P.		Eſt unum infinitè potens.
D. B. S.	Omne durans infinitæ bonitatis, neceſſariò	Eſt unum infinitè ſapiens.
D. B. Vo.		Unum eſt infinitæ voluntatis.
D. B. Vi.		Unum eſt infinitæ virtutis.
D. B. Ve.		Unum eſt infinitæ veritatis.
D. B. G.		Unum eſt infinitæ gloriæ.

DEUS eſt ens durans infinitæ bonitatis. Ergo unum eſſentialiter.

EXEMPLUM IV. EPIZEUTICON.

Colum. I. *Abaci quarti, Poteſtatis.*

P. B. B.		Eſſentialiter bonum.
P. B. M.		Eſſentialiter magnum.
P. B. D.		Eſſentialiter durans.
P. B. P.		Eſſentialiter omnipotens.
P. B. S.	Omne potens infinitæ bonitatis, eſt unum	Eſſentialiter ſapiens.
P. B. Vo.		Eſſentialiter volens.
P. B. Vi.		Abſolutæ virtutis.
P. B. Ve.		Infinitæ veritatis.
P. B. G.		Infinitæ gloriæ.

DEUS eſt potens infinitæ bonitatis. Ergo unum abſolutè & eſſentialiter.

EXEMPLUM V. EPIZEUTICON.

Columnæ I. *Abaci* V. *Sapientiæ ſeu intellectus.*

S. B. B.		Unum eſſentialiter bonum.
S. B. M.		Eſſentialiter magnum unum.
S. B. D.		Unum eſſentialiter durans.
S. B. P.		Unum infinitè potens.
S. B. S.	Omne ſapiens infinitæ bonitatis eſt	Unum infinitæ cognitionis.
S. B. Vo.		Unum immenſæ voluntatis.
S. B. Vi.		Unum interminæ virtutis.
S. B. Ve.		Unum ſummæ veritatis.
S. B. G.		Unum infinitæ Gloriæ.

DEUS eſt ſapiens infinitæ bonitatis. Ergo unum abſolutè & eſſentialiter.

EXEMPLUM VI. EPIZEUTICON.

Columnæ 1. Abaci Sexti, Voluntatis.

Vo. B. B.		Eſt neceſſariò unum ſummè eſſentialiter bonum.
Vo. B. M.		Eſt neceſſariò unum infinitè magnum.
Vo. B. D.		Eſt neceſſariò unum infinitè durans.
Vo. B. P.		Eſt neceſſariò unum infinitè potens.
Vo. B. S.	Omne appetitivum infinitæ bonitatis,	Neceſſariò eſt unum infinitæ ſapientiæ.
Vo. B. Vo.		Neceſſariò eſt unum infinitæ voluntatis.
Vo. B. Vi.		Neceſſariò eſt unum infinitæ virtutis.
Vo. B. Ve.		Neceſſariò eſt unum infinitæ veritatis.
Vo. B. G.		Neceſſariò eſt unum infinitæ gloriæ.

DEUS eſt talis. Ergo eſſentialiter unum.

EXEMPLUM VII. EPIZEUTICON.

Columnæ primæ, Abaci Septimi, Virtutis.

Vi. B. B.		Summum bonum.
Vi. B. M.		Abſolutè magnum.
Vi. B. D.		Æternè durans.
Vi. B. P.		Infinitè potens.
Vi. B. S.	Omne virtuoſum infinitæ bonitatis, neceſſariò eſt unum	Infinitè ſapiens.
Vi. B. Vo.		Infinitæ voluntatis.
Vi. B. Vi.		Infinitæ virtutis.
Vi. B. Ve.		Infinitæ veritatis.
Vi. B. G.		Infinitæ gloriæ.

DEUS eſt talis. Ergo.

EXEMPLUM VIII. EPIZEUTICON.

Columnæ primæ, Abaci Octavi, Veritatis.

Ve. B. B.		Unum eſt ſummè bonum.
Ve. B. M.		Unum eſt abſolutè magnum.
Ve. B. D.		Unum eſt æternum durans.
Ve. B. P.		Unum eſt omnipotens.
Ve. B. S.	Omne verum infinitæ bonitatis neceſſariò	Unum eſt omniſcium.
Ve. B. Vo.		Unum eſt infinitæ voluntatis.
Ve. B. Vi.		Unum eſt infinitæ virtutis.
Ve. B. Ve.		Unum eſt infinitè verificativum.
Ve. B. G.		Eſt unum infinitæ gloriæ.

DEUS eſt talis. Ergo.

EXEMPLUM IX. EPIZEUTICON.

Columnæ primæ, Abaci Noni, Gloriæ.

G. B. B.		Id unum eſt per ſe eſſentialiter bonum.
G. B. M.		Unum eſt neceſſariò infinitè magnum.
G. B. D.		Neceſſariò unum eſt æternum durans.
G. B. P.		Neceſſariò unum eſt immenſè potens.
G. B. S.	Omne glorioſum infinitæ bonitatis,	Neceſſariò unum eſt infinitè ſapiens.
G. B. Vo.		Neceſſariò unum eſt infinitæ voluntatis.
G. B. Vi.		Neceſſariò unum eſt infinitæ virtutis.
G. B. Ve.		Neceſſariò unum eſt infinitæ veritatis.
G. B. G.		Neceſſariò unum eſt infinitæ gloriæ.

DEUS eſt talis. Ergo.

CAPUT

CAPUT IV.

Modus ſecundus ejuſdem Combinationis.

Quo per Media ſenſuſque Compoſitos, unitas DEI demonſtratur.

EXhibuimus in præcedentibus Combinationum praxin per ſimplices æquiparantiæ terminos, qui in novem eſſentialibus principiis continentur; Modò omiſſis ſimplicibus iſtiuſmodi terminis, quomodò unitas DEI, per alia media non explicita ſed implicita, quæ ad ſubjectum aut prædicatum quovis modo reducuntur, demonſtrare valeat, oſtendemus; quæ quidem nè Lectorem ad ea proprio ingenio invenienda labore forſan haud exiguo cogeremus; illa omnia ex Theologorum libris deprompta, ſingulis Abacorum calcibus ſubnexuimus. Quorum unumquodque uti primam, id eſt majorem in ſyllogiſmo propoſitionem notat, ita nullo negotio ejus ope totus ſyllogiſmus formabitur de re demonſtranda.

Nota quoque, ad literam B, nos revocare non ſolùm, quæ bonitatis propria ſunt; ſed quæ per convertibilitatis leges ad bonitatem quovis modo revocari poſſunt; uti ſunt: unum, principium; ens, eſſentia, exiſtentia, ſubſtantia, natura, neceſſitas, Deitas. Sed hæc non meliùs, quàm ipſa praxi patefient. Quarè propoſitum nobis ſcopum proſequamur.

Quæritur itaque. An DEUS unus ſit omnis multitudinis expers?

Reſpond. affirmativè, & hoc pacto oſtenditur.

EXEMPLUM

Per novem triades literarum in primi Abaci Columnis διαγώνως, *id eſt, diametraliter diſpoſitarum.*

1.	B. B. B.	Omne ens	Abſolutè neceſſarium, eſt ens à ſe	Neceſſariò unum.
2.	B. B. M.		A ſe, eſt maximum abſolutum &	
3.	B. M. D.		Maximum à ſe, eſt abſolutè æternum &	
4.	B. D. P.		A ſe abſolutè æternum, eſt abſolutè potens &	
5.	B. P. S.		A ſe abſolutè potens, eſt infinitè ſapiens &	
6.	B. S. Vo.		A ſe abſolutè ſapiens, eſt infinitè volens, &	
7.	B. Vo. Vi.		A ſe infinitè volens, eſt infinitæ virtutis &	
8.	B. Vi. Ve.		A ſe infinitæ virtutis, eſt infinitè verax &	
9.	B. Ve. G.		A ſe infinitæ veritatis, eſt infinitæ gloriæ &	

DEUS eſt tale ens, ergò ens à ſe exiſtens, ergo unum; quia fieri non poteſt, ut totum hoc perfectionum infinitarum complexum pluribus competat.

Vides in hoc Lector, Combinationem diametraliter acceptam ſemper tres literas differentes habere; unde naſcitur Combinatio Analytica ſive Reſolutoria, qua unum ex altero continuato ordine deducitur.

Concluditur ergo.

Per triades Combinatorias ex variis receptaculis ſeu cameris Abaci primi collectas.

1.	B. M. B.	Omne	Ens undequaque illimitatum, infinitum, & perfectum, neceſſariò unum eſt.
2.	B. B. B.		Ens ſimpliciter ſimplex, neceſſariò unum eſt.
3.	B. P. B.		Ens, actus puriſſimus, neceſſariò unum eſt.
4.	B. S. B.		Ens infinitæ perfectionis, & forma ſui ipſius, neceſſariò unum eſt.
5.	B. D. B.		Ens totius plenitudinis abyſſus, neceſſariò unum eſt.
6.	B. Vo. B.		Ens mutationis omnis expers, neceſſariò unum eſt & immutabile.
7.	B. Vi. B.		Agens perfectiſſimum, neceſſariò unum eſt.
8.	B. S. B.		Ens omnium factibilium ideas complectens, neceſſariò unum eſt.
9.	B. Vo. B.		Agens liberum potens ſe in omnem contradictionis partem in infinitum determinare, neceſſariò unum eſt.
10.	B. G. B.		Agens infinitè glorioſum ob finem eumque nobiliſſimum infinitumque qui ipſe eſt, eſt neceſſariò unum.

 Proban-

Probantur Assumpta.

Ad 1. Quia omnes res limitatæ suæ limitationis causam habent; quare sit sic potius, quàm aliter limitatum.

2. Quia non est compositum; omnis enim compositi pars dicit imperfectionem.

3. Quia secus esset in potentia, quod est impossibile.

4. Quia secus, perfectionis foret participatæ, quod est impossibile.

5. Quia secus, non omnes perfectiones in se comprehenderet, & consequenter defectuosus.

6. Quia accipiendo aliquid egeret, aut dimittendo tanquam partem sui abundaret; quod fieri non potest.

7. Secus, ei ad perfectionis complementum aliquid deesset.

8. Secus, aliquid eum in sua scientia lateret; & consequenter limitatæ scientiæ.

9. Secus, voluntas ejus semper in actu poneret, quæ intellectus cognoscit; adeoque mundus ab æterno foret; quæ sunt inconvenientia.

10. Secus, nihil esset bonum, neque finis rerum ultimus, in quem tendunt omnia.

ITERUM.

B. B. B. Principium absolutum est id, quod est ante omnia & consequenter primum unum.

B. B. B. Principium illud est, à quo, in quo, & post quod omnia.

B. M. B. Principium absolutum est unum omnis multitudinis expers.

B. M. M. Unum absolutum & maximum est id, à quo omnia unum & multa sunt.

Hoc ipso autem, quod unum & optimum est; omne non esse, utpote malorum omnium maximum de se excludit.

Ergo primum unum, bonum quoque est, quia à malo, aut à non bono bonum procedere non potest.

B. B. B. {
Quodcunque est causa entium omnium, & hoc est unum illud primum, causa illius unitatis, quæ in entibus est.
DEUS est causa entium omnium.
Quodcunque fecit entia esse, id unum est, causa unius illius, quo sunt & existunt.
Omne illud quod est causa entium omnium, in quantum entia, una & multa sunt, est unum absolutum.
}

Omne quod est per illud est, quod est unum absolutum, quo omnia sunt.

Principium sine quo alia nec una nec multa esse possunt, id necessariò unum est.

Illud, quod est author & effector omnium principiatorum, necessariò unum est.

Illud, quod est cum omnibus, in omnibus, & per omnia, est unum & omnia essentialiter.

Omne id simpliciter infinitum, quod non est multiplicabile in multa, id necessariò unum absolutum est; omnia enim in se suaque essentia colligit, & si quid non contineret, jam finem haberet ac terminum.

Est itaque unum illud primum, necessarium physicè nil aliud, quàm simplicissima DEI entitas in genere entis perfecta; quæ metaphysicè considerata non constat ex genere & differentia; quia ens illud esset contrahibile; quod ita ostenditur.

Per id constituitur Deitas, per quod primò & immediatè differt à creaturis; hoc est, ab omni eo, quod non est ipsum; Sed sic differt esse increatum à creato; est enim ens increatum à se, creatum ab alio; hoc dependens, illud independens ab omni alio; ab illo profluunt omnes perfectiones simpliciter simplices, ab hoc imperfectiones. Unde bene infertur nullum prædicatum convenire univocè DEO & creaturis.

CAPUT

CAPUT V.

De SS. Triade, ejusdemque per hanc Combinatoriam Artem Theologica cognitione.

IN præcedenti Capite perfectiones divinæ essentiæ per variam principiorum essentialium Combinationem ostendimus: Modò nobis demonstrandum incumbit, quomodò ex divinæ essentiæ perfectionibus, trium personarum emanatio, suppositâ fide probari possit; naturali enim lumine id demonstrare, præterquam quod temerarium, etiam impossibile est. Quod ut quàm optime fiat, sic procedes.

Applica Enneadis primæ, quæstioni primæ Utrum, secundæ Enneadis subjectum circulum, cui titulus. SS. Trias, & huic subordinabis Enneadis principiorum substantialium orbem, à bonitate incipiendo; deinde Enneadis quæ principiorum Respectivorum continet orbis initium. Hoc facto submove præcedenti indicem orbis novem prædicamentorum, & huic indicem novem distinctionum, & sic de cæteris usque ad ultimum orbiculum. Hoc peracto, examina per quæstionem Utrum, omnia & singula, quæ in loculamento indicis intitulati SS. Trias adscripta reperies; videlicet an in DEO detur relatio realis, seu emanatio personarum, deinde quid sit dicta relatio & emanatio; deinde per tertiam quæstionem, unde sit, videndo semper, & sagaciter examinando juxta ea, quæ in loculamento quæstionis apponuntur; quanta sit, qualis sit, quando sit, ubi sit, quomodo sit; Deinde hæc cum principiis essentialibus combinabis, modo, paulò post, dicendo: Utrum in DEO sit Bonitas, Magnitudo, Duratio, Potentia &c. quæ terminum habent intrinsecum Bonitatis, Magnitudinis, Durationis, Potestatis, sive ut ita loquar, utrum in DEO sit bonitas seu Bonificativum, Magnificativum, Durativum, potestativum, cui respondent, bonificabile, mensurabile, durabile, potestificabile. Deinde juxta ordinem terminorum in quarto circulo contentorum examinabis principia relativa; utrum, quid, quare &c. sit in DEO differentia inter actus notionales; utrum concordantia, contrarietas, principium, medium, finis &c. Deinde ex orbe novem prædicamentorum; utrum inter eas sit actio & passio, & sic de cæteris; deinde ex sequenti applicatione Orbis, quomodò inter se distinguantur, & qua distinctione ex novem in eo positis. Quibus quidem ritè peractis, nil ferè in tota Theologia occurret, quod non juxta dicta examinare possis, & tandem innumeras incognitas veritates concludere. Sed ut hæc omnia exemplis demonstrentur.

PRÆCOGNITA.

Sunt itaque in Sacrosancta Triade considerandæ duæ processiones. Quatuor Relationes; & quinque notiones.

Processiones duæ: Generatio & Spiratio.

Generatio est productio substantialis per modum naturæ

Spiratio est productio substantialis per modum voluntatis.

Relationes quatuor sunt: Paternitas: Filiatio: Processio: Spiratio.

Paternitas est generatio activa.
Filiatio est generatio passiva.
Processio est spiratio activa.
Spiratio est processio passiva.

Quibus additur innascibilitas Patri propriè conveniens, & hæ quatuor relationes à Theologis quoque notiones vocantur; quia ex iis noscitur, quomodo una ab altera relatione distinguatur.

Et quoniam circa hæc tota de Sacrosancta Triade, materia versatur, de singulis, non tamen nisi paucis, per duodecim quæstiones agemus.

QUÆSTIO I.

An in DEO detur vera & realis productio ad intra.

Respondetur affirmativè. Et ita argumentor.

Ubicunque datur actio vitalis intrinseca & substantialis, ibi necessariò datur aliqua productio.

In DEO datur actio intrinseca & substantialis.

Ergo in DEO datur productio.

Major probatur.

Si enim actio daretur intrinseca & substantialis, & nulla inde resultaret productio, illa actio otiosa foret, infructuosa & infæcunda; quod in DEO est impossibile. Ergo.

Minor

Minor probatur inductione per tabulam universalem:

B. B. Æ.	Bonitas	DEI est ratio summi boni, ut producat ad intra	Bonum summum.	Sibi simile prorsus & coæquale tùm essentiâ tùm perfectionibus.	Sed hæc non fiunt, nisi per intrinsecam actionem DEI. Ergo datur in DEO actio, &c. Ergo hac mediante datur in DEO perfecta productio.
M. M. Æ.	Magnitudo		B. magnum.		
D. D. Æ.	Duratio		B. æternum.		
P. P. Æ.	Potentia		B. potens.		
S. S. Æ.	Sapientia		B. sapiens.		
V. V. Æ.	Voluntas		B. volens.		
V. V. Æ.	Virtus		B. virtuosum.		
V. V. Æ.	Veritas		B. verum.		
G. G. Æ.	Gloria		B. gloriosum.		

ANALYSIS.

Si ergo in DEO datur actio, ergo & productio.
Si productio, ergo datur & processio.
Si processio, ergo & emanatio.
Si emanatio, ergo emanatio unius ex alio.
Si emanatio unius ex alio, ergo ea necessario fiet vel per intellectum DEI, aut voluntatem.
Si per intellectum, ergo illa verè & propriè erit generatio.
Si generatio, ergo generans & generatum resultare necesse est.
Si per voluntatem, ergo dabitur processio spirantis & spirati, amantis & amati.
Sed hæc omnia in DEO sunt: videlicet, Paternitas, Filiatio, Spiratio.
Ergo dabitur pluralitas personarum, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, qui est DEUS unus & trinus, in æternum benedictus.

Sine productione itaque impossibile est, pluratitatem personarum dari; quod erat ostendendum; imo deme productionem à DEO, & DEUS non erit DEUS.

QUÆSTIO II.

Utrum inter Personas detur Relatio, sive Distinctio realis?

Si datur pluralitas, uti ostensum est, personarum, distinctionem inter illas realem dari necesse est.

Si enim non detur realis distinctio; ergo rationis tantùm; si rationis tantùm; ergo personæ ante operationem intellectus non subsistunt; quod est impossibile. Datur ergò in DEO distinctio realis, & sic argumentor per Analysin.

Argumentum I. per Analysin. Processio est emanatio vitalis unius ab alio; ergo per eam formaliter unum producitur ab alio.
Si unum formaliter producitur, ab alio; ergo datur formaliter generatio.
Si datur formaliter generatio; ergo & realis relatio inter generantem & generatum, sive producentum & productum dari necesse est.
Si datur relatio realis inter generantem & generatum, ergo ante omnem operationem intellectus, generans & generatum per se subsistunt.
Talis generatio est Patris producentis filium; sive inter Patrem & Filium per intellectum; ergo dum Pater producit Filium, verum est dicere, Pater non est Filius, nec Filius Pater; realiter ergo distinguuntur Pater & Filius, Genitor & Genitus; Datur ergo relatio realis inter Patrem & Filium; quod erat ostendendum.

Ubicunque verò datur relatio realis, ibi terminos realiter distinctos dari necesse est. Argum. 2.
Sed in generatione per intellectum datur relatio realis inter producentem & productum, uti dictum est.
Ergo ubicunque datur relatio &c.

Major patet. Minor probatur.
Quia productio hujusmodi activa fundat suam relationem in persona producente, & productio passiva in persona producta, id est in Filio. Ergo dantur hìc termini duo realiter distincti. Ergo in productione per intellectum &c.

Pari ratione processio, quæ est per voluntatem, & dicitur spiratio activa, fundat suam relationem in principio spirativo; passiva verò in persona spirata, qui est Spiritus Sanctus; quæ cum terminos realiter distinctos habeat; inter spiratorem & spiratum, realem quoque relationem fundari necesse est.

Dantur

Dantur ergo duæ tantùm in DEO processiones sive emanationes; una quæ est per Intellectum, & altera quæ est per Voluntatem; nec fieri potest, ut ulterior detur processionum distinctio; & hoc, quia duo tantum sunt in DEO actionum immanentium genera, Intellectus & Voluntatis; Uti enim DEUS unico intellectus actu omnia intelligibilia, ita & omnia volibilia unico voluntatis actu exhaurit, perfecta sui ipsius comprehensione; Sistitur ergo in dualitate, sine ulteriori processuum multiplicatione; neque dici potest, duas esse processiones Spirantes actu; cum illa sit Patri & Filio communis & indivisa, identitate, natura, neque dici possit, esse proprietates distinctas, sed unam Patri & Filio communem.

Et quoniam in unaquaque processione fundatur relatio realis; inter relationem verò realem duo termini realiter distincti; nascentur inde quatuor relationes reales, quas suprà adduximus; quæ quidem in quantum comparantur cum essentia & natura divina, dicuntur proprietates, in quantum intellectum concernunt, notiones appellantur; quibus quinta notio improducibilitas, sive ingenerabilitas aut innascibilitas additur, præterquàm Patri nulli alteri personæ competens; Cum Pater solus sit non genitus, non natus, non productus; ab hoc verò tum Filius, tum Spiritus Sanctus verè & formaliter unà cum Filio producatur.

Omne enim, quod innascibile est, id improducile & ingenerabile esse necesse est.

DEO Patri propriè convenit innascibilitas. Ergo.

Ubicunque dantur correlativa realiter distincta, ibi datur relatio realis. Argum. 3.

Sed in DEO dantur correlativa realiter distincta. Ergo.

Major patet ex Regula Aristotelis. Minor ita probatur ex Lullo per correlativa principiorum Artis nostræ.

In DEO sunt	Bonificativum & bonificabile seu bonificatum. Magnificativum & magnificabile seu magnificatum. Durarefactivum & durarefactibile seu durarefactum. Potentificativum & potentificabile seu potentificatum. Intellectivum & intelligibile seu intellectum. Volitivum & volibile seu volitum. Virtute imbuens & virtute imbuibile seu imbutum. Verificativum & verificabile seu verificatum. Gloriativum & gloriabile seu gloriatum.	Sed hæc sunt correlativa realiter distincta. Ergo in DEO sunt correlativa realiter distincta.

Et ratio est, quia si in DEO non essent relativa hæc principia; sequeretur, DEUM in actionibus suis ad intra non habere terminum correlativum, in quem ferretur; atque adeò otiosam omnem ejus actionem; quæ absurda sunt. Sed probatur assertio Secundò

ALITER.

Omne principium ad intra productivum infinitæ	B^tis. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Necessariò habet pro termino seu fine suo productum infinitè	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Sed in DEO est tale principium productivum, videlicet Intellectus & Voluntas. Sed hæc sub notionalibus terminis sunt distincta realiter. Ergo principium activum intrinsecum, Intellectus divinus, quo Pater generat Filium, distinguuntur realiter, generans videlicet à generato.

 Si non

Si non enim distinguerentur realiter. Ergo Pater & Filius non nisi formaliter aut virtualiter distinguuntur, haud secus ac attributa. Quod est absurdum.

Realem itaque relationem inter Patrem & Filium dari necesse est.

Ratio, quia Intellectus comprehendendo totam suam essentiam cum omnibus perfectionibus, necessariò conceptum sive Verbum mentis intra se exprimit; quod cùm accidentale non sit, substantiale id esse necesse est; Atque hunc conceptum nos Filium vivam patris imaginem & Verbum expressum dicimus, realiter distinctum à Patre. Quoniam verò Voluntas Patris necessariò fertur in bonum, ut amabile seu appetibile, illud quoque quod in se concepit Verbum mentis, id & amare necesse est, & consequenter Voluntas Filii in Patrem fertur reciproco amore; Atque hæc Voluntas utriusque est principium productivum Spiritus Sancti. Unde & aliter sic argumentor.

Ubicunque sunt tres res ratæ & incommunicabiles, ibi est distinctio realis.

Sed in DEO sunt tres res ratæ & incommunicabiles, Pater, Filius, & Spiritus S.

Ergo est distinctio realis.

QUÆSTIO III.

An Filius constituatur per Intellectum Patris, & Spiritus S. per Voluntatem utriusque.

Resp. Affirmativè; Et sic argumentor.

Per S. Ubicunque est potentia infinita productiva ad intra, ibi necessariò est objectum infinitum ad intra.

Sed in Deo est potentia infinita productiva per plenam intellectus sui ipsius comprehensionem.

Ergo habet objectum infinitum comprehensibile.

Sed hoc objectum non est aliud, quàm Filius.

Ergo Filius necessariò per intellectum Patris constituitur.

Per Vo. Pari pacto de principio productivo Voluntatis argumentabere. Nisi enim amans & amatum, id est, Pater & Filius reciprocum amorem spirarent, id est, Spiritum Sanctum, esset otiosus amor divinus, nec volitiva potentia volitionis suæ terminum haberet; ac proinde otiosa; quod est absurdum. Illa enim operatio juxta Aristotelem est otiosa, ex qua nullus effectus provenit. In DEO autem potentia & intellectus & voluntas infinitum objectum habet; Nam juxta Aristotelem, fieri non potest, ut infinitum agens finitum suæ actionis terminum habeat; sicuti fieri non potest, ut finitum infinitum; Ergo DEUS cum infinitam intellectivam potentiam habeat, infinitum objectum habere necesse est, ad hoc, ut actum infinitum habere possit; aliàs DEUS, ut diximus, esset otiosus & ignarus, si non intelligeret seipsum id quod est; nec etiam actus purus dici posset & æternus per se intelligens, de toto seipso ab æterno producens conceptam mentis notitiam, sive verbum, juxta illud Divi Augustini: DEUS verbum suum genuit, cum seipsum cogitando dicit, id est, intelligit.

Lib. 1. de Cœlo.

Lib. 8. Phys.

Nota tamen primò, talem actum generativum non præsupponere operantem & intelligentem, qui est Pater, quod tum in tali priori naturæ esset Pater, & non haberet Filium, cùm Filius habeat esse per talem actum; in priori enim naturæ actus ille consideratur idem esse cum essentia divina communi tribus personis; sed concipi debet per actum, ut ita dicam, secundum, quo pater emanando à sua essentia, dum seipsum perfectè & absolutè intelligit, formaliter se constituit, & generat Filium, atque hinc completur relatio illa, quæ est paternitas, qua pater refertur ad Filium, & tali actui correspondet actus, ut ita dicam, passivus, qui est generari, à quo sumitur Filiatio, qua formaliter Filius constituitur & denominatur, & ad Patrem refertur.

Nota Secundò. Intellectum esse potentiam distinctam contra liberam; ideò verbum divinum filius dicitur, quòd similis sit producenti in natura numerica, & per modum naturæ productus; siquidem Hilario teste, potestate naturæ DEUS Filius est ex DEO Patre. Ex quibus patet, intelligentem non esse intellectum sive conceptum generatum, cum intelligens se habeat per modum agentis, & conceptus declaratus per modum patientis, quæ absque relatione & distinctione reali esse non possunt; cum nulla relatio ad seipsam referri queat, neque quicquam seipsum gignere possit. Sed quomodò hæc omnia per Combinatoriam Artis nostræ methodum ostendi possint per novem principia essentialia, videamus.

Ubicunque est Intelligens, ibi necessariò per intellectum resultat intellectum.

DEUS est intelligens ad intra. Ergo.

Sed hoc intellectum non est nisi Filius. Ergo intelligere in divinis idem est, quod generare, & intellectum idem, quod generari.

Cùm verò in divinis detur Paternitas & Filiatio, necessariò quoque dabitur Spiratio, sive Spiritus Sanctus; & hoc pacto probatur.

Ubicun-

Ubicunqne eſt ſumma bonitatis perfectio, ibi eſt ſummus amor, qui in alterum tendit.

Sed in DEO eſt ſumma bonitatis perfectio.

Ergo eſt ſummus amor.

Hoc poſito, ita arguitur.

Ubicunque eſt ſummus amor reciprocus, ibi eſt ſummè amatum; amor enim in alium tendit neceſſariò.

Sed inter patrem & filium eſt ſummus amor reciprocus.

Ergo & ſummè amatum, qui eſt Spiritus Sanctus, nexus & vinculum utriuſque.

Aliter.

Ubicunque enim eſt principium infinitum productivum ad intra, ibi eſt productum infinitum ad intra.

Sed in DEO eſt Voluntas principium productivum infinitum;

Ergo & productum infinitum, ſcilicet Spiritus S.

Quia DEUS Pater diligit Filium, & Filius diligit Patrem; aliàs in eis non eſſet ſummus amor; ſiquidem DEUS Pater generans Verbum ſuum intelligendo in omni perfectionis complemento; & Verbum immediatè genitum de tota ſua perfectione & poteſtate diligit producentem ſive generantem ſicuti ſeipſum; Quia ſi ex dilectione cujuſlibet non ſequeretur aliquid, eorum eſſe eſſet per exiſtentiam, & non per operationem; neque amor procederet in alium, quod eſt contra naturam amoris; uti itaque in DEO eſt vera dilectio, ita quoque vera eſt intellectio.

Quod verò ex dilectione erga alium ſequatur aliquid, ita probo.

Quoniam non minoris activitatis, poteſtatis, bonitatis, &c. eſt amare in DEO, quàm generare; Sed per generare ſeu intelligere eſt perſona de perſona, ſcilicet Filius de Patre; ergo per amare Patris & Filii, procedit perſona, quam Spiritum Sanctum dicimus; Et licet hac ratione Pater & Filius ſint unum principium ſpirativum Spiritus Sancti, non tamen dici poſſunt eſſe principium numero diſcretum; aliàs enim in DEO foret quaternitas: Sed principium eſt unitate eſſentiæ & naturæ ac convenientiæ, prout conveniunt in vi ſpirativa, eò quod reciproco ſe amore diligant, & ſic ſe conſtituunt de quadam communi ſpiratione & eadem eſſentia; productum verò ſeu ſpiratum conſtituitur de eadem eſſentia & ſpiratione paſſiva.

Nota tertiò; in divinis unum tantùm eſſe generantem, qui immediatè de tota ſua natura, eſſentia, bonitate generet tanta perfectione, ut plus generare non poſſit; nam ſi poſſet, & non generaret, non eſſet totus agens ſeu intelligens, ſed ſecundum quid, & ſic eſſet diviſibilis, & in eo eſſent diverſæ naturæ, accidens & limitatio, quod eſt impoſſibile; illud enim poſſe eſſet ſibi non poſſe, neque etiam poteſt eſſe niſi unus filius; nam ſi filius generaret pariter, ſequeretur, totam & perfectam rationem paternitatis non tantùm eſſe in Patre, ſed etiam in filio; item, daretur proceſſus in infinitum; eò quod non ſufficeret unus pater, neque unus filius; ſed primus filius generaret alium, & conſequenter primus pater non communicaret filio ſuo omnem perfectionem poſſibilem; quæ omnia abſurda ſunt, & divinæ naturæ incongrua.

Nota quartò; Notiones diſtingui contra eſſentialia; Et dicitur notio, id, ratione cujus relatum cognoſcitur; ut paternitas, qua pater; Filiatio qua filius; & Spiratio paſſiva, qua Spiritus Sanctus. Sed jam hæc omnia, quî per novem principia eſſentialia, & totidem reſpectiva, inveſtigari queant, monſtremus.

Per principia essentialia ita probatur.

1. B. Omnis potentia naturalis infinitè bonificativa necessariò habet objectum infinitè bonificabile seu bonificatum.
Sed in DEO Patre est naturalis potentia infinitè bonificativa.
Ergo necessariò habet objectum infinitè bonificabile seu bonificatum; qui est filius.

2. M. Omnis potentia naturalis infinitè magnificativa, necessariò objectum habet infinitè magnificabile seu magnificatum.
Sed in DEO Patre est potentia infinitè magnificativa.
Ergo habet objectum infinitè magnificabile seu magnificatum. Ergo filium magnitudine æqualem sibi.

3. D. Omnis potentia, quæ infinitè durare facit, seu æternativa, illa necessariò objectum exigit infinitè durabile seu æternatum.
Sed in DEO Patre talis est potentia;
Ergo & objectum infinitè durabile, qui pariter filius est, patri coæternus.

4. P. Omnis potentia naturalis infinitè potentificativa, necessariò objectum exigit infinitè potentificabile seu potentificatum.
Sed in DEO Patre est talis potentia.
Ergo objectum habet infinitè potentificabile; qui filius est patri coomnipotens.

5. Per S. Omnis potentia infinitè intellectiva, necessariò habet infinitum objectum intelligibile seu intellectum.
Sed in DEO Patre est talis potentia intellectiva.
Ergo objectum habet infinitè intelligibile, seu intellectum; qui filius est, Sapientia Patris & verbum.

6. Vo. Omnis potentia infinitè volitiva seu appetitiva, necessariò habet objectum infinitè volibile seu appetibile.
Sed in DEO Patre & Filio talis est potentia.
Ergo habet objectum infinitè volibile seu appetibile, qui est Spiritus S. infinitè amatus.

7. Vi. Omnis potentia infinitæ virtutis collativa ad intra, necessariò objectum exigit, in quod infinitam virtutem conferat.
Sed in DEO Patre est talis potentia.
Ergo necessariò objectum requirit infinitum, in quod infinitam suam virtutem conferat, qui filius est, virtus Patris.

8. Ve. Omnis potentia infinitè verificativa; necessariò habet objectum infinitè verificabile.
Sed in DEO Patre est potentia infinitè verificativa.
Ergo habet objectum infinitè verificabile; qui filius est, veritas Patris.

9. G. Omnis potentia infinitè glorificativa, necessariò objectum habet infinitè glorificabile.
Talis est in DEO Patre.
Ergo objectum habet infinitè glorificabile, qui est filius, gloria Patris.

Per

Per principia respectiva ita probatur.

1\. ☲. Ubicunque dantur Correlativa *tivum* & *bile*, ibi datur distinctio realis.
Sed inter Patrem & Filium, inter hos & Spiritum Sanctum datur *tivum* & *bile*.
Ergo datur distinctio realis; ergo personarum pluralitas, quæ proprietatibus differunt.

2\. ♡. Ubicunque dantur in unitate essentiæ & naturæ, *tivum* & *bile*, ibi datur essentialis concordia.
Sed in DEO dantur in unitate essentiæ & naturæ *tivum* & *bile*.
Ergo essentialis concordia. Ergo tres personæ quoad naturam unum sunt.

Contrarietas in DEO non invenitur, nisi denominatione quadam extrinseca, in quantum peccatum ei contrarium dici potest; In quantum tamen contrarietas pro oppositione sumitur, latissimo modo DEO convenit, & hoc pacto id demonstro.

3\. ○●. Ubicunque est realis relatio, ibi & realem oppositionem dari necesse est.
Inter personas datur realis relatio.
Ergo & oppositio; non quoad naturam & essentiam, sed ratione diversi respectus; Pater enim & filius etiamsi in natura unum sunt, ratione tamen relationis oppositos habent respectus, quibus inter se distinguuntur.

Iterum. Quandocunque aliquid alicui attribuitur, necessariò quoque ei omnia, quæ de ratione ejus sunt, attribuuntur.
Sed de ratione relationis est respectus unius ad alterum, secundum quem aliquid alteri opponitur relative. Ergo.

4\. Per α. Ubicunque est principium productivum infinitum, ibi est productum seu producibile infinitum.
Sed in DEO Patre est principium productivum infinitum.
Ergo & in eo est productum infinitum, qui est Filius genitus à DEO Patre.

Aliter. Ubicunque est principium infinitum, ibi est principiabile seu principiatum.
Sed DEUS ad intra est principium infinitum.
Ergo & principiabile seu principiatum, qui est filius.

5\. ⊙. Ubicunque est intelligere infinitum, medium inter intelligentem & intelligibile, ibi est intelligens infinitum, & intellectum.
Sed in DEO est intelligere infinitum, medium inter intelligentem & intelligibile.
Ergo & intelligens & intellectum, videlicet Pater & Filius.

6\. ω. Ubicunque est appetitus boni infinitus, ibi est finis infinitè appetibilis.
In DEO est appetitus boni infinitus.
Ergo finis infinitè appetibilis; amor scilicet ex spiratione Patris & Filii, qui est Spiritus S.

7\. M. Ubicunque est Majoritas infinitè bonificativa, ibi necessariò est majoritas infinitè bonificabilis.
Sed in DEO est majoritas infinitè bonificativa.
Ergo necessariò ibi erit infinitè bonificabile, qui Filius est.

8\. Æ. Ubicunque reperitur infinitè bonificativum & bonificabile, & infinite magnificativum & magnificabile, ibi reperitur summa æqualitas.
In DEO reperitur infinitum, *tivum* & *bile*;
Ergo in personis divinis datur summa æqualitas.

 Aliter.

Aliter.

Ubicunque non datur majus & minus, ibi datur æqualitas.
In divinis non datur majus & minus. Ergo.

Essentia enim, ut est res generans, vel supponit pro persona, vel pro essentia; Si illud, est vera; Si hoc, falsa. Ita Pater est principium Deitatis, non quia generat & spirat; sed quia generando & spirando eam communicat.

Ubicunque inter plura est eadem essentia, eadem naturæ perfectio, ibi est æqualitas.
Hoc fit in divinis. Ergo.
Major probatur. Si non. Ergo in divinis majus & minus datur; quod impossibile est.
Minor probatur. Ubicunque est eadem B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. ibi est æqualitas.
Sed in divinis personis est eadem B. M. D. &c. Ergo.

Ubicunque est æqualitas, ibi est relatio, & consequenter relatio distinctiva cum unitate essentiæ.
Hoc fit in divinis personis. Ergo.
Major probatur. Quia nihil est sibi ipsi simile & æquale, sed per comparationem unius ad alterum ad unitatem essentiæ factam, in qua sunt æquales; neque enim in personis consideratur ordo naturæ, sed originis, quo una ab altera procedit.

9. Per Min. Minoritas uti & Contrarietas DEO non convenit, nisi purè extrinsecè; cum dicimus, Christus est minor Patre, subintellige quoad humanitatem.

Vides igitur, quomodo divina essentia triuna per Artis nostræ Combinatoriæ methodum facilè & dilucidè ostendatur.

QUÆSTIO IV.

An tribus personis omnes divinæ essentiæ perfectiones & attributa essentialia sint communia?

Respond. Affirmativè. Et per novem essentialia principia ita deducitur.

Quoniam ergo Pater seipsum plenè concipiendo, in se omnium divinarum perfectionum imaginem exprimit; quod Verbum est; Pater verò & Filius infinitè se reciprocè amando, amorem spirant, qui Spiritus Sanctus est, nexus Patris & Filii.

Ergo Pater plene comprehendendo suam	Bonitatem,	De	Bonitate sua infinita, imaginem boni infiniti, filium scilicet,	Producit.	Sed & Pater & Filius amando se de infinita	B.	Spirant cum amore	B.	Infinitum, scilicet Spiritum Sanctum.
	Magnitudinem,		Magnitudine sua immensa, infinitè magnum sive immensum			M.		M.	
	Durationem,		Duratione sua infinita sive æternitate, æternum			D.		D.	
	Potentiam,		Potestate sua infinita, omnipotentem			P.		P.	
	Sapientiam,		Sapientia sua infinita, infinitè sapientem, omniscium			S.		S.	
	Voluntatem,		Voluntate sua infinitè appetitiva, infinite amatum			Vo.		Vo.	
	Virtutem,		Virtute sua, infinite virtuosum			Vi.		Vi.	
	Veritatem,		Veritate sua, infinitè verum, seu ipsam veritatem			Ve.		Ve.	
	Gloriam,		Gloria sua infinita, infinitè gloriosum. Et sic de cæteris attributis procedendo.			G.		G.	

Ergo tribus personis attributa & perfectiones DEI, quoad essentiam sunt communia.

Ergo

Ergo sicut Pater est	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Ita filius & Spiritus Sanctus.	Ergo non tres	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Sed trium personarum una	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.

Ergo unus DEUS, non tres Dii: Una Deitas, non tres Deitates; una substantia, non tres; una essentia, non tres; una unitas non tres. Si enim tria essentialiter distincta essent, sequeretur divinam naturam in toto perfectionis complemento deficere; quod impium esset dicere.

CONSECTARIA.

Ex dictis sequitur primò. Non omnem processionem esse generationem; Si enim daretur generatio in processione amoris, sequeretur Spiritum Sanctum genitum dici posse; Sed hoc est contra Symbolum S. Athanasii, ubi Spiritus Sanctus, non factus, non creatus, non genitus; sed à Patre & Filio procedens dicitur.

Secundò. Illam Voluntatem, qua procedit Spiritus Sanctus non considerari secundum similitudinem; sed secundum rationem impellentis & moventis in aliquid; Ad Verbum ergo pertinet similitudo rei intellectæ; ad amorem verò, non quod illa sit similitudo, sed quod similitudo sit principium amandi; Amor ergo non est genitus, sed genitum Verbum, est principium amoris.

Tertiò. Ex his patet, duas tantùm in divinis dari processiones; ea, quæ est per intellectum, & ea, quæ est per Voluntatem, quæ fit per intellectum, processio Verbi dicitur; quæ per Voluntatem, processio amoris à Theologis vocatur; juxta quamlibet harum oportet concipere duas oppositas relationes; quarum una procedentis à principio, & alia ipsius principii; Hinc processio verbi dicitur generatio; Relatio verò principii generantis dicitur paternitas; Relatio verò procedentis à principio, filiatio; Processio verò amoris, quæ principium respicit, dicitur spiratio; Relatio verò procedentis, processio sive spiratio passiva.

Quartò. Patet quoque, omnes proprietates, quæ in essentia DEI fundantur, ratione ratiocinata, vel ut alii volunt, formaliter tantùm distingui; relativas verò relationes realiter.

QUÆSTIO V.

An Notiones dentur in DEO?

℞. Affirmativè. Et sic argumentor.

Ubicunque dantur proprietates in divinis realiter distinctæ, ibi dantur & notiones.

In DEO dantur proprietates realiter distinctæ.

Ergo dantur Notiones.

Major probatur.

Ubicunque dantur rationes objectivæ notificantes personas, & unam ab altera distinguentes & discernentes, ibi dantur notiones.

Sed proprietates in divinis realiter distinctæ sunt rationes objectivæ notificantes personas, & unam ab altera distinguentes & discernentes. Ergo.

Quia processio realis hoc habet ex suo conceptu notionali, ut distinguat realiter principium producens à producto; ergo quandocunque aliquid realiter refertur ad aliud, id ab eodem realiter quoque distingui necesse est; neque enim principium realiter inesse potest, nisi in realiter distincto ab iis, in quantum non est principium iis, quibus opponitur. Unde sic argumentor.

Quæcunque in divinis assignant ordinem originis unius ad alterum per actus quosdam intrinsecos, illi actus propriè attribuuntur personis.

Tales sunt actus notionales. Ergo.

Sed hæc jam Regulis Artis nostræ applicemus, idque methodo Lulliana.

Ubicun-

Ubicunque enim est	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	*tivum*, & *bile*, ibi dantur quoque actus notionales, impliciti in quinque notionibus supra positis, & ad eas reducibiles.	Sed DEUS Pater *tivus* per intellectum plenè se comprehendens, cum omni possibili perfectionum cumulo necessariò producit Verbum.	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	*bile*. Ergo ubicunque est *tivum, are*, & *bile* in divinis, ibi dantur actus notionales ad quinque notiones suprapositas revocabiles.

Quia sicuti Intellectivum ad Patrem, & intelligibile ad Filium, ita revocatur ad B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. *tivum* ad Patrem, & *bile* ad Filium, aut Spiritum Sanctum.

Confirmatur assertum.

Ubicunque datur *tivum* & *bile*, ibi quoque relationem nasci necesse est; bonificativi videlicet ad bonificabile; intellectivi ad intelligibile; appetitivi ad appetibile; & sic de cæteris.

Sed ubicunque in divinis est relatio, ibi oppositionem quoque nasci necesse est;

Ubicunque autem oppositio, ibi distinctionem inter opposita consequi pariter necesse est; quæ quidem nihil aliud sunt, quàm notiones objectivæ, notificantes producens & productum sub ea formalitate, sub qua referunt *tivum* & *bile*, atque unam proprietatem relativam discernentes ab altera.

Iterum.

Ubicunque datur distinctio realis relativa in eadem natura, ibi datur & personalitas.

In DEO datur paternitas, quæ connotat relationem realiter distinctam à filiatione. Ergo.

Neque tamen hîc quisquam sibi persuadeat; Bonificativum & bonificabile, magnificativum & magnificabile; intellectivum & intelligibile hoc loco sumi, quasi DEUS sit in potentia ad bonificandum objectum bonificabile; Nequaquam; cùm jam sæpè ostensum sit, in DEO, esse, existere, posse, & operari, prorsus idem & indistinctum esse; Sed loquimur nostro concipiendi modo ad relativas in DEO rationes melius concipiendas; ita quidem, ut per intellectivum, bonificativum, volitivum &c. connotet vim quandam intellectivam DEO insitam cum essentia identificatam, qua agit, quicquid agit indistanter ab objecto ipsi coëxistente.

QUÆSTIO VI.

Utrum Filius verè & realiter procedat à Patre per intellectum.

Resp. Affirmativè, & sic argumentor. Per Analysin.

Omnis conceptus intellectûs, Verbum mentis intellectricis dicitur.

Filius est Paterni intellectus conceptus.

Ergo aptè Verbum dicitur.

Major patet. Minor probatur. Filius est plenitudo comprehensionis paternæ; ergo est paterni intellectus conceptus.

Plenitudo autem comprehensionis divinæ, nihil aliud est, quàm Verbum seu conceptus intrinsecè ab intellectu Patris emanans.

Si intrinsecè ab intellectu Patris emanat; ergo per veram generationem producitur.

Si per veram generationem producitur; ergo per se verè & realiter subsistit.

Si subsistit, ergo personam à Patre distinctam constituit; quem Filium dicimus, Verbum & imaginem Patris.

Esse autem vivam Patris imaginem, ita ostendo.

Ubicunque est similitudo perfecta, repræsentativa ejus quem perfectè exprimit, ibi est perfecta DEI imago.

Sed Filius est perfecta & viva similitudo Patris.

Ergo imago ejusdem; quæ fundatur in intellectu ad rem intellectam.

Nota in Filio Septem considerari posse, quæ ita per Analysin ostendo.

1. Filius considerari potest, ut est ex Patre, quia ab æterno genitus.
2. Si ex Patre ab æterno genitus; ergo in Patre totus est Filius, videlicet per admirabilem circumincessionem.

3. Si

3. Si in Patre; ergo cum Patre; quia cum Patre Spiritum Sanctum spirat.
4. Si cum Patre; ergo à Patre quoque ad nos missus in tempore.
5. Si à Patre missus ad nos; ergo propter Patrem, hominem quem creaverat redemit; juxta illud: empti enim estis prætio magno.
6. Si à Patre & propter Patrem venit ad nos redimendos; ergo & sub Patre, quia formam servi accepit, exinaniens seipsum.
7. Si sub Patre; ergo ad Patrem, quia ovem errantem, quam invenit, adduxit reduxitque ad Patrem.

Iterum, uti est ex Patre, quatuor modis est; Necessitate, Voluntate, Intellectu, & per modum naturæ.

Si necessariò est, erit vel necessitate prout opponitur contingentiæ; vel necessitate exigentiæ; vel necessitate sufficientiæ; vel necessitate non violentiæ aut coactionis. Ad primum ita argumentor.

Si necessitatem essendi habet; ergo omnem excludit contingentiam; quod ita probo.

Quodcunque per se existit, & ex se formaliter necessitatem essendi habet, id omnem excludere essendi contingentiam necesse est.

Filius ut DEUS, talis est. Ergo.

Si necessitate existit omnem excludente contingentiam; ergo eum existere necessitate exigentiæ, necesse est; quod ita probo.

In quocunque est principium formale productibilitatis à se omnis imperfectionis expers, in eo necessariò requiritur terminus talis productibilitatis, ex necessitate exigentiæ.

In Filio, uti DEUS est, est tale. Ergo.

Si existit necessitate exigentiæ; ergo necessitate sufficientiæ; quod ita probo.

Quodcunque omnis imperfectionis & defectus expers est, id necessitate existit sufficientiæ.

Filius, ut DEUS, est talis. Ergo.

Si necessitate sufficientiæ est præditus; ergo illa nullius erit violentiæ & coactionis; quod ita ostendo.

Quod non habet causam superiorem se, id nec vim, nec coactionem pati potest.

Filius, ut DEUS, talis est. Ergo.

Ostendimus, Quomodo Filius sit necessarius necessitate opposita contingentiæ; jam pari pacto probandum restat, quomodò ex Patre sit, Voluntate, Filius.

Existit itaque Filius ex Patre quatuor modis; vel Voluntate præcedente, vel concomitante, vel non antecedente neque consequente; vel non elicitiva; quod ita ostendo.

Et primò quidem Voluntate præcedente; quia quicquid est essentiale, id notionale præcedere necesse est.

Secundò. Voluntate concomitante; quod ita ostendo.

Quæcunque sunt simul in eodem instanti æternitatis; unum aliud necessariò concomitatur.

Talis Voluntas est in Patre & Filio. Ergo.

Tertiò. Voluntate non antecedente neque consequente; quod ita ostendo.

Quod neque ordine naturæ, neque originis, est posterius altero, id neque antecedentem neque consequentem voluntatem habet. Talis est Voluntas in productione Filii. Ergo

Quartò. Voluntate non eliciente. Quia,

Quandocunque principium habet terminum adæquatum, non potest in aliud elicitivè moveri.

Sed ita sese habet Voluntas habens pro termino Spiritum Sanctum. Ergo.

Iterum. Filius ex Patre est, vel intellectu præcedente essentialiter accepto; vel intellectu concomitante, vel intellectu elicienet; Intellectu sed non consequente.

Intellectu præcedente essentialiter accepto; quia essentialia ad intra præcedunt notionalia.

Intellectu concomitante; quia intellectus & generatio sunt coæterna.

Intellectu eliciente sive dicente; teste Augustino: Verbum nusquam est, nisi à dicente.

Intellectu sed non consequente, quia nullo ordine potentia intellectiva sequitur actum generandi simpliciter.

Iterum. Filius ex Patre est quatuor modis. Primò per modum naturæ in perficiendo. Secundò per modum naturæ in principiando. Tertiò per modum naturæ, ut distinguitur, contra modum artificii. Quartò per modum naturæ, ut distinguitur ab illo, qui est per modum Voluntatis.

Primò. Per modum naturæ in perficiendo est ex Patre; quia tametsi Intellectus æquè naturalis sit in perficiendo ac Voluntas; aliquid amplius tamen habet.

Secundò. Per modum naturæ in principiandò præcisè; quia Pater à se ipso Filium generat, & Filius est à solo tantùm Patre per modum naturæ.

Tertiò. Per modum naturæ, ut distinguitur contra modum artificii; quia materiam non supponit ex qua.

Quarto. Per modum naturæ, ut distinguitur contra illum, qui est per modum

Voluntatis; alia enim eſt productio Filii; alia Spiritus Sancti, cum ſeipſis ad invicem diſtinguantur.

Vides igitur, quo artificio tota doctrina de perſona Filii, reſolvi poſſit. Quare ad alia.

QUÆSTIO VII.

Utrum Spiritus S. per amorem procedat?

Reſp. Affirmativè; & ſic argumentor.

Ubicunque eſt proceſſio per modum moventis voluntatem amantis in rem amatam, ibi productionem per amorem reſultare neceſſe eſt.

Hoc fit in emanatione Spiritus Sancti à Patre & Filio.

Ergo Spiritus Sanctus per amorem procedit.

Ergo connotat perſonam tanquam à principio Spirativo Patris & Filii Spirantis, vi motiva amantis in rem amatam.

Quod verò non à Patre ſolo, ſed & à Filio procedat, ſic deduco.

Ubicunque dantur relationes oppoſitæ, ibi dantur relationes reales perſonæ ad perſonam.

Sed non in Patre ſolo, ſed & in Filio datur relatio oppoſita Spirantis ad Spiratum, amantis ad amatum; qui eſt Spiritus Sanctus. Ergo.

Minor probatur. Quia Pater & Filius ſunt idem principium Spirativum Spiritus Sancti: & ita probo.

Quandocunque principium Spirativum quoad eſſentiam non opponitur relativè, tunc neceſſariò illud principium per modum unius ſumi debet.

Hoc ita eſt in Patre & Filio. Ergo.

Aliter. Quandocunque in divinis ſupponitur natura cum proprietate aliqua eſſentiali non relativè oppoſita, tunc illud principium verè & realiter eſt unum.

Sed vis Spirativa in Patre & Filio eſt proprietas eſſentialis utrique communis, & ſine ulla relationis oppoſitione.

Ergo Pater & Filius conſtituunt unum principium Spirativum.

Sicuti enim Pater & Filius eſt unus DEUS ob eſſentiæ unitatem, ita ſunt & unum principium Spirativum Spiritus Sancti, propter unitatem proprietatis ſignificatæ per principium.

Iterum. Quandocunque proprietas invenitur in diverſis ſuppoſitis ejuſdem naturæ, tunc neceſſariò illa per modum unius conſiderari debet.

Sed vis Spirativa emanans à Patre & Filio eſt proprietas abſoluta.

Ergo per modum unius principii abſoluti conſiderari debet.

Procedit enim Spiritus Sanctus à Patre & Filio, in quantum amor eſt unitivus duorum.

CONSECTARIA.

Ex his patet primò. Perſonam ſemper dicere relationem in recto, eſſentiam verò in obliquo; Nam uti in DEO dantur tres relationes realiter diſtinctæ, ita dantur tres perſonæ. Eſt enim perſona nihil aliud, quàm ſubſiſtens in divina natura relatio.

Secundò. Subſtantiam non poni in Deitate perſonæ, in quantum connotat eſſentiam, ſed in quantum ſignat ſuppoſitum; non enim dicuntur tres ſubſtantiæ, vel tres eſſentiæ; ſed tres hypoſtaſes ſive ſubſiſtentiæ. Atque hinc proprietates relativæ in DEO ſubſiſtunt, & realiter inter ſe diſtinguuntur.

Tertiò. Pluritatem in DEO conſiderari ſecundum rationem numeri abſolutè & abſtractè; ſumitur enim multitudo in divinis non ſecundum rationem quantitatis; ſed ſecundum rationem eſſe tranſcendentalis; hoc enim modo unum ita multum eſt, ut ſit indiviſum; neque multum removet unitatem, ſed indiviſionem ejus.

QUÆSTIO VIII.

De Perſona Spiritus Sancti.

An Spiratio activa ex parte principii ſe teneat?

Reſpond. Affirmativè; & ſic argumentor per analogiam.

Sicut ſe habet generatio activa ad Filium, ita ſe habet ſpiratio activa utriuſque, & Patris & Filii ad Spiritum Sanctum.

Sed paternitas ſive generatio habet ſe tanquam principium reſpectu Filii geniti.

Ergo & Spiratio activa ſe habet tanquam principium reſpectu Spiritus Sancti.

Ratio, quia Spiratio activa per modum originis & relationis conſtituit Patrem & Filium in ratione principii unius actu & eſſentialiter principiantis reſpectu Spiritus Sancti.

Aliter. Per analyſin. Ubicunque eſt Volitivum, ibi eſt volibile, & ubicunque eſt bonificativum, ibi & bonificabile.

Sed in DEO eſt volitivum & bonificativum.

Ergo & Volibile & bonificabile.

Si ergò in DEO eſt Volitivum & bonificativum; ergo inter *tivum & bile*, Patrem & Filium, amor erit reciprocus utrique communis.

Si non

Si non eſſet amor reciprocus utriq; communis, non eſſet diffuſivus ſui ad intra.

Si non eſſet diffuſivus ſui, DEUS non eſſet bonus, neque per bonitatem ſuam ageret; foret itaque otioſus, quod impoſſibile eſt. Ergo diffuſivus ſui.

Si ergo diffuſivus ſui; ergo in aliud ad intra diffunditur; atque hanc diffuſionem ad intra, nos Spirationem activam dicimus, qua veluti per principium *quod*, formaliter Spiritus Sanctus conſtituitur, id eſt Spiratio paſſiva; Cum amor Patris & Filii, uti una eſſentialiter voluntas eſt & bonitas, ita non diſtinguitur realiter.

Non diſtinguitur realiter, quia inter amorem Patris & Filii non datur oppoſitio, quia per modum principii communis utrique.

Tota ergo relativa oppoſitio fundatur in Spiratione paſſiva, cum ſit terminus Spirationis activæ ad intra; ergo quod ab initio aſſumpſimus, Spiratio activa ſe habet ex parte principii *quod*; quod erat oſtendendum.

Quomodò verò omnia eſſentialia attributa per Spirationem activam Spiritui Sancto communicentur, in præcedentibus diximus.

QUÆSTIO IX. & X.

An Miſſio Filii & Spiritus Sancti, ſint idem quod proceſſio, & quid propriè ſit Miſſio.

Ubicunque eſt proceſſio, ibi eſt Miſſio.

In divinis perſonis eſt proceſſio unius ab alia. Ergo ibi eſt miſſio.

Major probatur.

Quia ratio miſſionis exigit, ut perſona miſſa à mittente accipiat impreſſionem aliquam eundi ad terminum miſſionis.

Sed perſona miſſa, nulla alia via, quam per proceſſionem, quicquam ab alia perſona recipere neque terminum aſſequi poteſt.

Ergo ubi eſt proceſſio, ibi Miſſio.

Eſt autem Miſſio triplex; prior communis toti Sanctiſſimæ Trinitati, uti viſitatio juſti, & de hac non agitur hîc. Secunda eſt Miſſio activa, & eſt propriè mittentis. Tertia, eſt Miſſio paſſiva, & reſpicit perſonam miſſam. De hiſce duabus ultimis miſſionibus hîc agitur.

Hinc patet, Miſſionem completam requirere, ut perſona miſſa ſit actualiter novo modo; quia perſona divina nequit ſimpliciter de novo eſſe in termino aliquo, cum ſit ubique, niſi prius creetur. Sufficit ergo, ut ſit novo modo, quo ante non erat, in termino ſcilicet miſſionis; hinc miſſio perſonæ dicitur ſimpliciter temporanea, ratione termini certo aliquo ſigno conſtituti, uti in miſſione filii, terminus eſt natura humana ſubſiſtens in divina; In Spiritus Sancti miſſione, vel ſub forma Columbæ, vel ſub igneis Linguis; Terminus itaque, à quo, eſt inviſibilis, & terminus, ad quem, viſibilis & temporaneus.

Atque hæc paucis expoſita, ad diſtinctas perſonarum proprietates intelligendas ſufficiant.

Anacephaleoſis dictorum.

Verùm, poſſet hoc loco objici. Utrum per hanc Artem Scholaſtico more, aſſumptæ alicujus quæſtionis thema in utramque partem diſcuti poſſit. Reſpondeo, nihil eſſe facilius, uti ex præcedentibus patuit; ubi ferè ſemper præmiſſas Scholaſtico more probavimus. Verùm, nè quicquam omiſiſſe videamur, Argumentum hîc Theologicum, non ſine magna graviſſimorum Authorum controverſia agitatum Lectori proponam; quod ſit exemplar quoddam, juxta quod ſimiles quæſtiones ad Artis noſtræ amuſſim concinnari poſſint. Sit itaque.

QUÆSTIO XI.

Utrum Spiritus Sanctus diſtingueretur à Filio, ſi non procederet ab eo, an non? Ex mente Gaſparis Sanctorum.

Duplex eſt Sententia, Affirmativa & negativa; Utramque per Artis noſtræ regulam, id eſt, vel per Rotam Scientificam, vel per Tabulam Univerſalem, hoc pacto expediemus.

Pro parte negativa, videlicet: quod Spiritus Sanctus, ſi non procederet à Filio, neque ab eo diſtingueretur, ſic argumentor per novem principia abſoluta.

Illa non poſſunt diſtingui realiter, quæ eandem communicationem & perfectionem habent; cum diſtinctio perfectionem diverſam arguat. Argumentum 1. per Bonitatem. △ =. B. B.

Sed ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, haberet eandem communicationem & perfectionem realem cum eo; eſſet enim ſicut ille, DEUS.

Ergo ſi non procederet à Filio, non diſtingueretur ab eo.

Illa non poſſunt diſtingui ad invicem realiter, quæ eandem infinitatem & integritatem habent; Cùm ea quæ eodem modo, eodemque complemento integrantur; includant eaſdem perfectiones reales. Arg. 2. per Magnitud. =. M. B.

Sed etiamſi Spiritus S. non procederet à Filio, conſtaret eodem complemento

perfectionis & infinitatis, quo Filius in divinis naturaliter constat.

Ergo si à Filio Spiritus S. non procederet, non distingueretur ab eo.

Arg. 3. per Durationem & Diff. =.D.△.

Illa non possunt distingui realiter, quæ non habent durationem in prioritate temporis aut æternitatis; cum diversa distinctio in esse, distinctionem arguat durationis & conservationis ejusdem.

Sed in casu proposito, hæc prioritas deesset; cùm hoc pacto absolutè æquales sint in duratione & modo existendi. Ergo.

Arg. 4 per Potentiam & Diff. =.P.△.

Illa ad invicem non possunt distingui, quæ eandem omnino haberent potestatem;

Sed in casu proposito, in Spiritu Sancto & Filio eadem esset personalis potestas; quia non esset relatio distinguens, quæ provenit ex emanatione unius personæ ab alia. Ergo.

Arg. 5. per Sapientiam & Diff. S. =.

Illa non possunt distingui ad invicem, quæ inter se nullum haberent ordinem & respectum realis diversitatis;

Sed hoc fieret in casu proposito. Ergo.

Arg. 6. per Volunt. & Diff. Vo. =.

Illa non possunt distingui ad invicem, quæ eandem voluntatem & appetitum realem habent.

Sed in casu proposito hoc fieret. Ergo.

Arg. 7. per Virtutem & Diff. Vi. =.

Illa non possunt distingui ad invicem, quæ eandem virtutem habent absolutè operandi.

Hoc fieret in proposito casu. Ergo.

Arg. 8. per Veritatem & Diff. Ve. =.

Illa non possunt distingui ad invicem, quæ ejusdem prorsus veritatis sunt, absolutæ conformitatis, & intelligibilitatis.

Hoc fieret in casu proposito. Ergo.

Arg. 9. per Gloriam & Diff. Gl. =.

Illa non possunt distingui ad invicem, quæ eandem identicè gloriam participant.

Hoc fieret in proposito casu. Ergo.

Vides igitur, quomodo partim per principia absoluta, partim respectiva, negativam propositæ quæstionis sententiam urgere possis; jam verò affirmativam sententiam amplectentes, negativam sententiam invertamus.

Affirmativa sententia hæc est.

Etiamsi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, nihilominus distingueretur ab eo. Sic itaque argumentor.

Arg. 1. per B. =.

Illa distinguuntur realiter, quæ non possunt emanare & procedere cum eadem potestate existendi & agendi ab eodem communicativo talis esse.

Sed Spiritus Sanctus, etiamsi non procederet à Filio, non posset emanare à Patre cum eadem potestate existendi, & agendi, quam habet Filius; quia procederet ut Verbum, & cum respectu terminandi generationem Patris, quod est impossibile.

Ergo licet non procederet à Filio, distingueretur tamen ab eo.

Arg. 2. per =. B.

Illa distinguuntur realiter, quæ non possunt emanare & procedere cum eodem communicativo & actuali, seu reali instinctu.

Sed si persona Spiritus Sancti non procederet à Filio, non posset adhuc emanare cum eodem communicativo, quod habet Filius; qui perfectè terminat generationē, & Patri per eam concordat & conformatur realiter, quod Spiritui Sancto nullo modo convenire potest.

Ergo, si non procederet Spiritus Sanctus à Filio, nihilominus distingueretur ab eo.

Arg. 3. =.B.Vo.

Illa distinguuntur realiter, quæ non possunt emanare, & subsistere cum eadem communicatione reali appetitus naturalis, quam habet Filius ad ea, quæ pertinent ad rationem Verbi, nec sine eo appetitu, quod pertinet ad esse donum. Ergo.

Arg. 4. =. B. Vi.

Illa ad invicem distinguuntur realiter, quæ non possunt emanare & consistere cum eadem communicatione Virtutis & originis realis.

Sed hoc fieret in proposito casu; Spiritus enim Sanctus non posset subsistere cum communicatione reali Verbi producti per intellectum paternum, nec Filius posset habere communicationem virtutis spirationis, passive, per quam Spiritus S. subsistens procedit à Patre. Ergo.

Arg. 5. =.B.Ve.

Illa ad invicem realiter distinguuntur, quæ non possunt emanare cum eadem perfectione Veritatis & entitatis realis.

Hoc fieret in casu proposito. Ergo.

Arg. 6. =. B. G.

Illa ad invicem distinguuntur realiter, quæ non possunt in emanatione sui esse, quietari, & terminari eodem modo reali.

Sed Spiritus Sanctus, si non procederet à Filio, non posset quietari & terminari una & eadem reali hypostasi, qua gaudet Filius. Ergo.

Arg. 7.

Illa quæ non possunt existere cum eadem communicatione & actu personali, necessariò distinguuntur ad invicem realiter.

Sed hoc fieret in proposito casu. Ergo.

Quia

Quia communicatio & actus perſonalis Filii per modum & attributum ſapientiæ reſpondet Patri : Spiritus Sanctus verò per modum ſeu inſtinctum Voluntatis ſive doni.

Ex B. P. Vo. tale educitur argumentum.

Arg. 8. per B. P. Vo. Illa quæ non poſſunt communicari in eodem appetitu reali, illa neceſſariò exigunt diſtinctionem realem.

Hoc fieret in caſu propoſito. Ergo.

Ex B. P. Vi. Sic argumentor.

Arg. 9. per B. P. Vi. Illa realiter ad invicem diſtingui neceſſe eſt, quæ non poſſunt in eadem exiſtentia perſonali communicari in eadem virtute reali.

Sed hoc fieret. Ergo. Quia filius ſemper haberet virtutem & principium originandi & producendi realiter Spiritum Sanctum, quæ non poſſet habere Spiritus Sanctus.

Ex B. P. Ve.

Arg. 10. per B. P. Ve. Illa neceſſariò diſtinguuntur realiter, quæ non poſſunt habere eandem communicationem, titulumque verum & proprium ſecundum eſſe ſuppoſitale.

Sed hoc fieret. Ergo. Quia ſuam adhuc conſervaret per proprias rationes conſtitutivas talis perſonæ, diſtinctas realiter à filio, & titulum diverſum à filio, ſecundum diverſam relationem realẽ.

Ex B. P. G.

Illa neceſſe eſt diſtingui realiter, quæ non poſſunt in ſuo reali & actuali eſſe quietari eodem modo realiter. Arg. 11. per B. P. G.

Sed hoc fieret in præſenti caſu. Ergo.

Innumeris aliis modis per Tabulam noſtram Combinatoriam Univerſalem hæc demonſtrari poſſunt; verùm nè in infinitum abeamus, Lectori ea indaganda relinquimus.

Conſectarium ex dictis.

Ut Lector meliùs artificium intelligat, jam, quæ ex dictis emanant veritates, per octodecim principia demonſtremus.

1.	Per	B.	Etiamſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio per impoſſibile;	Eſſet nihilo minus in eo adhuc actualitas propria perſonalis, cum qua poſſet communicari cum Filio.
2.		M.		Haberet nihilominus extenſionem communicativam ad Patrem Spirantem, quam Filius non poſſet habere ſub ratione Spirationis paſſivæ, ob præcedentes rationes.
3.		D.		Is utique adhuc realiter diſtinctus à Filio in ratione productiva terminante conſiſteret.
4.		P.		Diverſam nihilo minus poteſtatem præ ſe ferret, tam ut exiſteret diverſa perſona à Filio, quàm ut operaretur diverſa opera, ſecundum proprium attributum talis perſonæ.
5.		S.		Eſſet tamen in eo inſtinctus propriè realis refluendi ad Patrem Spirationem, per quam producitur; quæ tamen Filio non competeret, utpote non per voluntatem, ſed intellectum genito.
6.		Vo.		Eſſet tamen in eo appetitus realis ad terminandam Spirationem Patris, à qua acciperet eſſe perſonale, quam non haberet perſona Filii, utpotè per intellectum geniti.
7.		Vi.		Poſſideret tamen virtutem perſonalem à Patre acceptam, ſecundum quam non communicaret perſonaliter cum Filio.
8.		Ve.		Verum tamen eſſet, Spiritum Sanctum eſſe verè & realiter diſtinctam perſonam à Patre & Filio.
9.		G.		Haberet tamen propriam terminationem & quietem perſonalem in gloria communi cum Patre, quam Filius tali modo non haberet.
10.		=		Eſſet tamen in eo propria differentia perſonalis, per quam conſtitueretur in eſſe tertiæ perſonæ, quam non haberet Filius, qui perſona per ſuum eſſe differentiale conſtituitur.
11.		♡		Eſſet tamen in eo talis adhuc cum Patre realis concordantia, quæ non eſſet in Filio eodem modo.
12.		○●		Eſſet tamen in eo adhuc talis oppoſitio per Spirationem paſſivam inde reſultantem, quæ non competeret Filio.
13.		α		Haberet tamen adhuc realem reſpectum ad principium voluntatis, à qua procedit, quam eodem modo non poſſet habere Filius.
14.		⊙		Haberet nihilominus adhuc medium, ſcilicet relationem realem talem, quæ Filio competere non poſſet.
15.		ω		Eſſet nihilominus adhuc finis terminans Spirationem Patris, qui Filio naturaliter nullo modo competeret.

 Ex hiſce

Ex hiſce paucis luculenter patet, per noſtras Tabulas Combinatorias, innumeras argumentorum ſedes cuicunque tandem quæſtioni urgendæ aptiſſimas, ſubminiſtrari; ut proinde hæc pauca ſpeciminis loco dicta & expoſita ſufficiant.

Jam nihil aliud reſtat, quàm ut argumenta negativæ propoſitionis, pari pacto, more Scholaſticis uſitato, reſolvere doceamus.

Ad primum negativæ propoſitionis argumentum Reſpondeo; quod quamvis perſona Spiritus Sancti, ſi per impoſſibile non procederet à Filio, haberet eandem ſubſtantiam & communicationem ſubſtantialem abſolutam divinitati convenientem, cùm DEUS eſſet: non tamen haberet eandem realem relationem ad Patrem, quam habet Filius, quod ſufficit ad diſtinctionem realem.

Ad Secundum Reſpondeo. Quod in caſu per impoſſibile poſito, Spiritus Sanctus etiamſi haberet infinitatem ſicuti Filius, non tamen eſſet in Spiritu Sancto relatio filiationis realis, quam habet Filius.

Ad Tertium Reſpondeo. Quia quamvis non ſit inter perſonas divinas prioritas aliqua naturæ, æternitatis, æviternitatis aut temporis, per quam ipſæ inter ſe diſtinguuntur; ſolis tamen proprietatibus notionalibus diſtinguuntur; quod ſufficit ad diſtinctionem realem.

Ad Quartum Reſpondeo. Etiamſi enim poteſtas abſoluta æqualis ſit in Filio & Spiritu Sancto, etiam deficiente reſpectu mutuo, quo Filius ſpirat Spiritum Sanctum; eſſet tamen in Spiritu Sancto reſpectus realis ad Patrem, & relatio diverſa realis, qua diſtingueretur à Filio, quod ſufficit.

Ad Quintum Reſpondeo. Quia Filius & Spiritus Sanctus haberent tales relationes in ordine ad Patrem, ut in iis non poſſint communicari; Spiratio enim paſſiva Filio competere non poſſet, neque Filiatio Spiritui Sancto.

Ad Sextum Reſpondeo. Quia Voluntas abſoluta in Filio & Spiritu Sancto etiamſi non diſtinguantur, relativa tamen ſive notionalis inter illos diſtinguitur neceſſariò.

QUÆSTIONES VARIÆ

Per Artis noſtræ principia in Theologia ſolvendæ.

QUÆSTIO I.

Utrum DEUS ſit perfectus.

In utramque partem hæc quæſtio diſcuti poteſt, utra tamen, affirmativane, àn negativa ſententia melior ſit, hoc pacto per Artis noſtræ regulas determinabis.

Totus quæſtionis ſtatus reducitur ad principium B. ſic itaque argumentor pro negativa ſententia.

1. Si DEUS eſſet perfectus, haberet is utiq; omnem modum communicationis, quem cœteræ res naturales habent. Per B.
   Atque hoc eſt impoſſibile.
   Ergo DEUS non eſt perfectus. Quia non ſe poteſt communicare, ut partes componentes ſe communicant, & uniunt. Ergo.
2. Si DEUS eſſet perfectus, deberet is in ſe comprehendere omnia bona. Per M.
   Hoc autem non apparet; cum multa alia ſint bona, præter ipſum DEUM. Ergo.
3. Si DEUS eſſet perfectus ab æterno, haberet omnes relationes perfectionis, quas modò habet, unde dicetur Pater, Gubernator, Dominus, Creator, Glorificator, & alia attributa, quæ poſt creationem rerum ipſi primùm acciderunt.
   Sed hoc eſt impoſſibile. Cùm res ante creationem non poſſint ad ipſum referri. Ergo DEUS non eſt perfectus.
   Hoc pacto inſtabis per omnia reliqua principia.

His opponimus pro affirmativa ſententia, tria alia argmenta.

1. Si DEUS non eſſet perfectus, ſequeretur, quod aliquandò non potuiſſet exiſtere, & agere cum omni perfectione & bonitate. Per B.
   Hoc eſt impoſſibile. Ergo.
   Quia quod modò poteſt, ſemper potuit, ſine ulla perfectionis cujuſlibet diminutione, cùm ſit omnipotens.
2. Si DEUS non eſſet perfectus; ſciret aliquam perfectionem quam non haberet, ſibi poſſe communicari ab alio; Per M.
   Hoc eſt impoſſibile. Ergo. Cùm omnium rerum perfectiones & naturæ ab eo, tanquam à fontana cauſa profluxerint. Ergo DEUS eſt perfectus.
3. Si DEUS non eſſet perfectus, ſequeretur, quòd ipſe aliquando concupiviſſet perfectionem, quam non haberet, & meliorem fieri, aut factum eſſe, quam eſſet actu. Per D.
   Quod eſt impoſſibile. Ergo. Cum ſemper ſummum bonum fuerit & infinitum. Ergo DEUS eſt perfectus.

Ex his in utramque partem diſcuſſis quæſtionibus patet, affirmativam quæſtionis partem meliorem & veritati congruentiorem eſſe; præponderant enim rationes in hac contra negativam. Hoc itaque poſito, Jam per Artis noſtræ principia, quomodò hæc verior ſententia multis modis probari poſſit & confirmari, videamus.

DEUS

DEUS eſt perfectus.

Poteris autem, vel ex Rota ſcientifica, vel ex Tabula, argumenta depromere eo ordine, quo ſequuntur.

1. △. B. M. Omne bonum infinitum eſt perfectum. DEUS eſt B. M. infinitum Ergo.
2. △. B. D. Omne bonum ſemper exiſtens, nec potens ab alio recipere perfectionem aliquam, eſt in ſe ipſo perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.
3. △. B. P. Omne bonum omnipotens & faciens omnia perfecta, eſt in ſeipſo perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.
4. △. B. S. Omne bonum taliter in ſe exiſtens, quod extra ſe non habet, nec cognoſcit aliquid, quo perficiatur, eſt perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.
5. △. B. Vo. Omne bonum non deſiderans aut appetens aliquid naturaliter extra ſe, eſt perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.
6. △. B. Vi. Omne bonum habens in ſe virtutem infinitam originandi & producendi res omnes, eſt perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.
7. △. B. Ve. Omne bonum taliter verum, ut in eo omnis reperiatur veritas, eſt perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.
8. △. B. G. Omne bonum in ſeipſo quieſcens, nec aliundè perfectionem aliquam cupiens, eſt perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.
9. △. M. D. Omne infinitè durans eſt perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.
10. △. M. P. Omne infinitum potens cuncta poſſibilia & perfecta facere eſt perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.
11. △. D. P. Omne æternum & omnipotens eſt perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.
12. △. D. S. Omne ſeipſum infinitè comprehendens ſine defectu, eſt perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.
13. △. P. S. Omne quod eſt omnipotens & infinitè Sapiens, eſt perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.
14. △. P. Vo. Omne quod quæcunque vult, facere poteſt, eſt perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.
15. △. S. Vo. Omne ſeipſum cognoſcens cum appetitu & Voluntàte infinita ad communicandas perfectiones extra ſe, eſt in ſe perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.
16. △. Vo. Vi. Omne ens, quod habet in ſe Voluntatem & Virtutem producendi omnia, eſt in ſe perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.
17. △. Vi. Ve. Omnis Virtus, de qua verificatur productio perfecta, in ſeipſa eſt talis. Sed DEUS eſt talis. Ergo.
18. △. Ve. G. Omne quod verè poteſt in ſeipſo Gloriari & quieſcere, *cauſare* in ſe infinitæ delectationis actus, id eſt abſolute perfectum. DEUS eſt talis. Ergo.

Sed hæc ſufficiant. Quare ad alia.

SECTIO III.

De Myſterio Incarnationis.

CAPUT I.

De Terminis Incarnationis.

De Myſterio Incarnationis per Artem noſtram Combinatoriam variæ ſolvuntur difficultates; invenietque Artiſta innumerabilem propoſitionum congeriem, quibus dubiis ſibi propoſitis ſatisfaciat. Quare nihil ſupereſt, niſi ut rem ipſam variis exemplis deducamus.

Duplex ante omnia in INCARNATO VERBO generatio conſiderari debet: *Divina* & *humana*: Ille enim, qui æternè, & temporaliter generatur, eſt æterni Patris Filius,

Filius, Verbum DEI, Verbum non humanum, non creatum, non causatum, non factum; sed divinum, increatum, incausatum, æternè tamen generatum, & temporaliter in temporis plenitudine humanatum.

Verbum est Filius DEI non vocale, vel instar verbi nostri mentalis; est enim hoc accidentale, transitorium, multiplicabile, imperfectum & explicabile, illud verò substantiale, permanens unicum, perfectum, inexplicabile, incomprehensibile & ineffabile, nostrûm tamen omnium amore Caro factum, simile verbo nostro mentali, quod nisi voce promatur, intelligi non potest; ita Verbum æternum videri non potest, nisi carne vestitum in Mundo appareat.

Verbum est Filius DEI, ergo DEUS, non DEUS Pater aut Spiritus Sanctus, sed alius à Patre & Spiritu Sancto, non essentiâ aut naturâ, sed distinctione personæ. Unde quemadmodum generatio in creatis tripliciter considerari potest, per *diffusionem*, *expreßionem*, *propagationem*, ita & in æterni verbi generatione. Sed deducamus singula per analogicæ & analyticæ artis regulas.

Primò per diffusionem, ut {
- Splendor à luce; est enim totus *splendor gloriæ Patris, & figura substantiæ* ejus.
- Calor ab igne. Juxta illud: *rubus ardebat, & non comburebatur.*
- Flumen à fonte. Juxta illud: *fluvius egrediebatur ex loco paradisi.*
- Pluvia à nebula. Juxta illud: *quomodo imber descendit de Cœlo, sic erit Verbum meum.*

Sed hæc omnia infinitè perfectiori modo in Verbi generatione considerari possunt, quàm in creatis.

Siquidem splendori creato deficit æqualitas.
Calori substantialitas.
Flumini perfecta totius simultas.
Pluviæ integritas.

Verbi autem generatio æterna, æqualis, intrinseca & substantialis, perfecta & integra.

Secundò per expressionem, ut {
- Species ab objecto.
- Imago à sigillo.
- Verbum ab homine.
- Cogitatio à mente.

} Ita Verbum à Patre generatur, juxta illud. {
- *Speciosus forma præ Filiis hominum.*
- *Est enim imago bonitatis ejus.*
- *Semel loquitur DEUS, & secundò non repetit.*
- *Nondum erant abyssi, & ego jam conceptus eram.*

Sed infinitè perfectiori modo quàm in creatis; in hisce enim:

Speciei deficit veritas; species enim lapidis non est verè lapis in oculo.
Imagini simplicitas, quia habet diversas partes divisibiles.
Verbo stabilitas, quia citò transit, & non permanet.
Cogitationi substantialitas; à mente siquidem non nisi per modum accidentis producitur.

Verbi autem generatio est vera, simplex, permanens, semper persistens, substantialis.

Tertiò per propagationem, ut {
- Germen à semine.
- Arbor à radice.
- Proles à ventre.
- Filius ab actione Patris.

} Ita & Verbum æternum: juxta illud: {
- *Erit germen Domini in magnificentia.*
- *Lignum vitæ est iis, qui apprehenderunt eam.*
- *Ex utero ante Luciferum genui te.*
- *Filius meus es tu, ego hodiè genui te.*

Sed infinitè perfectiori modo, quàm in creatis.

Deficit enim semini speciositas, cùm sit informe & confusum.
Radici conformitas; alia enim est forma radicis, alia arboris.
Ventri actio, parvam enim actionem habet in genitum.
Filio deficit tempus; Pater enim ante Filium est in tempore.

Generatio autem Verbi est pulchra cum distinctione, conformis, æterna & necessaria. Eccè Verbi æterni generatio.

Generatio *humana* Verbi fuit ex Matre, sine Patre; Magnus, parvulus, admirabilis, consiliarius, DEUS, fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis, natus & datus.

Magnus, quia est Filius DEI altissimi.
Parvulus, quia plorans & vagiens inter arcta positus præsepia.

Admi-

Admirabilis; quia lux erat, & non lucebat.
Erat verbum DEI, & non loquebatur.
Erat fons aquæ vivæ, & sitiebat.
Erat omnia fovens, & frigus patiebatur.
Latitudo coarctatur.
Stringitur longitudo.
Altitudo humiliatur.
Potentia regitur.
Eruditur sapientia.
Indiget abundantia.
Fortitudo infirmatur.
Tristatur lætitia.
Salus patitur,
Moritur vita.
Admirabilis, quia,
In morte dat vitam.
Lætititam in tristitia.
In passione salutem.
Fortitudinem in infirmitate.
In eruditione sapientiam.
In indigentia abundantiam.
In timore fiduciam.
In coarctatione dilatationem.
In humilitate exaltationem.
Latitudinem in angustia.
In Labore amoris vehementiam.
In siti aquam vivam.
In silentio eloquentiam mellifluam.
In tenebris lucem.
In passibilitate impassibilitatem.
In mortalitate, immortalitatem.
DEUS Homo.
Consiliarius; quia factis priùs, verbis posteà, maxima salutis præbuit consilia; silens prohibet verbosas otiosasque locutiones; jacens in præsepio inhibet superbiam filiorum hominum.
DEUS fortis; quia aquam in Vinum convertit; maris fluctus calcavit; Ventis marique imperavit; verbo suo omnes sanavit infirmitates.
Pater futuri sæculi; quia JESUS salvum fecit populum à peccatis eorum.
Princeps pacis; quia in terra pacem per Angelos annunciavit hominibus bonæ voluntatis.
Natus, datus. Natus sibi, datus nobis. Datus ut DEUS; Natus ut homo. Datus nobis, Verbum incarnatum; natus nobis Sapientia increata, natus nobis, pro nobis moriturus; datus nobis semper nobis victurus; natus sibi ante omne tempus; natus nobis in plenitudine temporis; natus sibi à Patre sine Matre; natus nobis à Matre sine Patre; natus sibi creator mundi majoris; natus nobis recreator mundi minoris; natus sibi ut DEUS; natus nobis, ut DEUS & homo; natus sibi infinita pollens potentia; natus nobis infirmitatibus subjectus.

Atque in harum rerum mirabilium compendiosa narratione, mysterium consistit Incarnationis, cujus Veritatem jam per varias quæstiones Arti nostræ proprias, variaque paradigmata investigare conabimur.

QUÆSTIO I.

De Possibilitate Incarnationis.

Non nescio, Theologos hanc quæstionem prætermittere tanquam ex suppositione certam; quoniam tamen paganus nonnemo de hujusmodi ἀδυναμία seu impossibilitate dubitare posset, eum arte nostra convincemus, hoc pacto procedendo.

Quæritur itaque, utrum humana natura assumi possit à Verbo divino in unitatem personæ. Respondetur affirmativè; & primo quidem per Enneades nostras ita illud ostendo.

Omne excellenter	Bum. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Possibile est.	Sed opus Incarnationis est tale.	Bum. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Ergo est possibilis.

 Aliter.

Aliter analyticè.

Omnis {
Bonitas magna
Bonitas magna durabilis
Bonitas magna durabilis potens
Bonitas magna durabilis potens cognita
Bonitas magna durabilis potens cognita volita
Bonitas magna durabilis potens cognita volita virtuosa
Bonitas magna durabilis potens cognita volita virtuosa vera
Bonitas magna durabilis potens cognita volita virtuosa vera gloriosa
} est possibilis. } Talis est Incarnatio. Ergo.

Major ita probatur per Resolutionem.

Si non possibile esset bonum, id non esset magnum; si non magnum, neque durabile; si non durabile, neque potens; si non potens, neque cognoscibile: si non cognoscibile, neque volibile; si non volibile, neque virtuosum; si non virtuosum, neque verum; si non verum, neque gloriosum. Sed hæc dici non possunt. Ergo &c.

Aliter.

Si bonum non esset possibile, ergo malum esset, quia bonum est esse, non autem esse, malum est.

Si bonum magnum non esset possibile, ergo nec intensivè, nec extensivè magnum foret, ergo magnum malum.

Si bonum magnum durabile non esset possibile; ergo instantaneum tantùm, quod bonitati & magnitudini repugnat, & frustra foret.

Si bonum magnum durabile potens non esset possibile; ergo bonum magnum esset infirmum, debile, infructuosum.

Si bonum magnum, durabile, potens, cognitum, non esset possibile, ergo illud sub ratione boni magni non esset cognoscibile neque volitum.

Si bonum, magnum, durabile; potens cognitum volitum, non esset possibile, ergo otiosus foret intellectus & voluntas divina.

Si bonum, magnum, durabile, potens, cognitum, volitum, non esset possibile, neque ullius esset virtutis.

Si nullius virtutis; ergo nullius veritatis; si hoc; neque ullius gloriæ. Quæ omnia absurda sunt. Ergo omne bonum, magnum, durans, potens &c. possibile est.

Minor hoc pacto probatur per novem Enneadis principia, analyticè.

B. M. Illud est excellenter bonum, quod est inter omnia creata opera Dei maximum. Sed talis est Incarnatio. Ergo.

Si bonum maximum; ergo maximè durabile; si hoc, ergo summè potens; si hoc, ergo summæ sapientiæ opus; si hoc, ergo maximè cognitum & ab æterno prævisum; si hoc, ergo & summè volitum, si summè volitum, ergo summè virtuosum; si hoc, ergo summè verum, ergo summè gloriosum; Ergo Incarnatio est Bonum M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. quod erat probandum. M. D.

Et confirmatur;

Nam per talem assumptionem Mundus majorem acquirit perfectionis gradum, qui dari potest, quoniam per medium hominis, qui est omnia, cum DEO in una persona, qui Christus est, participat. Talem autem assumptionem divini Verbi cum homine non repugnare, ut nonnulli objicere possunt, inde patet, quod omnis creatura est in potentia obedientiali respectu DEI; potest enim divina potentia omne bonum in esse ponere, cùm sit omnipotens, ejusque bonitas, quæ cum potentia sua eadem est, nihil aliud intendat, nisi boni proprii diffusionem communicationemque.

Dices iterum, si Verbum divinum assumpsisset humanam naturam, jam in Christo essent duo supposita sive hypostases, divina & humana, quod est contra fidem; quia juxta Scholasticos omnis individuus homo est persona.

Respondeo negando majorem; neq; enim in divini Verbi Incarnatione convertuntur *assumens* & *assumptibile*; Nam assumens fuit DEUS Verbum, & assumptibile fuit homo non in esse individuali personali, sed specifico reali, à quo Christus prædicationem formalem recipit; Nam ut rectè Anselmus, cum in Christo profertur homo, tunc natura, quæ communis est omnibus hominibus, signatur; cum verò demonstrativè dicimus Christum hunc hominem, personam divinam, quæ proprietatum habet collectionem, quibus homo communis fit singularis & ab aliis distinguitur. Cum verò Verbum Caro factum; eam, quæ solo nomine hominis signatur, naturam assumpsit, & sic non potest hypostaticè designari

designari Filius DEI sine Filio Virginis Mariæ, nec Filius Virginis sine Filio DEI. Ex quibus clarè patet, quod hic DEUS, scilicet Christus, est hic homo, idem scilicet Christus, ex eo, quia eadem est proprietatum collectio DEI verbi, & hominis, & isto modo convertuntur in Christo. Sed jam hoc juxta Artis nostræ regulas probemus.

QUÆSTIO II.

Utrùm humana natura fuerit assumpta in esse specifico, an in individuali personali.

Respondeo, assumptam fuisse humanam naturam in esse specifico reali, non in individuali personali, aliàs enim essent in Christo duo supposita sive personæ; quod est contra fidem; & sic ostenditur per novem Enneadis principia Analyticè.

B. M. Omne bonum quantò majus est, tantò diffusius esse debet.

M. D. Et quantò majus est, tantò durabilius.

D. P. Et quantò durabilius, tantò potentius.

P. S. Et quantò potentius, tantò sapientius.

S. Vo. Et quantò sapientius, tantò perfectioris voluntatis.

Vo. Vi. Et quantò perfectioris voluntatis, tantò majoris virtutis.

Vi. Ve. Et quanto majoris virtutis, tantò verius & magis unum.

Ve. G. Quantò majoris veritatis & unitatis, tantò gloriosius esse debet. Sed hoc minime verum dici posset, si verbum assumpsisset humanam naturam non in esse specifico reali, sed individuali personæ. Ergo & quod inde sequitur.

Ratio Minoris est; Quia tunc persona humana non habuisset plenum perfectionum omnium complementum, neque idiomatum communicationem. Sed explico rem fusiùs.

SCHOLIUM I.

Fide tenemus, quod sicuti anima rationalis & caro unus est homo, ita DEUS & homo Unus est Christus, in quo humanitas ipsa divinitati Verbi unita fuit, ita ut non in se, sed in verbo subsisteret, cùm humanitas in summo gradu & in omni plenitudine perfectionis aliter esse non potuerit, nisi in divina persona filii, ut videlicet super omnem intellectus comprehensionem hanc personam concipiamus, quæ humanam naturam sibi univit. Quoniam verò DEUS ita est in omnibus, ut omnia in ipso; clarè patet, DEUM absque ulla sui immutatione in æqualitate essendi omnia esse in unitate cum humanitate Christi maxima; quoniam contractum maximum humanæ naturæ, sive quod idem est, maximus homo in eo aliter, quàm sub maxima perfectione esse non potuit ut recte & sapienter docet Card. Cusanus; & sic in Christo, qui est omnia, ex sententia Card. Cusani, essendi æqualitas est, tanquam in Filio, Pater & Spiritus Sanctus existunt, & omnia ut in Verbo, & omnis creatura in ipsa humanitate, summa & perfectissima, atque universali quadam comprehensione omnem creatarum rerum ambitum complicante, ut sit omnis plenitudo ipsam inhabitans corporaliter, eo ferè modo, quo intellectus nostri imbecillitas eam sub nonnullis similitudinum umbris concipere potest: Scimus enim, omnem sensibilem cognitionem esse contractam quandam cognitionem, eo quod sensus nisi particularia non attingat: Intellectualis vero cognitio uti respectu sensibilis absoluta, & à contractione particularium abstracta existit, ita merito universalis est; siquidem ex varia sensationis contractione variæ animalium species juxta diversos nobilitatis & perfectionis gradus nascuntur, etiamsi ad maximum simpliciter gradum non ascendamus, quia coincideret cum maximo absoluto, quod impossibile est; In specie tamen illa, quæ actu suprema est in genere animalitatis, puta humana, sensus primo ita animal concipit, ut illud quod concipitur, sit etiam intellectus; quod dum fit, sensibilis cognitionis contractio quodammodò in intellectuali natura subsistit, quia intellectualis natura existit veluti divinum quoddam separatum, abstractum, sensibili objecto remanente temporaneo & corruptibili, secundum suam naturam. Quare, quadam licet remota similitudine idem in natura humana Christi à Verbo assumpta, considerare possimus, ubi humanitas in divinitate subsistit Verbi, quoniam alio modo in suæ perfectionis plenitudine nec subsistere, nec maxima esse posset; Intellectus enim Christi, uti est perfectissimus, & penitus in actu existit, ita in divino intellectu, qui solus est omnia actu, absolutè nisi hypostatice subsistere non potest; Intellectus enim in omnibus hominibus potentialis est, omnia paulatim de potentia in actum deducens, ita ut quantò actu major est, tantò minor sit in potentia; Maximus autem intellectus Christi cùm sit terminus potentiæ omnis intellectualis naturæ in actu existens plenè & sine ulla potentiæ imperfectione, nequaquam existere per se potest, quin ita sit intellectus, ut sit & DEUS, qui est omnia in omnibus, unde in Verbi persona ut subsistat, necesse est.

Rem exemplo geometrico declaro. Sit polygona figura circulo inscripta, natura humana, circulus verò divina. Si itaque

polygonam figuram circulo inscribamus tantæ magnitudinis, ut major esse non queat, illa nequaquam in angulis finitis per se subsisteret, sed in circulari figura (est enim circulus polygonorum maximus, infinitis lateribus constans) ita quidem, ut non haberet propriam subsistendi figuram etiam intellectuali operatione ab ipsa circulari & æterna figura separabilem.

Pari ratione maximum contractum ad speciem, quæ humanitas Christi est, uti in Verbi divini persona actu subsistit, ita juxta datam contractionis speciem actu omnia est, quæ in potentia generis aut speciei illius esse possunt; quemadmodum enim maximum absolutè est omnia possibilia actu absolutè, & in hoc est infinitum absolutè, ita maximum contractum ad genus & speciem pari ratione est omnis possibilis secundum datam contractionem perfectio, qua major esse non possit, necessariò est infinita, omnem datæ contractionis naturam includens. Patet ergo, ipsum maximum contractum, videlicet humanitatem Christi non posse ut purè contractum subsistere, cùm nullum tale perfectionis plenitudinem attingere possit; neque etiam tale contractum DEUS, qui absolutus est, esse posset. Unde necessariò sequitur, esse Christum & creatorem & creaturam, absolutum & contractum, contractione videlicet, quæ non nisi in magnitudine maxima subsistere posset, non enim est, nisi una tantùm magnitudo maxima, per quam contractum dici potest maximum. Si itaque potentia maxima absolutè ipsum contractum sibi tali modo uniret, ut magis uniri salvis naturis non posset, ut ipsum sit tale servata natura contractionis, secundum quam plenitudo speciei contracta & creata est, propter unionem hypostaticam, DEUS & omnia est. Sed hæc jam per regulas nostras hoc pacto ostendamus.

Impossibile est, ut { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } In quantum est maximum contractum creatum, nisi in divini verbi natura subsistat.

Sed tale { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Humanitas Christi est, Verbo hypostaticè unita. } Ergo.

Probatur Major.

Quia, si individuam hominis personam Verbum assumpsisset, illa in se complicaret:
- Omnem bonitatem creatam.
- Omnem magnitudinem.
- Omnem durationem.
- Omnem potentiam.
- Omnem sapientiam & cognitionem rerum.
- Omnes voluntates.
- Omnes virtutes.
- Omnes veritates.
- Omnem gloriam.

Quæ omnia nulli individuali naturæ sive personali humanæ competere possunt; quia cum maximo absoluto coinciderent creatura & creator, quod est impossibile.

Probatur Minor.

Nota. *Nos hos loco pro esse specifico non sumere naturam humanam ab omnibus individuis abstractam, & sub universali quadam ratione consideratam, neque idealiter, sed in quantum natura humana indicat essentiam ipsam hominis, sive illam naturam communem, qua homo propriè constituitur homo.* Hoc posito sic probo minorem.

Si humanitas Christi Verbo unita talis non fuit, ergo defuit Christo aliquid Bonitatis Magnitudinis, Durationis, Potentiæ Sapientiæ, Voluntatis, Virtutis, Veritatis, Gloriæ. Sed hæc dici non possunt; habitavit enim in eo, Apostolo teste, omnis plenitudo divinitatis corporaliter; Ergò nihil illi defuit perfectionis; Ergo Christus summè Bonus. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. Defuisset autem illi, si Verbum DEI individuam hominis personam assumpsisset; quod uti inconveniens fuit, ita & impossibile & manifestam contradictionem involvens: fuisset enim humana natura unita Verbo, & non fuisset unita; uti ex dictis luculenter patet; Ergo humanam naturam sive essentiam speciei humanæ assumpsit, quæ uti cum tanta perfectionum plenitudine per se subsistere non poterat, ita non nisi in persona Filii DEI tanquam digniori, suppositari necesse fuit.

Dices forsan, Christus fuit hic homo, conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine; Ergo Christus fuit individuus homo, ergo perfectam sustinuit personam hominis.

Respondeo, concedendo Antecedens, negando consequentiam; Neque enim hic

Jesus

Jeſus perſonam humanam diſtinctam à perſona Verbi egit; ſed humanitas per Unionem hypoſtaticam ita Verbi divinitati fuit Unita, ut verum fuerit dicere: hic Jeſus & DEUS eſt & homo, Una perſona, Unum ſuppoſitum ſive hypoſtaſis Una, teſtante ipſa Veritate; *Ego & Pater Unum ſumus.* Et rectè S. Thomas docet, Verbum non aſſumpſiſſe perſonam humanam, ſed naturam in individuo, quod non eſt aliud à ſuppoſito increato præſtantiori, quam perſona humana; quando autem loquimur de *eſſe ſpecifico*, intelligimus ſemper illam humanam naturam individuatam in Verbo, qua omnes homines, homines ſunt, & quæ in omnibus ac ſingulis actu inexiſtit; quando verò loquimur, Verbum non aſſumpſiſſe humanam naturam in *eſſe individuali*, intelligimus ſemper eſſe perſonale hominis, neque propriè dici debet aſſumpſiſſe hominem, quia homo dicit ſuppoſitum, qui eſt terminus, & quod aſſumitur præintelligitur termino. Quæ ut paulò fuſiùs exponantur, ſit

SCHOLIUM II.

Notandum humanitatem Chriſti Verbo hypoſtaticè unitam, cùm ſit contracta præciſio terminationis, naturæ illius ſpeciem non exire; Simile quippe à ſimili generatur, & hinc ſecundum naturæ proportionem procedit genitum à genitore; terminus autem cum careat termino, caret conſequenter omni limitatione & proportione; Quarè homo maximus, cujuſmodi Chriſtus eſt, quoad vim naturæ non eſt generabilis, neque etiam omninò carere poteſt principio ſpeciei, cujus ultima exiſtit perfectio; partim igitur ſecundum humanam procedit naturam, quia homo, & quoniam eſt altiſſimum principiatum, immediatè omnium principio unitum, tunc ipſum principium, à quo eſt immediatè, ſe habet ut creans, generans aut Pater; principium verò humanum ſe habet ut paſſivum, utpote quod materiam receptibilem ſubminiſtrat; Quare à matre ſine virili ſemine genitus; Omnis autem operatio ex Spiritu & amore quodam procedit, uniente activum paſſivo; Atque hinc maxima operatio ſupra omnem naturæ proportionem, per quam creator unitur creaturæ, ex maximo uniente amore procedit, & à Spiritu Sancto, qui abſolutus amor eſt, neceſſariò exiſtit, per quem ſolum, ſine agentis contracti adminiculo, infra latitudinem ſpeciei, Mater concipere potuit Filium DEI Patris; & ſicuti Pater Spiritu ſuo formavit omnia, quæ de nihilo ab illo in eſſe prodierunt, ita principaliùs, hîc egit eodem Sancto Spiritu, quando perfectiſſimè operatus eſt.

Sed explicemus hæc per remotam quandam ſimilitudinem. Ita comparatum eſſe novimus ſubtilibus Doctoribus, ut quando Verbum intellectuale ac mentale ſuis volunt manifeſtare diſcipulis, hoc unicum curant, ut conceptus mentis ſive intellectuale verbum per vocem indicent, cum ſine ſenſibili ſigno inſenſibilem mentis conceptum diſcipulis aperire aliter nequeant; ſit autem hoc per naturalem Doctoris Spiritum, qui ex attracto aëris halitu vocalem format ſpeciem, mentali verbo congruam, ita verbo intellectuali unitam, ut vox ipſa in ipſo verbo ſubſiſtat, ut hoc pacto auditores mediante voce verbum internum attingant. Sub hac ſimilitudinis tametſi remotiſſimæ umbra, Pater æternus dum ex immenſa bonitate ſua, nobis ſibi complacuit divitias gloriæ ſuæ ad omnem ſcientiæ & ſapientiæ plenitudinem oſtendere, verbum æternum Filium ſuum, ſenſibili & nobis ſimili forma humana natura induit per Spiritum Sanctum ſibi conſubſtantialem, qui quidem Spiritus quaſi vox ex aëre attracto per inſpirationem de puritate fœcunditatis virginalis ſanguinis, corpus ipſum animale contexuit, rationem ei adjiciens, ut homo eſſet verbum DEI Patris, & adeò internè counivit, ut ſubſtantiæ humanæ naturæ centrum exiſteret, quod quidem operatione momentanea, ſupra omne tempus, ſecundum voluntatem conformem infinitæ potentiæ peractum eſt; Hanc autem matrem tantam, virtutibus divinis plenam, quæ materiam ſubminiſtravit, nemo dubitare debet, omnes Virgines omni virtutum perfectione exceſſiſſe, & inter omnes mulieres fœcundas excellentiorem benedictionem habuiſſe; Ipſa enim, quæ ſuper omnia creata, ad tantum tamque excellentem partum Virginalem à DEO præordinata fuit, omnibus iis ex debito carere debuit, quæ aut puritati, aut vigori ſimul & Sanctitati adeò excelſæ tam excellentis partûs quovis modo obeſſe potuiſſent; Si enim præelecta Virgo non fuiſſet, quomodò ad partum ſine virili ſemine apta fuiſſet? Si ſanctiſſima & ſuperbenedicta à Domino non fuiſſet, quomodò Spiritus Sancti Sacrarium, in quo DEI corpus effingeret, facta fuiſſet? Si poſt partum virgo non remanſiſſet, prius ſanè excellentiſſimo partui, prærogativam maternæ fœcunditatis in ſua ſuprema puritatis perfectione non communicaſſet, ſed diviſivè & diminutè ſecus ac tantum Filium unicum & ſupremum decuiſſet. Si ergo Virgo Sanctiſſima ſe totam DEO obtulit, hic certè Spiritus

Sancti operatione etiam omnem fœcunditatis naturam ei penitus communicavit: adeo ut in ipsa, immaculata Virginitas ante partum, in partu, & post partum supra omnem naturalem communem generationem incorrupta permanserit. Ex Patre ergo æterno & Matre temporali, Virgine scilicet, DEUS & homo Jesus Christus natus est; ex Patre maximo & absolutè perfecto; ex Matre Virginali, fœcunditate, suprema benedictione, referta, in temporis plenitudine; non enim potuit esse homo ex Virgine Matre, nisi in tempore, neque ex Patre DEO Filius nisi ab æterno. Fuit igitur verus DEI Filius, & verus Virginis Filius, qui ab ea materiale & terminatum corpus assumpsit; aliàs enim verus homo dici non posset; neque tamen animam & intellectum prius aut contra assumpsit, sed omnia simul in instanti temporis; aliàs enim homo, qui anima & corpore constat, assumptus dici non posset, potuissetque assignari tempus aliquod, quo DEUS non fuisset homo, sed vel corpus tantùm, vel anima; Unio autem hæc admiranda, quam hypostaticam vocant, in persona Verbi, non in natura sive essentia divina, facta fuit, sed in persona Verbi, neque tamen ideo illa in corpoream conversa dici debet, cum divina sit immutabilis; humana verò dicitur caro deificata, non DEUS; neque unio sese habet ut materia & forma, nec unita accidentaliter, nec sicut tertium quoddam, neque compositum quoddam, nisi per modum numeri, in quò duo conveniunt. Sed hæc sufficiant; quare ad alia.

QUÆSTIO III.

Utrum Incarnatio Christi fuerit necessaria.

Magna hîc Theologorum contentio. Sunt nonnulli, qui asserunt. Adamo non peccante, Christum non fuisse incarnatum; atque adeò incarnationem non fuisse necessariam; quia homine non peccante, non fuisset morbus, & consequenter nec medicina. Alii alias congruentias potiùs, quàm veras rationes comminiscuntur; nos non secundum quid, aut ex necessitate naturæ absolutè, sed necessitate medii, asserimus fuisse necessariam incarnationem; posito tamen divino decreto, quo per eam naturæ lapsæ statum reparari voluit. Neque enim absolutam necessitatem hîc ponimus, sed verius conditionatam, ne libertatem DEI constringere videamur. Id ergo juxta regulas nostras Combinatorias hoc pacto ostendimus.

B. M. D. Omne bonum quantò majus est, tantò magis, ratione finis qui intenditur, est necessarium, & gloriæ divinæ promovendæ magis consentaneum esse debet.
Tale bonum est Incarnatio. Ergo magis fuit necessaria, ratione finis.

P. Omne bonum quantò majus est, tantò potentius, & quantò majus potentiusque, tantò magis est necessarium.
Sed Incarnatio, in una persona DEI Verbi, est majus potentiusque bonum, quod naturæ lapsæ restaurandæ dari potest. Ergo.

S. Quicquid est summè & infinitè intelligens, intelligit & in esse ponit magis necessarium majusque bonum quod dari potest, ad humani generis salutem reparandam.
Sed DEUS est summè intelligens. Ergo in esse ponit majus bonum, magisque necessarium ad salutem humani generis reparandam, quæ est Incarnatio.

Vo. Omne bonum maximum, ut intellectum & volitum, est summè necessarium ratione finis, quæ est glorificatio hominis.
Talis est Incarnatio. Ergo.

Vi. Omne bonum majus, virtutum omnium perfectione plenum, ut maximè est appetibile ita summè quoque necessarium est; sed Incarnatio est bonum, quo majus dari non potest, virtutum omnium perfectione plenum. Ergo illa uti maximè appetibilis; ita & ad salutem humani generis maximè necessaria est.
Talis est Incarnatio. Ergo.

Ve. Omne majus bonum, verum, intellectui divino maximè conforme, in esse poni debuit ratione medii, quo salvaretur humanum genus.
Sed nil ratione medii, melius, magis necessarium, & intellectui divino conformius esse potuit Incarnatione; Ergo ratione medii ad finem consequendum quæ est humani generis salus, summè necessaria fuit.

G. Omne bonum quantò gloriosius & gloriæ divinæ promovendæ conformius, tantò magis in esse poni debet.
Talis est Incarnatio. Ergo.

Aliter.

Aliter.

B. M. Quandocunque aliqua sunt idem, ad quot se extendit unum, ad tot sese extendit & alterum.

B. M. Vo. Sed bonitas, magnitudo & voluntas divina sunt idem realiter.

Ergo ad quod se extendit unum, ad id & alterum.

Sed voluntas vult (ex suppositione præsentium decretorum Incarnationis Verbi) majus bonum quod dari potest ad extra in creaturis in tali ordine.

Ergo magnitudo est ratio DEI, ut ipsum magnificet, & bonitas, ut bonificet. &c.

Major de se nota est; alioquin sequeretur, rationes divinas non identificari secundum rem, si aliæ aliis deficerent in operationibus extrinsecis, quod impossibile est.

Minor probatur. Nam voluntas necessariò vult id, quod est majoris bonitatis, magnitudinis, potentiæ & perfectionis.

Sed hæc est Incarnatio; Ergo eam necessariò (ex suppositione decreti divini) vult. Ergo est necessaria.

Iterum. Omne illud, per quod perfectiones DEI melius cognoscuntur & discernuntur, & sub sensum cadunt, est necessarium.

Sed hoc fit per Incarnationem. Ergo.

Major patet. Quoniam aliter DEUS nollet à creatura Mundi intelligi, nec intimè amari, quod est impossibile, & contra bonitatem & magnitudinem DEI.

Minor probatur. Nam per Incarnationem apparet claritas DEI interior foris in magna bonitatis multiplicatione; dum per DEUM visibilem invisibilis majestatem cognoscimus; & ita probatur.

Illud est maximè necessarium, per quod infinita DEI bonitas, magnitudo, potentia, virtus, veritas, gloria, meliùs cognoscuntur.

Sed per actualem unionem divinæ naturæ Verbi cum humana meliùs cognoscuntur dictæ perfectiones, quàm per potentialem.

Ergo Incarnatio maximè necessaria est, ad gloriam suam manifestandam mundo.

Siquidem per Incarnationem omnes perfectiones DEI ad extra, finem & quietem attingunt, ut ita loquar, quod non fieret, si incarnatio non esset; Nam dato quocunque alio effectu ab Incarnatione, DEUS posset majorem facere, & sic in nullo, dempta Incarnatione, quiesceret; atque adeò hoc pacto creatura major esset in recipiendo, quàm DEUS in dando; & DEUS videretur invidus & avarus, quod est contra suam bonitatem infinitam, & ex se & sua natura diffusivam sui. Ergo Incarnatio (posito divino decreto) est necessaria.

Iterum. Unaquæque causa exaltat suum effectum, quantum potest.

Sed DEUS est causa causarum universalissima.

Ergo debuit effectum suum exaltare, quantum poterat, ne defectuosum quid & confusum inde nasceretur. Sed in Incarnatione DEUS exaltavit effectum suum, quantum potuit. Si non; ergo defectuosa fuit Incarnatio, quod est impossibile.

Unde Concludo, Incarnationem esse maximum bonum, quo majus dari non potuit, quod ita ostendo.

B. B. M. B.	Omne Ens habens in se totius bonitatis complementum, id magnum bonum est.	Tale est, divinæ & humanæ naturæ in unitate personæ verbi conjunctio, salvis & distinctis sine confusione naturis. Ergo.
B. M. M. B.	Omne Ens habens in se quidquid excellentiæ & magnitudinis excogitari potest, magnum bonum est.	
B. D. B.	Omne Ens secundum quid consideratum, & in suo genere, tantò durabilius est, quantò majori perfectione præditum est.	
B. P. Vi.	Omne Ens quantò potentius, tantò nobilius & virtuosius est.	
B. S. M. B.	Omne Ens, quod complicat in se sapientiam DEI infinitam, virtutem, veritatem, gloriam, illud maximum bonum esse, necesse est.	
B. M. D. Vi.	Omne quod in se omnem perfectionem possibilem complicat, bonum durabile & virtuosum est.	

Major de se nota est, ut patet per ejus oppositum. Nam Incarnatio dicit naturam divinam & humanam in unitate suppositi unitas & inter se distinctas, quæ quidem omnem perfectionem quamlibet in suo genere dicunt; & patet per areolam M. D. ♡. M. Nam Incarnatio Filii DEI est in magna duratione concordantiæ, quà humana divinæ naturæ unitur in unitate personæ Verbi, salvâ naturarum distinctione.

Atque

Atque ex his patet neceſſitas Incarnationis Chriſti, ratione finis propoſiti, quæ eſt ſalus & glorificatio humani generis.

Si quis porrò per regulas quæſtionum ulterius hæc inveſtigare velit, is ita procedet; & primò quidem quæri poſſet: *Quare* DEUS ſit incarnatus. Reſpondeo, propter ſeipſum & gloriam ſuam. Quod ita probo.

Per Quare?

Quicquid divinus intellectus intelligit glorificationi ſuæ congruum, illud potentia ejus in eſſe ponit.

Sed intellectus divinus intelligit Incarnationem Verbi glorificationi ſuæ maximè eſſe congruam.

Ergo eam in eſſe ponit. Quia hoc pacto creatura removetur à ſtatu ſuo caduco & ignorantia, & ad tam ſublimem ſtatum reducitur, ut mereatur conformis fieri imagini Filii DEI, & quodammodò deificari.

Major patet. Minor probatur. Quia aliàs fine ſuo privaretur, quæ eſt DEI hominiſque glorificatio. Ergo. Neceſſè enim eſt, ut DEUS per ſuam potentiam tantum poſſit, quantum ſapientia poteſt repræſentare; ex opere enim omnium poſſibilium maximo, nobiliſſimo, & excellentiſſimo, divinæ poteſtatis operatio intrinſeca in opere extrinſeco, quæ Incarnatio eſt, quàm maximè manifeſtatur, ſine qua aliàs eſſet otioſa; intendit enim DEUS per ipſam medium quoddam inter DEUM abſolutè & hominem, quod eſt Chriſtus Verbum incarnatum. Quæ omnia fuſiùs per conſequentia prædicata eſſentialia Artis noſtræ deduci poſſunt.

Per Quantum.

Secundò quæri poſſet: An in Incarnatione in conſiderationem veniret, *quantum*, ſive *quantitas prædicamentalis?* Reſpondeo quod ſic, & quidem fuiſſe neceſſariam; quod ita probo.

Illa quantitas neceſſaria eſt, qua non mediante ſubſtantia aliqua remanet inſenſibilis.

Sed non mediante carne ſive corpore humano quanto, Verbum incarnatum non fuiſſet ſenſibile.

Ergo quantitas ad Incarnationem maximè neceſſaria fuit.

Major eſt nota. Quia ſecus, Chriſtus verè homo viſibilis dici non poſſet; & ita probatur.

Omne illud, ratione cujus Incarnatio DEI Verbi eſt quanta, eſt neceſſarium, & per conſequens ſenſibile.

Sed illud eſt Verbum Incarnatum, in quo duæ naturæ, videlicet ſpiritualis & corporea, divina & humana, in unum copulantur.

Ergo & Incarnatio Verbi, quoad humanam naturam neceſſariò eſt quanta, non verò quoad divinam, quia eſt intermina, immenſa & indiviſibilis.

Quæ omnia iterum innumeris modis oſtendi poſſunt ex Tabula Univerſali; hìc enim unum exemplum dediſſe ſufficiat.

Ad Quæſtionem de, *Quale*, ſic argui poteſt. Suppono primò, non eſſe abſurdum aſſerere, DEUM quoad rationes ſuas formales ſub ratione bonitatis, magnitudinis voluntatis, virtutis, veritatis, ſuo modo qualem dici poſſe, abſque tamen qualitate prædicamentali & proprii generis, cùm DEO tales qualitates ob contrarietatem non competant; quoad humanitatem tamen in Chriſto illa tum ſubſtantialiter, tum accidentaliter, ſpectari poſſunt, & in genere entis & moris, ita ut Chriſtus verè bonus, juſtus, miſericors, clemens, ſanctus dici poſſit, & hoc pacto in Incarnatione qualitas conſiderari debet, ut quæ in DEO ſunt ſubſtantialiter, in humanitate Verbi ſint accidentaliter. Unde ſic argumentor.

Per Quale.

Ubicunque dantur virtutes morales, ibi dantur & qualitates.

In Chriſto dantur virtutes morales.

Ergo & qualitates. Ergo in Incarnatione verè & propriè qualitas dari poteſt.

Ubicunque datur frigus & calor, ibi dantur qualitates phyſicæ.

Chriſtus frigus & æſtum paſſus eſt.

Ergo in Chriſto dantur calor & frigus, qualitates phyſicæ.

Haud ſecus per abacum combinatorium in primo libro deſcriptum, innumeræ argumentorum ſedes, quibus in Chriſto qualitates fuiſſe demonſtrantur, inveniuntur.

Quæritur quartò. Utrum Incarnatio DEI *ſub tempus* cadat. Reſpondeo quod ſic, & ita argumentor.

Per Regulam Quando.

Omne {B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.} Communicatum à DEO ad extra, in tempore fieri neceſſe eſt. } Incarnatio eſt bonum maximum, communicatum à Deo ad extra. } Ergo.

Quia

Quia in Incarnatione, DEUS Verbum, non ponit tempus per ſe, ſed ponitur in tempore, in quantum ſe hominem facit; ſi enim non poneretur in tempore, hominem induiſſe dici non poſſet, ſed eſſet homo æternus, quod implicat; ineſt enim tempus Incarnationi ſub ratione naturæ humanæ, & non ſub ratione divinæ; veritas enim verificat virtutem in humanitate, incarnando ſine tempore, ſub ratione Deitatis, & cum tempore, ſub ratione humanitatis.

Per Regulam *Ubi?* Quæritur Quintò. An Incarnatum Verbum ſit *Ubique?* Reſpondeo, divinitatem & humanitatem talem habere ſub propriis ipſarum rationibus in Incarnatione proportionem, ut DEUS Filius verè ſit homo, & homo verè ſit DEUS; Unde ſequitur, Verbum quod eſt DEUS homo, ſit ubique, & in omni tempore; Homo tamen DEUS ſit in loco ſpecifico & determinato, ſeu quod idem eſt, Incarnatum verbum ſit ubique ratione Deitatis; ſit vero in loco ſpecifico & determinato ratione humanitatis; Unde ſequitur utriuſque naturæ quietudo, quoniam ſub ratione minoritatis Incarnatio de humanitate finita eſt & loco comprehenſa; ſub ratione verò majoritatis Incarnatio eſt de Divinitate, quæ uti immenſa eſt, ideò concludi neſcia, omnia implet; Unde ſic argumentor.

Sicuti omni principio increato competit, nulli loco affixum eſſe, ita principiato creato ex naturæ ſuæ exigentia propriè competit locus ſpecificus corporeus & determinatus.

Sed in Incarnatione principium increatum eſt DEUS Verbum, & humanitas principiatum.

Ergo in Incarnatione principium increatum DEUS Verbum nulli loco affixum eſt, utpote quod immenſitate ſua omnia implet, principiata verò humanitas Verbo unita, ut loco ſpecifico determinetur, neceſſe eſt.

Major probatur. Si enim Verbum ratione humanitatis eſſet ubique, ſequeretur, maximum contractum, cujuſmodi eſt humanitas Chriſti, cum maximo abſoluto coincidere; illudque adæquare, quod impoſſibile eſt, & per noſtra principia ita deducitur.

Nullum creatum	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Quantumvis ſub ratione contracti maximi conſideratur, pertingere poteſt ad abſolutam & increatam	B.rem. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Sed hoc fieret, ſi humanitas Chriſti contractum maximum eſſet ubique.
Nam Creata	B.s. M.o. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Pertingeret ad abſolutum	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	Quod impoſſibile eſt. Ergo.

Esset enim humanitas Christi infinitè bona, immensa, æterna ex se & sua natura omnipotens, omnisciens, omnivolens, infinitè virtuosa, vera, gloriosa, quæ humanitati nisi sub dictis rationibus competere non possunt; est enim Christus Patri coæqualis secundum divinitatem; minor Patre secundum humanitatem, uti ex *Symbolo* constat.

Quando itaque dicitur, *Christum esse omnipotentem*, *omniscium* &c. illa omnia in quantum humanitas ejus in divina Verbi persona subsistit, intelligenda sunt.

Per Quomodo. Quæritur Sextò. *Quomodo* DEUS naturam humanam assumpserit? Respondeo, Modum Incarnationis esse, unire bonitatem, magnitudinem, potentiam, sapientiam in humana natura, in unitate personæ Verbi, utrâque naturâ salvâ; unde factum est, ut DEUS sit homo, & homo DEUS; & ita probatur.

G.M.♡. Nulla gloria magna dari potest absque concordantia.

In Incarnatione Verbi divini est gloria magna, qua major dari non potest intensivè & extensivè.

Ergo est cum concordantia duarum naturarum in unitate personæ.

Major est nota; Quia concordantia unit, contrarietas verò disunit. Minor patet quoque, quia est ultimus finis, in quo omnia quiescunt & gloriantur, & ita probo.

⊙. Omne medium arguit extrema in esse unito.

Incarnatio est medium conjunctionis duarum naturarum, divinæ & humanæ.

Ergo requiritur ut uniatur, ut tale medium sit subjectum influxus & refluxus principii & finis.

Ex hac enim facta fuit unio duarum naturarum, & consequenter secuta Incarnatio.

Corollaria dictorum.

Hinc sequitur primò, Unionem duarum naturarum non esse factam in essentia, sed in persona Verbi; neque duæ naturæ unitæ se habent per modum materiæ & formæ, essent enim in potentia, neque unitæ sunt accidentaliter, quia Christus non fuisset univocè homo, sed per accidens, sed faciunt tertium quid; neque divina natura in carnem conversa dici potest; dici tamen potest caro *deificata*, id est, *facta* DEI per assumptionem, non DEUS; neque composita dici potest per modum partium, sed per modum numeri, in quo duo conveniunt.

Secundò, Unionem hanc in ratione humanæ naturæ fuisse quid creatum, quia fuit in tempore; in divina verò, rationis tantùm, quia non fuit mutata; neque unio hæc assumptio est, quia natura divina dicitur unita, non assumpta, unio importat relationem, assumptio actionem vel passionem; item assumptio est in fieri, unio in facto esse; Hinc Pater & Spiritus Sanctus uniunt, non assumunt, Filius utrumque præstitit.

Tertiò sequitur, ex unione hac hypostatica Scientiam in Christo fuisse participatam per lumen à natura divina; Christus enim per unionem erat beatus beatitudine increatâ, quia DEUS; & creatâ, quoad animam; Unde Scientia Christi ex parte animæ fuit infusa, quia cognovit res per species intelligibiles menti proportionales; neque tamen hac scientia comprehendit divinam essentiam, quia *finita*; Cætera verò omnia præsentia, præterita & futura imò infinita, quæ sub creaturæ potentiam cadunt, nôrat, non tamen omnia quæ DEUS potest, novit; quia comprehenderet divinam potentiam, quod implicat; Sicuti tamen intellectus possibilis per infusam omnia scivit, ita intellectus agens per acquisitam & experimentalem omnia scire debuit, ne quicquam Christo ad perfectionem, omnium complementum deesset.

Sequitur quartò. Animam Christi non fuisse omnipotentem simpliciter & absolutè, quia hoc proprium est DEI; sed in quantum instrumentum fuit divinitatis, omnia potuit, quæcunque voluit in Cœlo & in terra; juxta illud: *Data est mihi* &c. Unde simpliciter non potuit aliquid ex nihilo creare per se, aut creatum in nihilum reducere; quia hoc creato agenti non competit, sed soli DEO; uti tamen unita Verbo, instrumentaliter omnia potuit.

Atque hæc de Incarnationis mysterio sufficiant.

ARTIS MAGNÆ SCIENDI, *SIVE* COMBINATORIÆ, LIBER SEPTIMUS,

Paradigmata Artis nostræ ex Metaphysicâ, Logicâ seu Dialecticâ, Physicâ, Medicinâ, exhibet.

SECTIO I.

Metaphysica applicata.

CAPUT I.

Definitio Entis.

Metaphysica est Sapientia de Ente, in quantum Ens est, & de annexis ei modis entis communibus, primis principiis & primis causis. Aristoteles eam altissimarum rerum abstractissimarumque scientiam definit. Alii philosophiam primam, eò quòd rerum prima principia & causas inquirat. Sunt qui eam Theologiam quoque naturalem definiunt, eò quod, quantum lumine naturæ fieri potest, de rebus immaterialibus, incorruptibilibus & actibus puris tractet. Nos principiorum, tum absolutorum, tum respectivorum, in Arte nostra contentorum, Scientiam asserimus; Cùm nihil in universa Metaphysica consideretur, quod ad ea non revocetur, uti posteà patebit. Est autem potissimus & ultimus indagationis nostræ Metaphysicæ scopus nihil aliud, quàm DEI substantiarumque ab omnibus sensibilium rerum umbris separatarum per prima & absoluta Artis nostræ principia acquisita cognitio; siquidem mens nostra, dum adeò absoluto ordine in rerum natura omnia connexa colligataque intuetur, quiescere minimè posse videtur, nisi ad altiorem considerationem animum erexerit suum, videlicet, ad Opificem illum supremum, unum, & illud, quod est semper, quod nunquam fuit aliud, nec futurum est, quódque nihil aliud est, quàm DEUS UNUS, qui sine principio, omnium principium, sine medio & fine, finis omnium, à quo, per quem, & propter quem, & ad quem omnia. Ex naturalium itaque sensibiliumque rerum concatenatione paululum mens altius ad invisibilium insensibiliumque rerum cognitionem, veluti divinioris portionis igniculis agitata exardescit; atque ex his semper ad alia majora & præstantiora transiens ob ingenitam quandam ejus imbecillitatem & divinitatis præstantiam, quam indagat, dum invia omnia reperit, torquetur, angitur, luctatur cum intelligentiis, quas si ordine rectè ad unum direxerit, optatum tandem consequitur finem.

Quamdiu autem per illas rerum varietates & typos, ut in labyrintho quodam animum sine superni luminis affluxu exercuerit, tam diu in Metaphysica vacillabitur, & mirum in modum angetur torquebiturque abditâ illa prorsus & occulta ab humanis sensibus rerum naturâ, quæ tantò occurret difficiliùs, quantò quis longiùs à via cognoscendi verum illud & supramundanum UNUM, aberraverit; ut proinde mirum non sit, Aristotelem in tot anfractus,

in tot ſcopulos impegiſſe, tot difficultatum fluctibus jactatum fuiſſe; uti enim lumen rationis tantùm ſecutus eſt, ita vera DEI cognitione deſtitutus pervenire non potuit ad illud ſummum & UN-OMNIA, quod tam anxiè quæſivit; atque adeò certum ſit, ibi Chriſtianam incipere philoſophiam, ubi philoſophorum veterum anchoram ſuprema figebat cognitio.

Objectum Metaphyſicæ. Atque ut ad propoſitum nobis thema redeamus. Conſiderat itaque Metaphyſica univerſalia rerum principia ſummè abſtracta, & quantum fieri poteſt, genera generaliſſima, ut poſſit hos rerum humanarum exiſtentiumque diſperſos rivulos ad quaſdam origines & fontes reducere, & reducta ad unum contrahere, & unum illud cognoſcere, quod eſt omnia.

Materia ejuſdem. Ideò ejus materia *Ens unum* eſt, quod mente tantùm concipitur in ſe, diviſum in alia duo, *Subſtantiam* & *Accidens*; quæ poſtea per modos eſſendi in abſtracto, hoc eſt generaliter ſine concreto individuo, cui inhæreat, conſiderat. In ente Accidentis conſiderat novem modos, quos prædicamenta Logici vocant; & ſunt: *Quantitas, Qualitas, Relatio* &c. Alia abſtracta univerſalia, potentiam ut materiam, actum ut formam, neceſſarium, contingens, dependens, independens, finitum, & infinitum utrumque in ſuo eſſe contemplatur; & cùm omnis demonſtratio maximè à communibus & poſtea ex propriis principiis dependeat; hinc in ſua theoria tranſcendentia potiſſimum inquirit.

Subjectum itaque Metaphyſicæ juxta univerſalem contemplationem, *Ens* eſt in abſtracto; In concreto verò ente, & particulari, pro modo concretionis eſt ſingularium doctrinarum; ſic de ente mobili tractatPhyſicus; Mathematicus de ente quanto; Logicus de ente uti per operationes intellectus dirigibili; & ſic de cæteris.

Unde patet, Metaphyſicam verſari circa omnia, circa difficillima atque à ſenſibus remotiſſima, cognitione certiſſima, omniumque ad prima principia cauſaſque reductione: Enti verò cùm ſubſtantialiter certi quidam, quos modos alii, alii proprietates & paſſiones, vocant, inſint, illas tanquam cum ente convertibiles unà conſiderat; cujuſmodi ſunt: Unum, Verum, Bonum, Res, Aliquid; quamvis Res commodè ad Ens, & Aliquid ad Unum revocari poſſit; quæ omnia fuſè primo Libro expoſita ſunt. Verùm ut totius Metaphyſicæ typum ob oculos habeas, hîc tum Entis, tum ejuſdem proprietatum diviſiones, definitioneſque ob oculos ponam Curioſi Lectoris.

CAPUT II.

Diviſio Entis in genere tranſcendentali.

1. *Unius Diviſio.*

Aliud *eſt* Ens per *ſe* { *Increatum*, ut DEUS. / *Creatum*. Quodlibet per ſe exiſtens. }

Aliud per *accidens*. Et triplex eſt.

1. *Subjectivè* in intellectu ens eſt, ut accidens in ſubjecto, uti habitus ſcientifici.
2. *Objectivè* in intellectu, ut color in viſu eſt objectivè, in muro ſubjectivè.
3. Ens *rationis*, quod iterum duplex. { *Fictum*. Ut chimæra. / *Non fictum*. Uti Univerſale, ad quod omnia, quæ per abſtractionem fiunt, revocantur. }

Habet autem Ens annexas proprietates: *Unum, Verum, Bonum*; de quibus ordine.

DE UNO.

Unum Ens eſt in ſe indiviſum, & à quolibet alio diviſum; Ita homo dicitur eſſentialiter unus, & ratione eſſentiæ indiviſus, licet quoad individua entitativè dividatur.

Eſt verò unum *per ſe*, & unum per *accidens*; Unitas verò in quantum multitudinem ad unum contrahit, dicitur Totum; quod noncuplex eſt juxta novem principia.

1. Totum *perfectionale*, ſive perfectum abſolutum, ut DEUS, perfectiſſimum individuæ ſubſtantiæ complementum. Non enim componitur, neque ex eſſe & eſſentia; neque ex actu & potentia, neque ex materia & forma. Ad B. revocatur.
2. Totum *eſſentiale*, continet in ſe plura realiter conſtituentia unam actu eſſentiam; vel ex actu & potentia, ſive ex eſſe & eſſentia, ut in Angelis; ſive ex materia & forma, ut in corporeis. Ad B. revocatur.
3. Totum *integrale* ſeu quantitativum, reſultat ex partibus integrantibus totum. Differt ab eſſentiali, quia ſublata parte eſſentiæ deſtruitur totum, ſecus in toto integrali. Ad M. revocatur.
4. Totum *potentiale* eſt, quod habet potentias diverſas à ſubjecto vel ſubſtantia, in qua operationum principia exiſtunt. Sic anima eſt totum potentiale reſpectu facultatum ſuarum. Ad P. revocatur.

5. Totum

Ad S. revocatur. 5. Totum *universale*, est unum quoddam ad multa pertinens; hoc est, vel in *causando*, ut DEUS, Sol: vel in *signando*, ut conceptus plura connotans; vel in *prædicando*, ut conceptus speciei pluribus inesse aptæ; & hoc iterum vel est *analogum*, vel *univocum*, vel *æquivocum*.

6. Totum *numerale*, est collectio unitatum totum ipsum numerantium; ut ternarius.

7. Totum *individuale* est unum numero quod divisionis expers; ut Petrus.

Ad Vo. revocatur. 8. Totum *finale*, cui nihil ad quietem deest.

Ad G. revocatur. 9. Totum *morale*, cui nihil ad felicitatem deest.

Vides, quomodo hoc totum multiplex ad principia nostra revocari possit.

DE VERO.

Altera passione Entis.

Veritas est Congruentia rei cum intellectu, id est conformitas omnis rei artificialis ad intellectum divinum & humanum, uti & intellectûs humani ad rem naturalem & artificialem; Nam res naturalis non habet suum esse ab intellectu, sed hic ab illa accipit ideam. Econtra domus vera dicitur, quæ est conformis intellectui artificis. Dicitur in Definitione *Conformitas*, quia omnis veritas est conformitas, non contra. Dicitur *rei*, ad excludendum figmenta.

Veritas itaque cùm sit transcendens, nihil reale vel positivum super Ens addit, nisi tantùm relationem rationis, neque hîc transcendentali modo sumpta, accidens dici potest; si enim esset accidens, tunc vel ipse DEUS subjectum accidentium foret; unde & econtra nullum accidens transcendens dici potest; foret enim cæteroquin accidens ante subjectum, quæ est substantia, causatum ante causam, quod impossibile est. Et Arist. 7. Metaph. scitè probat.

Est autem veritas alia *incomplexa*, transcendentalis, concepta, primamque ambit operationem intellectûs, qua mens simpliciter speciem intelligibilem concipit repræsentantem rem extra mentem positam, cui opponitur ignorantia.

Alia est *complexa*, quæ secundam intellectûs operationem ambit; & conceptam veritatem rebus accommodat, & cum illis componit, aut ab iis dividit; Quæ quidem compositio & divisio si cum rebus consentit, vera est; sin minus, falsa, ideoque huic veritati falsitas propriè opponitur.

DE BONO.

Tertia passione Entis.

Bonitas est perfectio Enti conveniens, vel est perfectio rei connotans convenientiam; sunt enim bonum & perfectum idem, & materialiter & formaliter; neque hoc loco perfectio sumi debet per modum accidentis aut qualitatis, ut in moralibus fit, sed est essentialis & substantialis, cum ente convertibilis. Hoc pacto diabolus bonus est, non in genere moris, sed naturæ. Malum namque, rei entitatem non ingreditur, nec bono transcendentali opponitur, nisi privativè, in quantum malum est privatio perfectionis debitæ in esse.

Post tres passiones entis, quæ sunt *Unum, Verum, Bonum*, sequuntur deinde alia, quæ in Metaphysica considerari possunt; & primò sunt contemplationes de *Potentia* & *Actu*, de *Causa* & *Causato*, de *Necessitate* & *Contingenti*, quæ paucis pariter exponemus, ut Artista subsidium quoddam reperiat, felicius in Artis speciminibus exhidendis, progrediendi.

In entibus essentialiter divisis primò occurrit ens actu, deinde ens potentiâ; actus dicit rei actualem existentiam; potentia possibilitatem rei actu non existentis, sive aliquid connotat; estque potentia vel activa vel passiva; intellige potentiam transcendentalem, non quæ in Categoriis qualitas dicitur.

Potentia *activa* est principium transmutandi in aliud in quantum aliud; estque vel infinita vel finita.

Potentia DEI dicitur, qua DEUS omnia ea potest, quæ rationem factibilitatis habent & contradictionem non involvunt; hinc multa divinæ potentiæ non subjiciuntur propter impotentiam in ipsis rebus tantùm fundatam; nam impossibilia posse, non est posse, sed non posse; neque DEUS defectus sed effectus producere potest, quæ sunt potentiæ; non impotentiæ signa. Ordinaria DEI potentia operatur secundum communes leges & causas in universitate naturæ positas.

Rursus potentia finita, est vel rationalis vel irrationalis. Rationalis vel est eliciens vel imperans; ut intellectus & voluntas, vel exequens, ut appetitus sensitivus, locomotiva potentia.

Irrationalis est, vel sensitiva seu animalis, vel vegetativa, vel elementaris; quibus addi potest obedientialis, quæ exequitur imperium superioris agentis, uti DEI, utentis rebus creatis veluti instrumentis ad supernaturales effectus producendos.

Potentia *paſſiva* eſt principium in re, quo quidpiam pati poteſt ab altero, quatenus alterum; eſtque naturalis vel obedientialis; Increata enim potentia paſſiva DEO non convenit, cùm impaſſibilis ſit; naturalis eſt vel ſubſtantialis vel accidentalis; ſi actum reſpicit ſubſtantialem, ſubſtantialis; ſi accidentalem, accidentalis eſt; Unde patet, omnes res creatas ſive corporeas, ſive incorporeas, compoſitas dici ex potentia & actu, ut Angeli, materia prima, omnes formæ & accidentia; Materia prima ex eſſe & non eſſe, Angeli ex eſſe & eſſentia.

2. Sequitur modò de actu, qui dirigitur ad potentiam eamque perficit; Dividitur autem in purum & non purum; ille nullius naturæ communicationem habet, uti DEUS; hic habet. Iterum alius actus eſt entitativus, alius formalis; ille rem ponit extra nihil in categoria entitatis, qualem habet materia prima; hic duplex eſt, *primus* & *ſecundus*; Secundus actus eſt operatio à forma prodiens; Actus primus eſt ipſa cujuſque rei forma, unde aliqua operatio procedit; eſtque vel phyſicus, uti forma phyſica; vel metaphyſicus, & eſt vel eſſentiæ, uti differentia, vel exiſtentiæ, ut ipſe modus ſubſiſtendi; eſt enim actus exiſtentiæ eadem forma, ſed conſiderata ut eſt in materia propria.

3. Agit Metaphyſica maximè de cauſa & cauſato: Eſt autem cauſa principium importans influxum ſive concurſum ad eſſe cauſati; eſtque quadruplex, *materialis*, *formalis*, *efficiens*, *finis*; quarum priores duæ *internæ*, poſteriores duæ externæ ſunt; Nam internus influxus, materiæ, eſt per modum potentiæ; formæ, eſt per modum actus. Externus, efficientis, per modum realem; finis, per intentionalem & metaphoricum.

Materia alia eſt *in* qua; alia *circa* quam; alia *ex* qua, ut materia prima.

Forma eſt actus rei intrinſecus, & eſt vel phyſica vel Metaphyſica; hæc à nullo dependet principio, uti forma DEI; illa dependet ab aliquo; & illa vel eſt alligata corpori, uti omnes formæ corporeæ, vel à corpore non dependent, ut formæ Angelorum & animarum ſeparatarum.

Forma phyſica ſive naturalis alia eſt ſubſtantialis informans, ut Anima rationalis; alia aſſiſtens, ut nauta navis, eaque vel interna, eſtque habitus directivus operationum, alia externa ut forma faciei; alia accidentalis, ut albedo in cygno. Eſt & ſpecifica, eaque vel ſeparabilis, vel inſeparabilis; Separabiles formæ ſunt omnes illæ, quæ alteri accidunt; inſeparabiles ſunt formæ inanimatorum, animatorumque, uti vegetativa forma in plantis, in animalibus ſenſitiva, in elementaribus forma mixti, quibus addunt nonnulli formam artificialem, quæ ab opifice in ſubjectum introducitur.

Efficiens vel eſt potentiâ, ut faber otioſus, vel actu operans; ſi actu, vel per ſe vel per accidens. Efficiens per ſe, alia remota & univerſalis, ut Sol; hominis alia propinqua, ut pater & mater prolis; alia per emanationem, uti formæ operationum ſuarum effectrices; alia per tranſmutationem, quæ agit in ſubjectum à ſe diverſum; alia inſtrumentalis, ut ſerra, & concauſæ omnes; alia denique moralis, uti motio metaphorica.

Finis, de quo jam multis in locis dictum eſt.

4. De Ente neceſſario & Contingente.

Neceſſarium eſt, quod non poteſt non eſſe: Eſtque vel complexum vel incomplexum; hoc eſt iterum vel independens, uti DEUS, ens abſolutè neceſſarium; vel dependens, uti omnia creata. Complexum eſt enunciatio de re neceſſaria; eſtque vel abſolutum vel hypotheticum; hoc oritur ex certo reſpectu, ut Petrum ſedere eo momento quo ſedet, neceſſarium eſt ex ſuppoſitione; oritur autem neceſſarium vel ab externa cauſa, vel ab efficiente, vel ab interna videlicet materia & forma.

Ab Efficiente neceſſitas eſt naturalis, ut ignis neceſſariò urit, niſi à DEO impediatur; vel Violenta, ut quandò agens cum diſplicentia contra Voluntatem operatur.

A fine, ut animali neceſſaria eſt reſpiratio.

Formæ neceſſitas formam ſequitur, & dicitur neceſſitas definitionis, ut homo, neceſſariò per ſuam formam eſt homo, ut & materiæ conditiones materiam, ut omne corruptibile neceſſariò materiatum conſequuntur.

Eſt & alia neceſſitas conſequentis, ut dependentia eſſentialis cauſæ & effectus, uti ſi Sol ortus eſt, dies eſt.

Contingens eſt id, quod fieri & non fieri poteſt; eſtque incomplexum, ut currere, bibere; vel complexum, ut enunciatio de re contingente, quæ plerumque dependet à libero agente, vel à rebus indifferentibus.

Nota, paſſiones hucuſque recenſitas, vel ut *unitatem*, vel ut *diſunitatem* conſiderari poſſe; Illæ ſimpliciter cum ente convertuntur, ut ſunt unum, verum, bonum; hæc divi-

divisim cum ente convertuntur, & sequuntur ens mediatè vel immediatè; si mediatè, tunc vel primæ sunt; ut cùm omne ens dicitur actus & potentia; vel à primis ortæ, ut cùm dicitur, causa vel effectus, necessarium vel contingens; si mediatè unita mediante modo Unius, tunc hi modi disjunctim enti attribuuntur, cujusmodi sunt *finitum infinitum*, *perfectum imperfectum*, *prius* & *posterius*, *idem*, *æquale*, *simile*, & his oppositi.

Finitum est, quod unitate transcendentali finitum & determinatum est, sive suæ essentiæ terminis clauditur.

Infinitum est, ut DEUS.

Perfectum est, cui nihil deest ad debitam sibi integritatem; contra Imperfectum, cui aliquid deest.

Prius est, quod antecedit aliud; posterius, quod sequitur, ut substantia prior accidentibus; Considerantur prioritates vel originis, vel ordinis, secundum locum, tempus vel motum.

Idem dicitur per se, vel per accidens; illud comprehendit omnia generica & specifica, quæ in inferioribus idem sunt, æterna & universalia.

Diversa sunt, quæ in diversis Categoriis locum habent, varianturque vel genere, vel specie, numero, causis, subjectis, accidentibus; ex qua diversitate nascitur distinctio & oppositio. De Distinctione Libro primo fusè dictum est.

Æqualia sunt, quorum una est quantitas, unde tot species æqualium, quot quantitatum; Inæqualia contrà, quæ non eandem habent quantitatem.

Similia sunt, quorum una est qualitas; Dissimilia, quorum diversæ qualitates.

Ex hisce Entis modis disjunctim sumptis Metaphysicus transit paulatim ex transcendentali ordine ad substantiam & accidens, juxta Scalam Categoriarum, & considerat, nihil esse in universa Categoriarum serie, quod sub transcendentalibus terminis & principiis considerari non possit; Unde primò de DEO, deinde de Intelligentiis, & deinde tandem de novem prædicamentis enti applicabilibus tractat. Atque hæc est totius Metaphysicæ contemplationis ἀνακεφαλαίωσις quædam, quam ideò fusius tractandam suscepimus; ut per ea Artista ad nostræ Metaphysicæ præcepta aptior reddatur.

CAPUT III.

De Metaphysica Artis nostræ.

IN hoc Artis nostræ Opere universalem Entis cognitionem atque adeo Metaphysicam Peripateticam alio modo & methodo, quàm Aristoteles & reliqui Philosophi fecerunt, tractavimus; neque tamen quicquam, quod vel Aristoteles, Plato, Theophrastus, aliique pertractârunt, in quantum ad propositam rationem facere videbantur, omisimus; Siquidem in primo Libro omnia, quæ tum ad 18 Artis nostræ principia, tum ad novem Subjecta Universalia, & novem Categorias pertinent, fusè tradidimus, rationem multiplicandi argumenta, graduum differentias, unà cum Enneade Erotematica ad quamcunque propositam quæstionem respondendi modum ostendimus. In secundo quoque Libro & Tertio, de Arte Analytico-Synthetica, quamlibet quæstionem datam in sua principia resolvendi, vario speciminum apparatu modum docuimus; ut proinde nihil hîc restet, nisi ut ostendamus, Artem nostram Metaphysicam, non divinam tantùm, quam nonnulli Theologiam vocant, sed & humanam sive naturalem complecti, atque adeò 18 principiorum nostrorum cognitionem esse veram rationalem Metaphysicam, jam olim à Lullo intentam, à sectatoribus ejus diversis operibus promotam, hoc opere verò completam atque numeris omnibus absolutam.

Sunt in nostra Arte 9 principia, ad quæ omnia quæ sunt, aut esse possunt, referuntur: nempe B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. unde non aberrabimus, si ea principia transcendentia dicamus; tametsi enim extra omnem concretarum essentiarum ambitum constituta sint; eorum tamen ope, nomina & naturas connotamus, & distinguimus, comprehensione primum universali per horum principiorum notiones, & veluti per chaos quoddam confusâ rerum notitia provecti, paulatim per synonymos sive reducibiles terminos apertiùs rationes rudis cognitionis distinguimus.

Sed relictis ambagibus fusioribus, jam nobis ostendendum est, omnia quæcunque Aristoteles in duodecim suis Libris tractat de Metaphysica, in Artis nostræ principiis contineri, methodo, ex consequentia naturali summo ordine disposita.

Sed hæc Exemplo demonstremus. Quæratur itaque primò; *An Ens sit bonum?* ℞. Affirmativè, & per Resolutionem ita illud deduco.

Si Ens

B. Si Ens eſt, ergo bonum eſt, ergo unum, ergo verum, ergo perfectum, & communicabile.

Si Ens bonum & perfectum eſt & increatum, ut DEUS, ergo neceſſarium; cum ſine bonitate eſſe, nihil ſit nec eſſe poſſit; quod & de bono participato dici debet.

M. Si ens bonum, perfectum, neceſſarium, ergo magnum eſt; cum ſeſe extendat ad omnia Mundi entia; quod enim parvum eſt, magnum eſſe nequit, & perfectione ſibi debita deficere neceſſe eſt.

Si magnum eſt, ergo durabile eſt; quod enim non durat, neque bonum, neque magnum eſſe poteſt.

D. Si durabile eſt, ergo potens eſt; fruſtra enim aliàs eſſent bonitas & magnitudo, ſi permanentes agere non poſſent; fruſtra communicabilitas, fruſtra magnitudinis extenſio, ſi non durarent. Si durabile, ergo potens.

P. Si potens eſt, ergo neceſſarium ad agendum inſtinctum habet; aliàs enim ad agendum non determinabitur.

S. Si inſtinctum habet, ergo & appetitum ſive inclinationem, qua ad agendum inſtimuletur, ſine quo tum inſtinctu, tum appetitu naturali nihil in natura rerum agit.

Vo. Si appetitum habet, ergo & virtutem facultatemque, qua ſeſe in actiones exerere poſſit; cùm enim ab eſſentia vires, à viribus operationes profluant; certè ſine iis ens agere minimè poteſt.

Vi. Si Virtutem, ergo & Veritatem; quia Veritas nihil aliud eſt, quàm conceptus intellectus, ſive formalis, ſive objectivus.

Si Veritatem, ergo Gloriam, quæ eſt quies naturalis uniuſcunque rei, qua in ſtatu ſuo naturali, bonitate entitatis ſuæ quieſcit & gloriatur. Ve.

Si ens eſt B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. ergo & tranſcendentale, ergo illud ad omnia entia totius naturæ contrahi poteſt, ergo per differentias dividi. G.

Si dividi, ergo diſtingui; tot enim ſunt entium differentiæ, quot entia diſtincta in natura rerum. =.

Si tot in natura rerum entium differentiæ, quot diſtincta entia; ergo omnia cum ente tranſcendentali concordant. ♡.

Si concordant in ſummo, ergo in inferioribus differunt, vel realiter, vel ratione, vel eſſentialiter, aut accidentaliter, aut alio quovis modo.

Si differunt, ergo oppoſitionem, uti & actus & potentia, habent, & contrarietatem incurrunt, ut in elementis & corruptibilibus videre eſt. o•.

Si oppoſitionem & contrarietatem incurrunt, ergo neceſſariò cauſant aliquid tanquam principia. α.

Si cauſant aliquid, ergo hoc vel mediantibus aliis, vel immediatè.

Si mediantibus aliis, ergo inde naſcitur majoritas, æqualitas, inæqualitas, ſimilitudo, diſſimilitudo, & conſequenter Majoritas & Minoritas. ⊙. ω. M. Æ. Min.

Habes hîc Reſolutionem Entis per 18. principia Artis noſtræ deductam; in quibus implicitè latet, quicquid Ariſtoteles in univerſa ſua Metaphyſica tractavit. Quod hoc ſequenti ſchemate, veluti in Synopſi quadam epilogetica, ob oculos ponimus Lectoris.

	Major.		Minor.		Concluſio.
	B.		△		B.
	M.		[illegible]		M.
	D.		◎		D.
	P.		⊡		P.
Omne Ens	S.	Eſt. Sed	[illegible]	Ens eſt. Ergo	S.
	Vo.		[illegible]		Vo.
	Vi.		[illegible]		Vi.
	Ve.		⬠		Ve.
	G.		⁞⁞		G.

NB. Quando ſenſitivum, vegetabile & inanimatum, cum Sapientia, & Voluntate comparatur; illud de Sapientia intellectuali, & voluntate rationali minimè intelligendum eſſe, ſed de cognitivo quodam ſeu Materiali inſtinctu; qui eſt appetitus quidam naturalis, unicuique rei à natura ad operationes ſuas exercendas inſitus. Quod ſemel atque iterum inſinuaſſe ſufficiat.

Iterum.

Iterum.

	Major.			Minor.				Conclusio.		
Omne Ens	Bonitate	=	Ab alia quadam.	B.	Sed	△	Ens, est. Ergo.	=	Differt.	
	Magne	♡	Cum alia quadam.	M.		[figura]		♡	Corcordat.	
	Durate	o●	Arteri cuidam.	D.		◎		o●	Opponitur.	
	Potentia	α	Principiat causat aliam quandam.	P.		□		α	Causat.	
	Instinctu	⊙	Mediat inter aliam quandam.	S.		[figura]		⊙	Mediat.	
	Appetitu	ω	Fine differt ab alia quadam.	Vo.		[figura]		ω	Finem habet.	
	Virtute	M	Major est alia quadam.	Vi.		[figura]		M	Majoritatis	rationem habet.
	Veritate	Æ.	Æquatur alteri cuidam.	Ve.		⬠		Æ.	Æqualitatis	
	Gloria	Min.	Minor est altera quadam.	G.		⁝⁝		Min.	Minoritatis	

Ergo quicquid est, est vel
- Bonum M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.
- Potentia, vel actus.
- Materia, aut forma.
- Substantia, aut accidens.
- Causa, vel causatum.
- Necessarium, unum, multa.
- Idem, vel diversum.
- Simile, aut dissimile.
- Oppositum, vel contrarium.
- Prius aut posterius.
- Potentia, vel impotentia.
- Possibile, aut impossibile.
- Terminus, aut terminatum.
- Positivum, vel negativum.
- Pars, vel totum.
- Diversum specie, genere.
- Unum ex 9 prædicamentis accidentalibus.

In hoc Epilogismo vides, omnia nostra Principia absoluta, tum cum Ente, tum cum proprietatibus suis convertibilia esse, ita ut unum de altero conversim prædicari possit; cum verò nihil in universitate rerum contineatur, quod non expositi entis rationem participet; hinc eadem 9. Subjectis universalibus applicuimus, ut dictarum rerum veritas luculentius innotescat.

Cum verò nulla bonitas, unitas, veritas, magnitudo, duratio, potentia &c: in Mundo sit, quæ non ab alia quapiam differat, cum alia concordet, contrarietur, causet aliquid, mediet, propter finem agat, major, minor aut æqualis sit, cum altera comparata; hinc entis proprietates per novem principia absoluta applicuimus novem respectivis; in quibus omnes isti modi transcendentales, quos disjunctos Metaphysici vocant, continentur; ut proinde appareat, nihil esse in toto Metaphysicæ ambitu, quod in octodecim principiis Artis nostræ, & novem Subjectis universalibus non contineatur; quorum omnium Combinationes Syllogisticas, si quispiam ad computum revocare velit, is Oceanum se ingressurum sciat, ex quo vel multis annorum centuriis se expedire non liceat.

Atque ex hisce nascuntur innumeræ propositiones Metaphysicæ, quæ in disputationem cadere possunt, cujusmodi sunt sequentes juxta 18. principia dispositæ. Et ut videas, nihil esse in totius Metaphysicæ ambitu, quod non ad nostra principia reducatur, hic totius Reductionis typum epilogeticum subjungam.

CAPUT IV.

Typus Reductionis omnium eorum, quæ in Metaphysica considerantur, ad Artis nostræ principia.

Quicquid in Metaphysica { revocatur:

Quicquid in Metaphysica		Revocatur.
De Ente, uno, bono, substantia, essentia, natura, existentia, necessario, considerari potest, id totum ad	B.	
De magnitudine tam intensiva, quàm extensiva entium, de motu quomodocunque sumpto, de finito, & infinito, de magno, parvo, proponi potest, id totum ad	M.	
De entis duratione, inceptione, desitione, æterno, immortali, æviterno, temporali, successivo, id ad	D.	
De potentia & actu, de materia & forma, de ente, & essentia, de actibus primis & secundis, dici potest, id ad	P.	
De abstractione intellectuali, de universalibus, genere, specie, differentia, proprio, accidente, de scientiis & intelligibilibus, id totum ad	S.	
De appetitu naturali, de habitudine intellectûs ad voluntatem, de distinctione, activitate eorundum, ad	Vo.	
De proprietatibus entis, unius, veri, boni, ad	Vi.	
Vel de conformitate intellectûs ad res intelligibiles, vel de falsitate objectorum dici potest, ad	Ve.	
De fine & quiete rerum dici potest, id totum ad	G.	
De distinctione rerum, earumque differentiis, divisionibusque dici potest, id totum ad	⚌.	
De identitate rerum, de individuatione, de concordantia entium in uno supremo, dici & quæri potest, id totum ad	♡.	
De oppositionibus, modalitatibus, contrarietatibus rerum dici & quæri potest, id totum ad	○●.	
De causis & principiis, eorumque requisitis, juxta quadruplex causarum genus dici potest, ad	α.	
De mediatione rerum, sive in genere naturæ, sive moris consideratarum, dici potest, id ad	⊙.	
De finibus rerum, de terminis & terminabilibus, limitibus, desitione rerum dici potest, ad	ω.	
De majoritate, rerum comparatione ad alia facta, earumque perfectione dici potest, ad	M.	
De æquali, inæquali, simili, dissimili, diverso, & eodem dici potest, id totum ad	Æ.	
De privationibus, negationibus dici potest, ad	Min.	

Atque ex hisce innumeræ nascuntur quæstiones, quarum nonnullas hîc juxta seriem principiorum proponam, per Quæstionum Enneadem agitandam.

Quæritur itaque per

B.	An bonum ab ente realiter diſtinguatur, an ratione, ſive ex natura rei.	*An, utrum.*
	An unitas benè definiatur negatio diviſionis.	
M.	An inter infinitum & finitum aliqua detur proportio. An infinitum creatum dari poſſit.	*Quid.*
D.	An creaturæ intellectuali competat æterna duratio.	*Cur.*
P.	An, & quomodo actus & potentia diſtinguantur.	
S.	An detur præciſio objectiva; an univerſale fiat per abſtractionem.	*Quomodo.*
Vo.	An Voluntas & intellectus in Angelo idem ſint.	
Vi.	An facultates naturales in Angelo identificentur cum ipſo.	*De quo.*
Ve.	An veritas ſit in rebus, an in intellectu; ſive an veritas conſiſtat in conceptu objectivo, an in formali.	
G.	An actio poſſit eſſe ſine termino.	*Quantum.*
⚌.	An eſſentia diſtinguatur ab exiſtentia, realiter, an ratione aut formaliter.	
♡.	An & quomodo inferiora in ſuperioribus ſint idem & diverſa.	*Quale.*
○●.	An detur oppoſitio inter Ens per ſe, & ens per accidens, inter actum & potentiam.	
α.	An principia rerum ſint genera, & an illa communiſſima; & innumeræ aliæ de cauſis quæſtiones.	*Ubi.*
⊙.	An unitas ſit medium, quo unumquodque ſubſiſtat per ſe.	
ω.	Quæ de fine & cauſâ finali proponi poſſunt.	*Quando.*
M̤.	An Majoritas aliqua ſit inter Unitates, Bonitates, M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	
Æ.	An & quomodo æqualia ab æqualibus & inæqualibus, ſimilia à ſimilibus & diſſimilibus, differant.	*Cum quibus.*

De hiſce ſingulis Quæſtionibus ex ſolo bonitatis principio decem aliæ Quæſtiones, & de Magnitudine aliæ decem; & de Duratione aliæ decem; ita ut de omnibus ordine principiis tam abſolutis quàm reſpectivis 180 Quæſtiones Metaphyſicæ formari poſſint.

Quibus quidem demonſtratis, jam unam atque alteram Quæſtionem Metaphyſicam ex Artis noſtræ Regulis diſcutiendam aſſumamus.

CAPUT V.

Paradigmata.

SIt itaque prima Quæſtio Metaphyſica celeberrima; *An eſſentia diſtinguatur ab exiſtentia realiter, an ratione tantùm ſeu formaliter ex natura rei, aut modaliter.* Utramque ſententiam tam negativam, quàm affirmativam per Artis noſtræ principia defendendam ſuſcipimus, ut hoc pacto Univerſalitas Artis, atque in utriuſque partis defenſionem promptitudo luculentius pateſieret.

1. Sententia *Negativa* eſt: Eſſentia ab exiſtentia in creatis rebus non diſtinguitur ex parte rei; Ex Gaſpare Sanchez in ſua methodo Lulliana.

EXEMPLUM I.

B. Sicut se habet *necessarium* ad contingens, sic se habet *essentia* ad existentiam. Sed essentia est quid contingens, potest enim esse & non esse; & existentia est contingens, potest enim existere & non existere. Sed hoc modo considerata non possunt distingui realiter, cùm sint à subjecto inseparabilia. Ergo essentia & existentia non distinguuntur realiter.

M. Si essentia distingueretur ab existentia, res existens componeretur sive *integraretur* actualiter, tanquam ex partibus, ex essentia & existeutia. Sed hoc est impossibile. Ergo.

D. Illa quæ *stabili duratione* semper fuerunt simul inseparabilia, illa quoque inter se distingui non possunt realiter. Sed essentia & existentia ita se habent respectu actu existentium. Ergo.

P. Ubicunque non datur *potentia* ad aliud, sed utrumque ita unum est, ut ab invicem separari non possint, ibi distinctio realis non datur. Sed ita se habent ad se invicem existentia & essentia; Est enim existentia in homine positivum quid, includens formaliter essentiam, ita ut à se invicem separari non possint. Ergo essentia & existentia non distinguuntur realiter.

S. Si *intellectus* distingueret essentiam & existentiam realiter, sequeretur, *essentiam* esse accidens quoddam, quod dici minimè potest. Ergo non distinguuntur realiter. Ratio Minoris; quia omne contingens est accidens; sed existere & non existere, est convenire & non convenire homini. Ergo.

Vo. Sicut se habet appetitus rationalis ad *Voluntatem* actualem, ita essentia ad existentiam actualem. Sed appetitus rationalis non potest separari à Voluntate actuali, ergo neque essentia & existentia. Ergo non distinguuntur realiter.

Per Vi. Illa *Vis*, per quam res constituitur per seipsam extra causas, non est distincta realiter ab ea, quâ res actu existit. Sed per essentiam intrinsecè homo constituitur extra causas; per existentiam verò tantùm per denominationem extrinsecam, à causis videlicet potentibus eum producere. Ergo essentia & existentia non distinguuntur realiter.

Ve. Quandocunque *verum* est dicere; uno ablato alterum consistere non posse; tunc res inter se distingui non possunt. Sed verum est dicere, ablata essentia hominis, hominem existere non posse. Ergo essentia & existentia non distinguuntur realiter.

G. Sicuti se habet *finis adeptus* ad fruitionem, ita essentia ad existentiam. Sed finis adeptus sine fruitione concipi non potest; ergo neque essentia absque existentia. Ergo realiter distingui non possunt.

= & Illa inter se *distingui* non possunt realiter, quæ inter se *concordant* essentialiter.
♡. Essentia & Existentia inter se concordant essentialiter. Ergo.

○●. Ubi inter duo nulla assignari potest *oppositionis ratio*, ibi quoque nulla realis distinctio fundari potest. Inter essentiam & existentiam nulla assignari potest oppositio. Ergo.

α. Si essentia & existentia distinguerentur realiter, sequeretur, essentiam *principium & causam* esse existentiæ. Quod dici non potest. Ergo.

⊙. Illa distingui non possunt realiter, quorum non est *medium* unionis ob identitatem naturæ. Inter essentiam & existentiam non datur medium unionis. Ergo.

ω. Illa distingui non possunt realiter, inter quæ perfecta & essentialis intercedit *quies*, sive finis à natura intentus. Illa quies est inter essentiam & existentiam. Ergo.

M. Æ. Min. Inter quæcunque non datur *majoritas* nec *minoritas*, non prioritas nec posterioritas, ibi datur perfecta & essentialis *æqualitas*, quæ est unitas & identitas in eodem subjecto, & consequenter distingui non possunt ex parte rei. Inter essentiam & existentiam actualem non datur M. Min. Ergo.

Vides hîc Lector Sententiam negativam per 18. principia deductam; nihil modò restat, nisi ut pari ratione & affirmativam sententiam elucidemus.

Sententia

Sententia 2. *Affirmativa.* Eſſentia itaque ab Exiſtentia diſtinguitur à parte rei, quod ita probo.

Per

B. Omne *Ens* creatum ob naturæ ſuæ limitationem eſt contingens, id eſt, potentiam & indifferentiam habet eſſendi & non eſſendi.
Sed hæc potentia & indifferentia eſſendi & non eſſendi diſtinguitur realiter ab eſſe rei. Ergo.

M. Illa diſtinguuntur realiter, quorum unum ſe habet veluti conſtitutivum *partis componentis*, alterum veluti conſtitutivum compoſiti.
Ita ſe habet, eſſentia comparata cum exiſtentia. Ergo.

D. Illa diſtinguuntur realiter, quorum unum poteſt eſſe & *permanere*, non exiſtente altero.
Sed actus primus eſſendi hominis poteſt eſſe, non exiſtente adhuc actualiter homine. Ergo.
Iterum. Illa diſtinguuntur realiter, quorum unum eſt *æternum*, alterum non æternum.
Sed eſſentia eſt æterna, teſte Philoſopho, & exiſtentia temporanea. Ergo. Ratio Min. quia hæc propoſitio, *homo eſt animal rationale*, eſt æternæ veritatis; non verò hæc, *homo animal rationale verè exiſtit*;

P. Uti ſe habet *potentia* ad actum, ita eſſe ad exiſtentiam.
Sed potentia ab actu diſtinguitur realiter. Ergo & eſſentia ab exiſtentia.

S. Sicut ſe habet *intellectivum* ad intellectionem actualem, ita eſſentia ad exiſtentiam actualem.
Sed intellectivum & intellectio diſtinguuntur realiter, tanquam accidens à ſubjecto, cui inhæret. Ergo & eſſentia & exiſtentia.

Vo. Sicut ſe habet *volitivum* ad volitionem, ita eſſentia ad exiſtentiam.
Sed illa diſtinguuntur realiter. Ergo & eſſentia & exiſtentia.

Vi. Sicut ſe habet *vis* & *facultas* rationalis ad hominem, ita eſſentia ad exiſtentiam.
Sed vis & facultas rationalis ab homine diſtinguuntur realiter.
Ergo & eſſentia & exiſtentia.

G. Sicut ſe habet intentio *finis* ad *finem* adeptum, ita eſſentia ad exiſtentiam.
Sed intentio finis à fine adepto diſtinguitur realiter.
Ergo & eſſentia & exiſtentia.

☰. Quorum unum ab altero potentiâ DEI abſolutâ *ſeparari poteſt*, illa diſtinguuntur realiter.
Sed DEUS poteſt ſeparare eſſentiam ab exiſtentia, eamque conſervare in ſtatu ſeparato. Ergo.

♡. Quæcunque per differentias contrahuntur ad unum aliquod, & *concordant* in illo, illa inter ſe diſtinguuntur realiter.
Sed eſſentia & exiſtentia per potentiale & actuale concordant in ente. Ergo.

o●. Illa quæ *opponuntur* ad invicem, diſtinguuntur realiter.
Eſſentia & exiſtentia opponuntur ſibi invicem, tanquam potentia & actus.
Ergo diſtinguuntur realiter.

α. Illud quod habet *cauſas* virtuales & habituales, diſtinguitur ab eo, quod habet actuales.
Sed eſſentia habet cauſas ſive entitates virtuales & habituales. Ergo.

ω. Id quod eſt *receptibile* ab alio, id à recipiente diſtinguitur realiter.
Sed eſſentia eſt receptibilis ab exiſtentia. Ergo.

Vides ergo, quomodo per Artis noſtræ principia utraque ſententia, *negativa* & *affirmativa*, tractanda ſit. In quibus Lector nonnulla reperiet, quæ tametſi non ſemper ſtrictè concludant, habent tamen hoc, ut facile uno atque altero verbo emendari queant. Quomodo verò jam, quænam ſententia ex hac utraque verior meliorque ſit, cognoſci queat; hîc ſubjungam alium modum, quo utraque ſententia ex Artis noſtræ Regulis concordanda ſit, ut hoc pacto, quid in utraque negandum, quid affirmandum, pateſiat. Prior itaque ſententia, eſſentiam ab exiſtentia ex parte rei diſtingui poſſe negat, quam ſecunda affirmat. Quare ad utramque conciliandam, ita age.

Notandum, In una & eadem re tùm essentiam tum existentiam considerari posse primò in quantum est ens transcendens, generalissimè sumptum; Secundò in quantum est Categoricum & locum suum obtinet inter decem prædicamenta. Unde sic argumentabere.

1. Per B. = Quandocunque duæ *entitates* modo transcendentali uni & eidem rei inesse finguntur, tunc *distinctio* realis inter illas frustranea est, sed rationis ponenda est. Quandocunque verò dictæ *entitates* categoricè uni & eidem rei inesse considerantur, tunc *distinctionem* realem inter illas ponere necesse est. Gaspar Sanchez in Methodo Lull.

Sed essentia & existentia modo transcendentali sunt duæ entitates uni & eidem rei formaliter inclusæ, & per modum entis unius abstractè consideratæ; contra verò, ut categoricè considerantur. Ergo essentia & existentia modo transcendentali non distinguuntur realiter aut ex parte rei, sed ratione tantum; secus, categoricè consideratæ.

2. M. = Quandocunque via transcendentali aliquid per modum *interrogationis* aut *compositionis* consideratur, tunc iterum frustranea est *distinctio* realis; cum illa duo semper per modum unius abstracti considerentur.

Sed essentia & existentia via transcendentali non considerantur per modum duarum sed abstractè per modum unius.

Ergo essentia & existentia transcendenter consideratæ nullam ex parte rei distinctionem admittunt. Secus fit in Categoricis.

3. D. = Quæcunque *durant* simul inseparabiliter, illa transcendentaliter considerata veluti ens quoddam indivisum in se, & *divisum* à quolibet alio, distingui non possunt realiter.

Sed essentia & existentia transcendentaliter sumptæ durant simul inseparabiliter.

Ergo essentia & existentia realiter distingui non possunt. Secus fit in essentia & existentia categoricè considerata.

Si quis verò senserit essentiam & existentiam separari posse, tunc majorem illam, quam rationis dicimus, distinctionem ponere necesse est. Unde sic argue.

4. P. = Si *potentialis* essentia *distinguatur* à potentia actuali realiter, tanquam nihil ab aliquo, potiori jure existentia actualis distinguenda est ab essentia potentiali.

Sed essentia potentialis separata ab existentia potentiali distinguitur tanquam nihil ab aliquo.

Ergo majori jure existentia actualis ab essentia potentiali.

5. S. = Quæcunque transcendenter per modum unius abstractivo *conceptu* considerantur, illa *distinctionem* sub hac formalitate constituere non possunt.

Sed essentia & existentia transcendenter considerantur per modum unius, conceptu abstractivo. Ergo.

Hoc pacto per omnia principia, ordine, progrediendo, dictas sententias conciliabis.

COROLLARIUM.

Hinc patet, variis modis distinctionem essentiæ considerari posse: si enim omnimodam & mutuam inseparabilitatem ponantur habere, tunc distingui illa necesse est formaliter ex parte rei; transcendenter, non categoricè, per modum duarum formalitatum constituentium unam essentiam, ut animalitas & rationalitas essentiam hominis; sed ut id, quod est, & ipsum esse. Si verò essentia posset esse sine existentia, licet non sine omni, tunc essentia distingueretur ab existentia modaliter.

PARA-

PARADIGMA II.

Utrum Materia prima includat aliquem actum; an ſit pura potentia omni excluſo actu.

Celeberrimam hanc, tum apud Phyſicos, tum apud Metaphyſicos agitatam Quæſtionem, in utramque partem agitandam paradigmatis loco proponam, ut quantâ varietate hæc quæſtio per Artis noſtræ regulas diduci poſſit, videas. Primo itaque ſententiam *Negativam* per principia ita deduces.

Per

1. B. Id quod per ſe & ex ſua natura nullam dat rei, in qua invenitur, *perfectionem*, imò aliquo modo privat eâ, illa eſt pura potentia nullum includens actum.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

2. M. Id quod nullam enti tribuit *magnitudinem* aut extenſionem, id puram potentiam eſſe neceſſe eſt.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

3. D. Illa eſt pura potentia paſſiva, quæ nullam tribuit *durationem* & firmam conſiſtentiam ſui eſſe.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

4. P. Illa eſt pura *potentia* paſſiva, quæ nullam admittit *potentiam* activam.
Materia prima nullam habet potentiam activam. Ergo.

5. S. Illa eſt pura potentia paſſiva, quæ ſola *intelligibilitate* attingitur.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

6. Vo. Illa eſt pura potentia paſſiva, quæ in perpetuo & inſatiabili formarum *appetitu* verſatur.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

7. Vi. Illa eſt pura potentia paſſiva, quæ nullis *viribus* & facultate pollet.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

8. Ve. Illa eſt pura potentia paſſiva, de qua *verum* eſt dicere, actu non exiſtere, ſive nullam actualem habere exiſtentiam.
Sed hoc verum eſt dicere de Materia prima. Ergo.

9. G. Illa eſt pura potentia paſſiva, quæ nunquam ob deſiderium formarum *quieſcit*, quæ neque ullam formam habet, quâ glorietur.
Sic ſe habet Materia prima. Ergo.

10. ☰. Materia prima *differt* à Materia ſecunda, eò quod hæc formarum compers, illa omninò expers ſit formarum, omni actu deſtituta.
Sed hoc eſt eſſe potentiam paſſivam.
Ergo Materia prima eſt potentia pura paſſiva.

11. ♡. Illa eſt pura potentia paſſiva, quæ infima entium cum nullo actuali ente commercium neque *concordantiam* habet; neque enim ſubſtantia, neque accidens, neque genus, nec ſpecies, nec differentia eſt.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

12. ○●. Illa eſt pura potentia, quæ *contrarietate* caret, ens ſimpliciter paſſivum & incorruptibile omnis interitûs expers.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

13. α. Illa eſt pura potentia paſſiva, quæ ſola tanquam *principium* potentiale materialiter concurrit ad generationem & corruptionem rerum.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

14. ⊙. Illa eſt pura potentia paſſiva, inter quam & potentiam activam nullum intercedit *medium*.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

15. ω. Pura potentia paſſiva nihil aliud eſt, quàm purus *terminus* receptivus formæ.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

16. M. Illa eſt pura potentia, quæ neque *majoritatem*, neque æqualitatem admittit.
Talis eſt materia prima. Ergo.

Quarum

Quarum omnium assertionum vim, ut magis propriè cognoscas;

Nota, tria in Materia supponi ex quibus ejus essentia perfectè innotescat.

Primum Suppositum est, in corporibus dari substantias & accidentia.

Secundum. Corpora multa quotidie fieri & mutari non solum secundum accidentia, sed & secundum substantiam.

Tertium. Dari definitiones substantiæ & accidentis. Unde per resolutionem ita argumentor.

Substantia est ens constitutivum per primum esse.

Si est constitutivum per primum esse, ergo est ens per se subsistens, constitutum per esse per se existens.

Si ens per se existens, ergo ens fundamentale ac substans.

Si ens fundamentale ac substans, ergo constitutum per esse non fundatum neque receptum in alio esse.

Si non receptum in alio esse, ergo sola substantia ens est receptivum accidentium.

Si subjectum receptivum accidentium, ergo accidens est entis ens, seu ens secundarium constitutum per esse non primum.

Si accidens est entis ens, constitutum per esse non primum, ergo accidens est ens constitutum per esse adjacens.

Si constitutum per esse adjacens, ergo ens fundatum & receptum constitutumque per esse fundatum ac receptum in alio esse.

Ex his infero cum S. Thoma, Materiam primam non habere propriam existentiam, neque proprium actum; essentiam materiæ distingui ab ejus existentia; quod ita probo inductione ad impossibile. Quia

1. Si Materia haberet existentiam, Materia foret tota corporum substantia, & omnis forma foret accidens, quod impossibile est; & ita ostendo.

Si Materia prima foret tota substantia corporum, nulla substantia generaretur, sed jam præexisteret, quod est contra suppositum secundum.

Si verò foret accidens, jam omnis forma esset entis ens, seu ens secundarium, constitutum per esse non primum sed supponens esse actuale materiæ. Sed hoc est impossibile. Ergo.

2. Si Materia prima haberet existentiam, ea foret jam ens per se existens substantialiter, non per accidens.

Ergo sequeretur; nullam dari formam substantialem; sed omnis forma etiam brutorum esset merè accidentalis; si enim forma substantialis accederet enti per se existenti substantialiter, jam uni & eidem subjecto duæ inessent formæ substantiales; quod in Philosophia absurdum est.

Ergo Materia prima antecedenter ad formam non intendit illam actu substantialem, atque adeò non est actu substantia; & hoc ipso, quod nullum actum includat substantialem, neque accidentalem includit, cum actus accidentales non possint esse nisi in actu substantiali; Ergo antecedenter ad formam non est ens actu, sed pura potentia, quod erat est ostendendum.

Altera Sententia *affirmativa.*

Altera Sententia est contraria priori, estque affirmativa, ut sequitur.

Materia prima non est pura potentia passiva, sed insuper includit necessariò aliquem actum.

Hoc innumeris modis & mediis probari potest; sed brevitati incumbentes, primò id ostendemus per simplicia Artis nostræ principia; Secundò per compositos Artis nostræ terminos. Tertiò per Quæstionum applicationem. Sic itaque propositum Thema ostendes.

1. B. Omne ens *bonum* & *communicabile* neceſſariò includit aliquem actum, ſcilicet bonitatis.
Materia prima eſt ens *bonum* & *communicabile*. Ergo.

2. M. Omne ens *extenſibile* ad alia, includit actum magnitudinis.
Materia prima eſt ens *extenſibile* ad alia. Ergo.

3. D. Omne ens *durabile* includit actum durationis.
Materia prima eſt ens durabile. Ergo.

4. P. Omne quod poteſt concurrere ad componendum, includit actum *poteſtatis*.
Materia prima concurrit ad componendum. Ergo.

5. S. Omne quod ordinatur ad aliquam formam, includit actum ſeu *inſtinctum* talis ordinationis.
Materia prima ordinatur ad aliquam formam.
Ergo includit actum &c.

6. Vo. Omne *appetitivum* formæ includit actum appetitûs.
Materia prima eſt appetitiva formæ. Ergo.

7. Vi. Omne quod poteſt ſimul *operari* cum forma in compoſito, includit actum virtutis.
Talis eſt materia prima. Ergo.

8. Ve. Omne quod eſt extra ſuas cauſas, includit actum *veritatis*.
Talis eſt materia prima. Ergo.

9. G. Omne quod pro *fine* habet formam, includit actum gloriæ finalis.
Talis eſt materia prima.
Ergo includit aliquem actum. Ergo non eſt pura potentia.

10. ☰. M. Omne id quod per ſe *differt* actualiter à quolibet alio principio compoſitivo, ſervat ſemper actum *differentiæ*, quo *differt* ab alio. Per terminos compoſitos ita probatur.
Per — Sed materia prima ſemper *differt* à forma, & à quolibet alio ente, etiam in ſui prioritate.
Ergo includit aliquem actum. Ergo non pura potentia.

11. B. ☰. Omnis *communicatio* paſſiva neceſſariò includit entitatem aut formalitatem, per quam *diſtinguitur* formaliter paſſivè à communicatione activa.
Sed propria & naturalis communicatio materiæ primæ, eſt paſſiva communicatio ſeu radicalitas ad ſe communicandum.
Ergo includit neceſſariò actum, per quem differt. Ergo &c.

12. M. α. Omne *principium* præſuppoſitum ad *componendum*, ſervat in ſe actualitatem, per quam poteſt cauſare & principiare aliquid, alioquin non daretur aliquod principium in compoſitione.
Sed materia prima in priori ſuo conſiderata, eſt principium & cauſa actualis præſuppoſita ad componendum. Ergo habet in ſe &c.

13. M. ♡. Omne quod per ſe & ſuâ naturâ eſt *extenſibile* ad *compoſitionem* alicujus rei cum appetitu *unionis*, id includit actum extenſibilitatis & poſſibilitatis ad componendum eam.
Materia prima talis eſt, alioquin non eſſet prima. Ergo.

14. B. M. Omne quod eſt *communicabile* cum aliqua *extenſione* actuali, includitque *magnitudinem* in ſui communicatione, id neceſſariò includit actum talis Magnitudinis & Bonitatis.
Talis eſt materia prima. Ergo.

15. B.α.P. Omne quod per ſe & per *potentiam* ſibi inditam eſt *communicabile*, neceſſariò includit formalitatem ſeu actualitatem talis poſſibilitatis alioquin non diceretur communicabilis.
Sed materia prima in priori inſtanti habet hanc poſſibilitatem ad communicandum ſe aliis. Ergo.

NB. Si quis ex hiſce 15 & aliis ſequentibus majorem aut minorem negaverit; quilibet ex 30 Syllogiſmis hic propoſitis medium eſſe poteſt ad majorem vel minorem probandam.

Alio Modo per Tabulam Universalem.

Possunt & hæc 30 aliis Syllogismis ex Tabula universali deprompis per terminos compositos demonstrari, ut sequitur.

Per

1. B. M. Omne *communicabile* cum aliqua *extensione* actuali, non est pura potentia, sed aliquem includit actum.
Materia prima est talis. Ergo.

2. B. P. Omne *communicabile* actualiter per suam *potentiam* includit aliquem actum.
Talis est materia prima. Ergo.

3. B. ⚌. Omnis *communicatio differens* actualiter à communicatione aliorum principiorum compositi, includit aliquem actum.
Talis est communicatio materiæ primæ. Ergo.

4. B. ♡. Omnis *communicatio* passiva propriè *conveniens* alteri, includit in se actum aliquem.
Talis est communicatio materiæ primæ. Ergo.

5. B. α. Id quod est per *communicationem* actualem *principium* & *causa* compositionis actualis compositi, includit necessariò aliquem actum.
Talis est materia prima. Ergo.

6. M. P. Omne *extensibile* & *possibilitatem* habens intrandi rem compositam, includit actum aliquem tum extensionis tum possibilitatis.
Materia prima est talis. Ergo.

7. M. ⚌. Omnis *magnitudo*, quæ *differt* à quolibet ente, includit aliquem actum.
Materia prima est magnitudo. Ergo.

8. M. ♡. Omnis *magnitudo* passiva seu *extensibilitas* ad entia *componibilia*, actum aliquem in se includit, videlicet extensionis.
Materia prima est talis. Ergo.

9. M. α. Omnis *magnitudo* passiva *causalis*, includit aliquem actum, ergo non est pura potentia.
Sed talis est materia prima. Ergo.

10. M. B. Omnis *magnitudo communicationis* passivæ, includit aliquem actum.
Talis est materia prima. Ergo.

11. P. ⚌. *Potestas differendi* semper includit actum, cum quo actualiter manet.
Materia prima est potestas differendi. Ergo.

12. P. ♡. *Potestas uniendi* & componendi semper includit actum cum quo semper actualiter differt.
Talis est materia prima. Ergo.

13. P. α. Ubi est *potestas causandi*, ibi semper reperitur actus potestatis causandi.
Sed materia est potestas causandi. Ergo.

14. P. B. *Potentia communicandi* esse passivum, includit & actum communicationis passivæ.
Talis est materia prima. Ergo.

15. P. Vo. *Potentia appetitiva* formæ includit semper actum aliquem appetitionis.
Talis est materia prima. Ergo.

16. ⚌. ♡. Omne quod *differentiam* habet passivam in eo, id aliquem *includit* actum.
Sed differentia propria materiæ est semper in ea adhuc etiam in *unione* cum forma. Ergo.

17. ⚌. α. *Differentia causandi* diversa, semper includit aliquem actum cum causante.
Sed in materia prima est differentia causandi diversa. Ergo.

18. ⚌. B. *Differentia communicationis* diversi esse à forma includit semper aliquem actum.
Talis differentia est in materia prima. Ergo.

19. Per

19. =. M. *Differentia magnitudinis* semper includit aliquem actum.
Materia prima est differentia magnitudinis. Ergo.

20. =. P. *Differentia potestatis*, semper includit actum diversum.
Differentia potestatis in materia prima est semper actualiter diversa à forma & à quolibet alio ente. Ergo.

21. ♡. α. Quodcunque *concordat* intrinsecè cum *causis* reliquis naturalibus, includit necessariò actum.
Prima concordantia cum reliquis causis intrinseca & radicalis, est materiæ primæ. Ergo.

22. ♡. B. *Appetitus communicandi* se formæ per *concordantiam*, necessariò præsupponit actum talis concordantiæ.
Talis est materia prima. Ergo.

23. ♡. M. Omnis *concordantia magnitudinis* potentiæ passivæ ad aliud, includit actum talis magnitudinis.
Talis est materia prima ad formam. Ergo.

24. ♡. P. Omnis *concordantia* & *unitas potestatis* ad existendum & causandum in alio quopiam, includit in se talem actum potestatis.
Talis est materia. Ergo.

25. Per ♡. =. Omne quod differt ab alio quopiam, præsupponit actum per quem actualiter distinguatur ab alio.
Talis est materia prima. Ergo.

26. α. B. *Principium communicationis* naturalis indicat necessariò actum naturalem in tali principio.
Materia prima est principium &c. Ergo.

27. α. M. *Principium magnitudinis* naturalis habet in se actualiter actum principiandi & causandi.
Materia prima est principium &c. Ergo.

28. α. P. *Principium agendi* naturaliter ab alio diversum præsupponit necessariò actum existendi & essendi in eo.
Tale principium est materia prima. Ergo.

29. α. =. Illud *principium* quod actu *differt* ab alio, actum quoque includit differendi ab alio.
Tale principium est materia prima. Ergo.

30. α. ♡. *Principium* diversæ actualis *unionis ad concordandum* & componendum cum aliis, indicat actum talis diversitatis unionis.
Talis est materia prima. Ergo.

Vides igitur Lector, quanta ex principiorum tam absolutorum quàm respectivorum inter se facta combinatione resultet de una & eadem re, argumentorum copia, etiamsi hîc non singula cum singulis, sed diversa cum diversis, ad methodi rationem luculentius demonstrandam, conjugaverimus; quod si singula cum singulis prosequi voluissemus, citiùs charta tempusque, quàm numerus Combinationum nobis defuisset.

Hæc si quispiam per novem Quæstionum Regulas ulterius diducere desideret, is negotium in immensam traheret rerum amplitudinem; Sed ut & labori & tempori parcamus, singulos paulò ante propositos 30 Syllogismos in novam, per tres tantum Quæstiones: *Utrum, Quid, Cur*, argumentorum propositionumque materiem coges; Si enim singulos 30 per tres dictas quæstiones examines, habebis 90 Quæstiones, & in iis nova philosophandi themata, quorum unumquodque denuò per 18 principia deductum, innumerabilem de Materia prima argumentorum congeriem suppeditabit. Nos tribus Exemplis rem enodamus.

Primus Syllogismus ex triginta recensitis fuit: Materia prima est communicabilis cum aliqua extensione actuali; de qua hæc formabitur quæstio.

1. *An materia prima verè sit communicabilis cum aliqua extensione actuali.* ℞. Affirmativè. Quia omnis communicatio quæ fit per materiam, extenditur per propriam actualem magnitudinem ad alia. Et probatur. Quia omnis potentia passiva verè Ens est; ergo bonum; Si hoc, ergo magnum; Si magnum, ergo potentialiter extensum: Sed illa extensio est actus quidam potentialis; Ergo Materia prima verè est communicabilis cum extensione aliqua actuali.

2. Per Quæstionem *Quid*, sic procedes, per modum interrogationis; *Quid sit Communicatio extensibilis actualiter in Materia prima?*

prima ? ℞. Communicationem extensibilem materiæ primæ esse connaturalem & insitam bonitatem cum ejusdem magnitudine sibi insita, sine qua non potest esse, id est, non potest ens esse.

3. Si per Quæstionem, *Cur* quæratur; *Cur Materia prima sit communicabilis cum aliqua extensionè actuali ?* ℞. Quia Materia prima intrinsecam & innatam habet bonitatem cum magnitudine: ergo habet magnitudinem, quia bona est, quia ens est; ergo habebit & extensionem, sine qua bona magnitudo concipi non potest: Sed si extensionem habet, ergo & actum aliquem extensibilitatis includere necesse est. Ergo Materia prima non est pura potentia, ergo actum aliquem includit; quod erat probandum.

Hoc pacto per methodum quandam mirabilem, demonstrativam, & in Scholis hucusque inauditam, per Quæstiones principiis nostris applicatas, apodicticorum Syllogismorum innumerabilem copiam comparabis, quæ ingenioso Lectori consideranda relinquo; Nostrum tantum est, novas argumentandi, & de quacunque re fusè & eruditè disceptandi rationes, hujus Artis nostræ industriâ exhibere. Invenient hîc rerum Philosophicarum Scriptores prædivitem venam, qua libros suos, uti novo & mirabili philosophicæ supellectilis peculio, ita nullo penè negotio scitè & pulchrè exornent.

Si verò ulterius per 9 Subjecta universalia dictam materiam continuare velint; nova & alia nascetur Quæstionum congeries.

Per:
- △ An Deus Materiam primam ab omni forma separare, eamque in puro suo statu conservare possit.
- An Angeli Materiam separatam in sua essentia verè intelligant.
- ◎ An Cœlis insit Materia prima propriè dicta.
- Quomodo Materia prima inesse cogitetur Elementis.
- An & quomodo insit homini; An Materia prima verè cum secunda coëxistere possit.
- Quomodo forma brutorum educatur ex potentia materiæ; & sic de cæteris.

Quæ si omnia per 9 Quæstiones examinentur, ingentem iterum habebis philosophandi materiam.

His finitis eandem materiam per novem prædicamenta deducere poteris. Per Quæstionem, utrum materia prima sit quanta, qualis ? an relativum quid ? an actio, an passio ? ubi sit, & in loco quomodo sit ? an situm habeat ? cum quo sit ? Quæ quidem propositiones per oppositas rationes facilè resolventur, uti in Arte oppositorum dictum fuit.

Unde ne opus in immensum crescat, Metaphysicam duobus tantum Paradigmatis fusè deductis demonstrandam duximus, ut ex hisce veluti ad prototypum quoddam reliquæ Metaphysicæ quæstiones concinnari valeant.

SECTIO II.

PARADIGMATA

Ex Logica & Dialectica.

Dabimus in hoc capite methodum quandam fortasse non spernendam ad Artis nostræ præcepta accommodatam, qua quilibet sibi innumerabiles de una & eadem re Syllogismos universales statim formare, eosque variè ex universalibus in particulares transformare possit pro libitu. Quæ tametsi Dialecticæ nostræ Combinatæ reservaverimus, hoc tamen loco nonnulla de variis inventionibus suo tempori reservatis, ad majorem rerum copiam apponam; Quas si penetrârit Lector, miram habebit ad Tirones in arte argumentendi instituendos, facilitatem, ingentemque rerum copiam reperiet, ut suo tempore ex Dialectica nostra Combinata, Deo dante, patebit; Sed jam nonnulla paucis indicemus potius quàm explicemus.

CAPUT

CAPUT I.

De Logica Præambulum.

LOgica est Ars ratiocinandi, ad discernendum verum à falso, estque Scientia ad alias addiscendas cumprimis necessaria; quia latentia definit, confusa dividit, obscura describit & concludit, quia omnia ad lineam probabilitatis revocat; ut proindè optimo jure illam sic definire queamus; Logica sive Dialectica est scientia acutè definiendi, accuratè dividendi, elaboratè demonstrandi; ita ut definitio, divisio, demonstratio sint quædam veluti instrumenta Dialecticæ, quibus omnem propositam quæstionem ad vivum discutit. Unde Logicæ finis est scientia per ratiocinium acquisita, sive est facultas subtiliter differendi in utramque partem, & de omni quæstione, quæ in dubium vocatur; Dico *de omni quæstione*, non quòd omnem quæstionem vi sua jureque proprio sibi vendicet quoad materiam, sed quod omnem causam suscipiat, susceptam tractet, quoad discurrendi modum.

Unde Logica sive Dialectica differt à Metaphysica, quod Metaphysicus definiat, dividat, demonstret per contemplationem & mentis ratiocinium, Dialecticus verò per applicationem vocis; ut ancilla Dominæ, ita Metaphysicæ servit Dialectica. Objectum hujus adæquatum aliqui ponunt Syllogismos, alii voces, alii tres operationes, uti sunt ab intellectu dirigibiles; quas si ritè composueris, invenies, optimè concordare posse in unam sententiam. Materia verò sunt, præter terminos eorundem, ea, quæ in quinque Prædicabilibus, decem Prædicamentis ac Postprædicamentis, Analyticis, Topicis traduntur. Sed cùm, uti dixi, hæc omnia Logicæ sive Dialecticæ nostræ Combinatæ reservaverimus, hisce diutiùs non immorabimur. Sed ad Artis nostræ principia progrediemur, in qua uti omnes scientiæ implicitè continentur, ita & Dialectica.

Tractat Dialectica de decem Prædicamentis; De Analyticis, De Syllogismis, De Topicis; quæ omnia Ars nostra complectitur. Et de Terminis quidem, quinque Prædicabilibus, decem Prædicamentis fusè actum est in primo Libro, Parte III. Restat, ut de demonstratione per Syllogismorum multiplicationem nonnulla hîc inferamus, forsan uti nova, ita haud ingrata futura iis, qui tritioribus in Dialectica vulgò traditis non afficiuntur.

Suppono itaque, in omni Syllogismo simplici tres esse terminos, duas propositiones, & unam conclusionem.

Ea problemata facilius probantur, quæ in pluribus figuris & modis concluduntur; difficilius autem, quæ in paucioribus.

Problema universale affirmans probatur tantùm in *Barbara*. Universale negans, in *Celarent*, *Cæsare*, *Camestres*.

Particulare affirmans in *Darii*, *Darapti*, *Disamis*, *Datisi*. Particulare negans, in *Ferio*, *Festino*; *Baroco*, *Felapton*, *Bocardo*, *Ferison*. Uti in Tabula patet;

	I. Figura.	II. Figura.	III. Figura.
A.	*Barbara.*		
E.	*Celarent.*	*Cæsare.* *Camestres.*	
I.	*Darii.*		*Darapti.* *Disamis.* *Datisi.*
O.	*Ferio.*	*Festino.* *Baroco.*	*Felapton.* *Bocardo.* *Ferison.*

His positis, per Artem Combinatoriam, pulchram in Arte nostra cum multiplicatione Syllogismorum penè infinita, methodum deteximus, quæ loco omnium, quæ de spinosis modorum figurarumque tricis tractantur, esse possunt. Sit itaque primum Paradigma de multiplicatione Syllogismorum.

PARADIGMA I. DIALECTICUM.

Syllogismos circa quamcunque materiam propositam multiplicare, eosque variè ex uno in alterum modum transmutare.

Accipe ex Tabula Combinatoria Universali Fol. 179. quascunque literarum triades, sive perpendiculariter, sive transversim, sive διαγώνως dispositas. Ex Abaci primi Tabula prima Combinatoria excipe Columnam secundam, uti hîc apparet:

B. M. B. Et habebis novem triades lite-
B. M. M. rarum quarum unaquæque 6
B. M. D. continet Syllogismos; ita ut
B. M. P. ex unica hac columna 56 Syl-
B. M. S. logismos conficere possis, om-
B. M. Vo. nes in Barbara. Sed rem exem-
B. M. Vi. plo demonstremus.
B. M. Ve. Vide ex Tabula Combina-
B. M. G. tionis rerum inter se fol. 157.

contenta, quoties tres literæ differentes inter se combinari possint, & invenies sexies. Hoc cognito, juxta combinationem inventam dispones literas, hoc qui sequitur modo:

1. B. M. D. Ubi vides B. literam bis
2. B. D. M. poni in prima serie, M. quo-
3. M. B. D. que bis, & D. pariter bis: In
4. M. D. B. secunda serie M. B. D. pari-
5. D. B. M. ter bis, uti & in tertia. Ha-
6. D. M. B. bebis itaque tres literas ita

combinatas, ut semper triades literarum sint differentes in qualibet combinatione; neque fieri potest, ut in trium rerum combinatione plures emergant combinationes, quàm sex. Sed jam ad nostrum propositum.

Dixi ex tribus literis assumptis *V. Gr.* B. M. D. juxta leges combinationis trium rerum inter se, nasci 6 combinationes, & consequenter inde nasci 6 Syllogismos; Qui quamvis formaliter unum quid probare videantur; materialiter tamen terminorum transpositione diversum quid significare videntur. Sed hoc ipsum nobis demonstrandum incumbit. B. M. D. tres literæ indicant duas præmissas & conclusionem, hoc pacto: Pro subjecto Minoris propositionis accipe ex novem Subjectis universalibus, vel ex terminis ad bonitatem reducibilibus, quemcunque libuerit; & habebis negotium confectum, ut sequitur.

I. EXEMPLUM.

Combinatio 1.	Per	B. M. D.	Omne bonum magnum est durabile.	B. M. D.
			Omne divinum est bonum magnum.	△ B. M.
			Ergo omne divinum est durabile.	△ M. D.
Combinatio 2.		B. D. M.	Omne bonum durabile est magnum.	B. D. M.
			Omne divinum est bonum durabile.	△ B. D.
			Ergo omne divinum est magnum.	△ D. M.
Combinatio 3.		M. B. D.	Omne magnum est bonum durabile.	M. B. D.
			Omne divinum est magnum.	△ M. B.
			Ergo omne divinum est bonum durabile.	△ B. D.
Combinatio 4.		M. D. B.	Omne magnum durabile est bonum.	M. D. B.
			Omne divinum est magnum durabile.	△ M. D.
			Ergo omne divinum est bonum.	△ D. B.
Combinatio 5.		D. B. M.	Omne durabile est bonitas magna.	D. B. M.
			Omne divinum est durabile.	△ D. B.
			Ergo omne divinum est bonitas magna.	△ B. M.
Combinatio 6.		D. M. B.	Omne durabile est magnum bonum.	D. M. B.
			Omne divinum est durabile.	△ D. M.
			Ergo omne divinum est magnum bonum.	△ M. B.

Vides hoc loco sex Syllogismos de eadem re ita dispositos, ut nullus in dispositione Combinationis cum altero concurrat.

Si quis jam ea Angelo, id est, secundo subjecto universali, attribuere voluerit, faciet id eo modo, qui sequitur, pro subjecto Minoris propositionis ponendo Angelum.

II. EXEMPLUM.

Combinatio 1.	Per	B. M. D.	Omne bonum magnum eſt durabile.	B. M. D.
			Omnis Angelus eſt bonum magnum.	B. M.
			Ergo omnis eſt durabilis.	D.
Combinatio 2.		B. D. M.	Omne bonum durabile eſt magnum.	B. D. M.
			Omnis eſt bonum durabile.	B. D.
			Ergo omnis eſt magnus.	M.
Combinatio 3.		M. B. D.	Omne magnum eſt bonum durabile.	M. B. D.
			Omnis eſt magnus.	M.
			Ergo omnis eſt bonum durabile.	B. D.
Combinatio 4.		M. D. B.	Omne magnum durabile eſt bonum.	M. D. B.
			Omnis eſt magnum durabile.	M. D.
			Ergo omnis eſt bonus.	B.
Combinatio 5.		D. B. M.	Omne durabile eſt bonum magnum.	D. B. M.
			Omnis eſt durabilis.	D.
			Ergo omnis eſt bonum magnum.	B. M.
Combinatio 6.		D. M. B.	Omne durabile eſt magnum bonum.	D. M. B.
			Omnis eſt durabilis.	D.
			Ergo omnis eſt magnum bonum.	B. M.

Atque hoc pacto poteris eandem hanc literarum triadem Combinare cum unoquoque Subjectorum univerſalium, uti ſunt: :::

V. G. Omne rationale eſt aptum ad ridendum.
Omnis homo eſt rationalis.
Ergo omnis homo eſt aptus ad ridendum.

Hi Syllogiſmi pariter ſexies combinari poterunt juxta tres literas B. M. D. Si B. cogites competere rationali. M. τῷ aptum ad ridendum, & C. homini.

Habes itaque Lector hîc unam literarum triadem, in ſex Syllogiſmos differentes traductam; quos ſi novem ſubjectis univerſalibus applicueris, emergent 54. Syllogiſmi de differentibus mediis diſpoſiti. Si verò omnes triades columnæ propoſitæ dicta ratione diſponas ad novem Quæſtiones, invenies 576. Syllogiſmos omnes differentes per Quæſtiones extortos; ſi deinde ea ad novem principia reſpectiva applicueris, 5274. Syllogiſmos educes, ex una triade literarum comparatos, quod vix credibile videretur, niſi demonſtrationis vis ad id credendum nos convinceret.

III. EXEMPLUM.

Ab Homine ſumptum.

S. Vi. Omne *rationale* eſt *aptum* ad ridendum.
S. Omnis *homo* eſt *rationalis.*
Vi. Ergo omnis *homo* eſt *aptus* ad ridendum.

Vi. S. Omne *aptum* ad ridendum eſt *rationale.*
Vi. Omnis *homo* eſt *aptus* ad ridendum.
S. Ergo omnis *homo* eſt *rationalis.*

S. Omne *rationale* eſt *homo.*
Vi. S. Omne *aptum* ad ridendum eſt *rationale.*
Vi. Ergo omne *aptum* ad ridendum eſt *homo.*

Vi. Omne *aptum* ad ridendum eſt *homo.*
S. Vi. Omne *rationale* eſt *aptum* ad ridendum.
S. Ergo omne *rationale* eſt *homo.*

Vi. Omnis *homo* eſt *aptus* ad ridendum.
S. Omne *rationale* eſt *homo.*
S. Vi. Ergo omne *rationale* eſt *aptum* ad ridendum.

S. Omnis *homo* eſt *rationalis.*
Vi. Omne *aptum* ad ridendum eſt *homo.*
Vi. S. Ergo omne *aptum* ad ridendum eſt *rationale.*

IV. EXEM-

IV. EXEMPLUM.

Per Principia Respectiva.

B. M. =. { Omne *bonum magnum* eſt *differens* ab alio.
Omnis ſubſtantia eſt bonum magnum.
Ergo omnis ſubſtantia eſt differens ab alia.

B. =. M. { Omne *bonum differens* eſt *magnum.*
Omnis ſubſtantia eſt bonum differens à quovis alio.
Ergo omnis ſubſtantia eſt magna.

M. B. =. { Omne *magnum bonitate* ſua *differt.*
Omnis ſubſtantia eſt magna.
Ergo omnis ſubſtantia bonitate ſua differt.

M. =. B. { Omne *magnum differt* ab alio magno.
Omnis ſubſtantia eſt magna.
Ergo omnis ſubſtantia differt ab alia qualibet magna.

=. B. M. { Omnis *differentia* eſt *bonum magnum.*
Subſtantiæ eſt differentia, qua ab alia ſubſtantia diſtinguitur.
Ergo ſubſtantia eſt bonum magnum.

=. M. B. { Omnis *differentia* reſpectu aliorum conſiſtit in exceſſu aut defectu *bonitatis.*
Omnis ſubſtantia eſt differentia reſpectu aliorum.
Ergo omnis ſubſtantia differens conſiſtit in exceſſu vel defectu bonitatis vel magnitudinis.

Ex hiſce exemplis clarè patet, terminos ſive explicitos ſive implicitos, ad melius in hoc negotio procedendum, debere eſſe concretos non abſtractos, & quantum fieri poteſt, univerſales, & ad principia noſtra reducibiles; ſi qui tamen occurrunt termini non congrui, tum vel in abſtracto vel in obliquo proferendos eſſe ſcias.

Hiſce præmiſſis, ad ſecundam triadem literarum in columna contentam, quæ ſunt B. M. M. procedes, & hanc per ſextuplicem Combinationem ad Subjecta univerſalia traductam pari modo expedies. B.M.M. Quoniam verò duo M. identicam propoſitionem cauſant; loco unius M. accipe quemcunque ex terminis ad magnitudinem revocabilibus, *V. G.* extenſum. Hoc facto ſic argumentare.

B. M. M. / △ B. M. / △ B. M. — 1. { Omne bonum magnum extenſivum eſt ſui.
Omne divinum eſt bonum magnum.
Ergo omne divinum extenſivum eſt ſui.

B. M. M. / △ B. M. / △ B. M. — 2. { Omne bonum extenſivum ſui eſt magnum.
Omne divinum eſt bonum extenſivum ſui.
Ergo omne divinum eſt magnum.

M. B. M. / △ M. B. / △ B. M. — 3. { Omnis magna bonitas eſt extenſiva ſui.
Omne divinum eſt magna bonitas.
Ergo omne divinum eſt extenſivum ſui.

M. M. B. / △ M. M. / △ B. B. — 4. { Omne magnum extenſivum ſui, eſt bonum.
Omne divinum eſt magnum quod extenſivum ſui.
Ergo omne divinum eſt bonum.

M. B. M. / △ B. M. / △ B. M. — 5. { Omne extenſivum ſui eſt bonitas magna.
Omne divinum eſt extenſivum ſui.
Ergo omne divinum eſt bonitas magna.

M. M. B. / △ B. M. / △ M. B. — 6. { Omne extenſivum ſui eſt magnum bonum.
Omne divinum eſt extenſivum ſui.
Ergo omne divinum eſt magnum bonum.

Si ita-

Si itaque loco subjecti Minoris accipias quodlibet ex novem Subjectis Universalibus, habebis iterum 54 Syllogismos; si hæc principiis respectivis applices, habebis 486 Syllogismos; si hæc per singulas Quæstiones deduces, habebis 4374 Syllogismos omnes in *Barbara*.

Tertia Trias Literarum.

B. M. D. { Omne bonum magnum est durabile.
Omne divinum est bonum magnum.
Ergo omne divinum est durabile.

Hic Syllogismus transponi potest iterum sexies, eo modo, quo in sequenti factum est.

Quarta Trias Literarum.

B. M. P. in Columna proposita. { Omne bonum magnum, est potens.
Omne { △ ☁ ◎ ⊡ 🚶 🐂 ✾ ⬠ ⁝⁝ = ♡ ∘• α ⊙ ω M. Æ. Min. } est bonum magnum.
Ergo omne { △ ☁ ◎ ⊡ 🚶 🐂 ✾ ⬠ ⁝⁝ = ♡ ∘• α ⊙ ω M. Æ. Min. } est potens.

Quinta Literarum Trias.

B. M. S. { Omne bonum magnum est cognoscibile.
Omnis scientia est bonum magnum. Sive, omne △ ☁ ◎ ⊡ 🚶 🐂 ✾ ⬠ ⁝⁝ est bonum magnum.
Ergo omnis scientia, sive △ ☁ ◎ &c. est cognoscibilis.

Sexta Literarum Trias.

B. M. Vo. { Omne bonum magnum est appetibile.
Omne divinum, angelicum, cœleste, elementare, rationale, sensitivum, vegetativum, entitativum, accidens, est bonum magnum.
Ergo omne divinum, angelicum, cœleste, elementare, rationale, sensitivum, &c. est appetibile.

Septima Literarum Trias.

B. M. Vi. { Omne bonum magnum est virtuosum.
Omne divinum, angelicum, cœleste, elementare, rationale, &c. est bonum magnum.
Ergo omne divinum, angelicum, cœleste, elementare &c. est virtuosum.

Octava Literarum Trias.

B. M. Ve. { Omne bonum magnum est verum conforme intellectui.
Omne divinum, angelicum, cœleste, elementare, rationale, &c. est bonum magnum.
Ergo omne divinum, angelicum, cœleste, &c. est verum conforme intellectui.

Nona Literarum Trias.

B. M. G. { Omne bonum magnum est gloriosum.
Omne divinum, angelicum, cœleste, &c. est bonum magnum.
Ergo omne divinum, angelicum, cœleste, &c. est gloriosum.

Habes hic Syllogismos, quotquot ex novem Columnæ triadibus combinatis per transpositionem simplicem contrahi poterunt, novem principiis respectivis, totidemque subjectis Universalibus, Quæstionibusque applicatos; qui omnes conficiunt 39366 Syllogismos, quibus omne ens bonum magnum esse probatur.

Omnium dictorum Epilogiſmus per Literas.

B. M. B.
Omne B. M. eſt diffuſivum ſui.
Omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt B. M.
Ergo omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt diffuſivum ſui.

B. M. M.
Omne B. M. eſt extenſivum ſui.
Omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt B. M.
Ergo omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt extenſivum ſui.

B. M. D.
Omne B. M. eſt durabile.
Omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt B. M.
Ergo omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt durabile.

B. M. P.
Omne B. M. eſt potens.
Omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt B. M.
Ergo omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt potens.

B. M. S.
Omne B. M. eſt cognoſcibile.
Omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt B. M.
Ergo omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt cognoſcibile.

B. M. Vo.
Omne B. M. eſt amabile.
Omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt B. M.
Ergo omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt amabile.

B. M. Vi.
Omne B. M. eſt Virtuoſum.
Omnè △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt B. M.
Ergo omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt virtuoſum.

B. M. Ve.
Omne B. M. eſt verum.
Omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt B. M.
Ergo omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt verum.

B. M. G.
Omne B. M. eſt glorioſum.
Omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt B. M.
Ergo omne △ ☁ ◎ ⊡ ♀ ♞ ✾ ⬠ ⁞⁞⁞ eſt glorioſum.

Habes hîc novem Syllogiſmos juxta triades Columnæ conſequentis, quorum unuſquiſque iterum ſexies tranſmutari poteſt; quorum ſingulos ſi ſeparatim cum ſubjectis applicatos poſueris, habebis 81 Syllogiſmos; hos rurſum ſi per 6 multiplicaveris, habebis 486 Syllogiſmos; quos ſi per 9 principia dilataveris, emanabunt 4374 Syllogiſmi; quos iterum ſi per 9 Quæſtiones in argumenta animaveris, prodibunt 40586 Syllogiſmi.

His peractis procedes pari modo ad principia reſpectiva, per tres notas B. M. ⚌. hoc pacto.

B. M. = { Omne B. M. differt, ♡ o• α ⊙ ω M. Æ. Min. reſpectivè ad alia.
Omnis △ ☁ ◎ □ 🚶 🐄 🌳 ⬠ ⁝⁝⁝ eſt B. M.
Ergo = ♡ o• α ⊙ ω M. Æ. Min.

B. D. { Omne B. M. extenſione differt, concordat, contrariatur, principiat, mediat, finit, M. Æ. Min.
Omne △ ☁ ◎ □ 🚶 🐄 🌳 ⬠ ⁝⁝⁝ eſt B. M.
Ergo omne △ ☁ ◎ □ 🚶 &c. differt, concordat, o• α ⊙ ω M. Æ. Min.

B. P. { Omne B. P. = ♡ o• α ⊙ ω M. Æ. Min.
Omne △ ☁ ◎ □ 🚶 🐄 🌳 ⬠ ⁝⁝⁝ eſt B. P.
Ergo omne △ ☁ ◎ □ &c. = ♡ o• α ⊙ ω M. Æ. Min.

B. S. { Omne B. cognoſcibile = ♡ o• α ⊙ ω M. Æ. Min.
Omne △ ☁ ◎ □ 🚶 🐄 🌳 ⬠ ⁝⁝⁝ eſt B. cognoſcibile.
Ergo omne △ ☁ ◎ □ &c. = ♡ o• α ⊙ ω M. Æ. Min.

B. Vo. { Omne B. amabile = ♡ o• α ⊙ ω M. Æ. Min.
Omne △ ☁ ◎ □ 🚶 🐄 🌳 ⬠ ⁝⁝⁝ eſt B. amabile.
Ergo omne △ ☁ ◎ □ 🚶 &c. = ♡ o• α ⊙ ω M. Æ. Min.

B. Vi. { Omne B. Vituoſum = ♡ o• α ⊙ ω M. Æ. Min.
Omne △ ☁ ◎ □ 🚶 🐄 🌳 ⬠ ⁝⁝⁝ eſt B. Virtuoſum.
Ergo omne △ ☁ ◎ □ 🚶 🐄 🌳 ⬠ ⁝⁝⁝; = ♡ o• α ⊙ ω M. Æ. Min.

Et ſic de cæteris.

Vides jam praxin multiplicandi Syllogiſmos de una & eadem re propoſita, penè in infinitum. Haud ſecus, ſi eoſdem per Quæſtiones in Syllogiſmos diſpoſueris, procedes; Quæ omnia referre & laboris & temporis penè infiniti foret. Sufficiat Lectorem hiſce inſtructum, proprio ut aiunt, Marte, complura alia invenire poſſe; Sunt enim hæc univerſalia & cuilibet quæſtioni propoſitæ nullo negotio applicari poſſunt. Sed quoniam de multiplicatione univerſali Syllogiſmorum in præcedentibus dictum eſt, modò, ne quicquam præteriiſſe videar, de tranſmutatione eorundem in varios ſignorum Syllogiſticorum modos facienda paucis agemus.

CAPUT II.

De Tranſmutatione ſive Converſione Syllogiſmorum in alios, ſive univerſales, ſive particulares, uti & de argumentatione in circulum.

N*ota primò*. Quandocunque primus Syllogiſmus eſt univerſalis affirmativus, & in *Barbara* uti in præcedentibus Exemplis patuit, & termini fuerint reciproci & convertibiles, tunc perfectus fiet circulus. Eſt autem circulus Dialecticus probatio propoſitionis per concluſionem & alteram ejuſdem Syllogiſmi propoſitionem converſam. Siquidem vel immediatè probat propoſitionem primam Syllogiſmi, aut probat utramque propoſitionem categoricè aut hypotheticè, ut paulò poſt patebit. Ad circuli verò perfectionem tria cumprimis requiruntur: Primò, ut utraque propoſitio probetur: Secundò, ut probetur immediatè, non per converſam: Tertiò, ut propoſitiones maneant categoricæ. Et hoc pacto circulus conſideratus ſecundum quoſdam, conſtat tribus Syllogiſmis, quorum unus eſt principium & fundamentum reliquorum, & alter ejus majorem, tertius verò minorem probat. Sed ſecundum noſtræ Artis doctrinam revera 6 conſtat Syllogiſmis; Cùm enim, uti ſupra oſtenſum fuit, tres ſint termini in quovis Syllogiſmo, trium autem terminorum combinatio ſex modis variari poſſit, ſex inde Syllogiſmos differentes naſci neceſſe eſt; Quæ omnia Lector curioſus poterit deprehendere ex mutatione ſubjecti &

& prædicati in singulis dispoſita, & ex ſequenti exemplo patet, quod & ſupra poſuimus; hic autem ad circulum oſtendendum id denuò aſſumpſimus.

Notæ tres aſſumptæ ſint: S. Vi. 🯅. Prima nota S. indicat Rationale, quia terminus eſt ad Sapientiam reducibilis. Secunda nota eſt Vi. & indicat aptitudinem ad ridendum, ſive riſibile, quæ eſt vis quædam in homine ab eſſentia promanans, proprietas inquam eſſentialis; ad Vi. revocabilis. Tertia nota eſt figura 🯅, eſtque nota hominis, uti ex Alphabeto 9 ſubjectorum univerſalium patet, & ſemper ponitur pro ſubjecto minoris, ad demonſtrandum hominem eſſe aptum ad ridendum.

Sit itaque primus hîc Syllogiſmus; quem tametſi ſupra quoque poſuerimus, eum tamen hîc repetendum duximus; tanquam ad propoſitum noſtrum aptiſſimum.

1. S. Vi. Omne rationale eſt aptum ad ridendum.
🯅 S. Omnis homo eſt rationalis.
🯅 Vi. Ergo omnis homo eſt aptus ad ridendum.

2. 🯅 Vi. Omnis homo eſt aptus ad ridendum.
S. 🯅 Omne rationale eſt homo.
S. Vi. Ergo omne rationale eſt aptum ad ridendum.

3. Vi. S. Omne aptum ad ridendum eſt rationale.
🯅 Vi. Omnis homo eſt aptus ad ridendum.
🯅 S. Ergo omnis homo eſt rationalis.

4. 🯅 S. Omnis homo eſt rationalis.
Vi. 🯅 Omne aptum ad ridendum eſt homo.
Vi. S. Ergo omne aptum ad ridendum eſt rationale.

5. Vi. 🯅 Omne aptum ad ridendum eſt homo.
S. Vi. Omne rationale eſt aptum ad ridendum.
S. 🯅 Ergo omne rationale eſt homo.

6. S. 🯅 Omne rationale eſt homo.
Vi. S. Omne aptum ad ridendum eſt rationale.
Vi. 🯅 Ergo omne aptum ad ridendum eſt homo.

Vides in hoc Syllogiſmo probari, hominem eſſe aptum ad ridendum, per medium rationale.

In *ſecundo* Syllogiſmo, ex negata per impoſſibile majori inferetur: omne rationale eſt aptum ad ridendum.

In *tertio*, ex minori negata præcedenti infertur, quod omnis homo ſit rationalis.

In *quarto*, ex negata majori præcedentis infertur, quod omne aptum ad ridendum ſit rationale.

In *quinto*, ex majori negata infertur, quod omne rationale ſit homo.

In *ſexto*, ex majori negata infertur, quod omne aptum ad ridendum ſit homo.

Oſtendimus, quomodo in Univerſali Syllogiſmo per circulum ſex alii in circulum conſtitui poſſint, & unus per alterum probetur; Jam verò quomodo Syllogiſmi affirmativi univerſales in particulares transmutari poſſint, docebimus.

Nota Secundò. Quandocunque Syllogiſmus eſt particularis affirmans, tunc propoſitio particularis poteſt perfectò probari circulo, per Syllogiſmos in *Darii* & *Diſamis*; quorum ille modus in prima, hic in tertia figura ponitur.

Sit itaque Syllogiſmus particularis affirmans in *Darii*, cujus tres notæ ſint 🯅 S. A. prima nota hominem ſignificat; ſecunda, S. rationale; tertia, A. album vel quodcunque aliud ex accidentium Claſſe. Hic Syllogiſmus pariter ſex modis urgeri poteſt, per modos in *Darii* & *Diſamis* & *Datiſi*, ut ſequitur:

1. DA Omnis homo eſt rationalis. 🯅 S.
RI Aliquod album eſt homo. A. 🯅
I. Ergo aliquod album eſt rationale. A. S.

2. DI Aliquis homo eſt albus. 🯅 A.
SA Omnis homo eſt rationalis. 🯅 S.
MIS. Ergo aliquod rationale eſt album. S. A.

3. DA

3.	DA	Omne rationale est homo.	S. †
	RI	Aliquod album est rationale.	A. S.
	I.	Ergo aliquod album est homo.	A. †
4.	DI	Aliquod rationale est album.	S. A.
	A	Omne rationale est homo.	S. †
	MIs.	Ergo aliquis homo est albus.	† A.
5.	DA	Omnis homo est rationalis.	† S.
	TI	Aliquis homo est albus.	† A.
	sI.	Ergo aliquod album est rationale.	A. S.
6.	DA	Omne rationale est homo.	S. †
	RI	Aliquod album est rationale.	A. S.
	I.	Ergo aliquod album est homo.	A. †

Hoc pacto quilibet ad duos terminos, assumptus tertius ex serie Classis accidentium, sexies juxta dictos modos transmutari poterit in perfectum circulum; loquor semper de accidente non essentiali, sed propriè dicto, quod à subjecto potest abesse vel eidem inesse absque corruptione; uti omnia moralia, & physica accidentia sunt; justus, pius, bonus, doctus, prudens, durus, mollis, crassus, tenuis &c.

Nota tertiò. Quandocunque Syllogismus universalis est negativus, propositio negans potest circulo probari. Ut:

cE Nullum corruptibile est æternum.
LA Omne genitum (id est physicum) est corruptibile.
rENT. Ergo nullum genitum (physicum) est æternum.

Conversa.

cE Nullum genitum est æternum.
LA Omne corruptibile est genitum.
rENT. Ergo nullum corruptibile est æternum.

Si verò particularis affirmans fuerit, probabitur, si altera propositio ex negante Categorica vertitur in hypotheticam; quod fit in *Ferio.*

FE Nullum corruptibile est æternum.
RI Aliquod genitum est corruptibile.
O. Ergo aliquod genitum non est æternum.

Nota quartò, subinde in universalibus propositionibus occurrere falsas; quomodo verò eæ resolvendæ sint in veras per conversionem sic age.

Conversio nihil aliud est, quam facto Syllogismo sumere propositionem conclusioni oppositam, scilicet contrariam vel contradictoriam, eique adjungere alteram propositionem, & inde evertere reliquam propositionem. *V. G.* Ad probandam negationem universalem, sumatur medium, quod sit attributi antecedens, & subjecti consequens: veluti si probandum sit, omnem voluptatem esse bonam, sumatur medium, quod subjiciatur bono, & attribuatur voluptati, puta expetendum; Unde talem formabis Syllogismum, in *Barbara.*

BAR Omne expetendum est bonum.
BA Omnis voluptas est expetenda.
RA. Ergo omnis voluptas est bona.

Hæc ex falsa fiet vera per *Darapti.*

DA Omnis Musica delectatio est bona.
RAP Omnis Musica delectatio est voluptas.
TI. Ergo aliqua voluptas est bona.

Primam si invertere volueris, fiet id per *Celarent.*

CE Nullum quod rationem perturbat, est bonum.
LA Omnis voluptas rationem perturbat.
RENT. Ergo nulla voluptas est bona.

Vel per Camestres.

CA Omne bonum est expetendum.
MEST Nulla voluptas est bona.
RES. Ergo nulla voluptas est expetenda.

Vel per particularem in Felapton.

FE Nullum fugiendum est bonum.
LAP Aliquod fugiendum est voluptas.
TON. Ergo aliqua voluptas non est bona.

Ex antecedente, consequenti & repugnante fiunt novem Combinationes, quarum sex tantùm concludunt, reliquæ non item.

Sed hæc omnia cùm hujus loci non sint, Dialecticæ nostræ Combinatæ reservavimus, ubi & instrumenta varia excogitavimus, de quovis Syllogismo, in cujuscunque figuræ modo assumpto in quemlibet alium cujuscunque figuræ, dicto citiùs transmutando. Quæ res nova est, & nescio an ab ullo Dialectico notata.

Verùm hoc loco omittere non potui, quin Logicum quoddam specimen adjungerem, ut quomodo disceptationes Scholasticæ ex nostris principiis deduci debeant, Artista intelligat.

CAPUT III.

Paradigmata.

EXEMPLUM LOGICUM.

An Relatio distinguatur à fundamento suo realiter.

Elatio juxta S. Thomam dicitur ordo unius rei ad aliam; Distingui verò est differre & separari ab alio, quia fieri potest, ut humanitas formaliter distinguatur ab animalitate in homine; & realiter, quando aliqua tanquam res diversæ ad invicem distinguuntur, & sic procedit quæstio tractanda.

Fundamentum verò dicitur id, unde Relatio ipsa consurgit, sive sit qualitas, ut similitudo inter duo alba, sive quantitas, ut æqualitas, quæ resultat ex eadem participatione quantitatis; quo pacto etiam Relatio de qualibet alia relatione reali, de hac enim loquimur, non de relatione rationis, quam intellectus per comparationem ad diversa efformat.

Hisce positis, ad Quæstionis discussionem more Scholastico afferamus in utramque partem, rationes, ut ex iis, utræ meliores sint, Logicus dispicere possit.

1. Pro parte *negativa* sic ex Artis nostræ Regulis argumentor, & primò per principium respectivum, quæ est differentia.

1. Per =. B. Illa non *distinguuntur* ad invicem realiter, quæ eâdem *communicatione* reali consistunt.
Sed ratio & fundamentum eodem actu & communicatione reali consistunt.
Ergo Relatio & fundamentum ad invicem non distinguuntur realiter.

Major patet; Minor probatur. Quia albedo in duobus extremis reperta & existens secum semper affert eandem similitudinem & propriam operationem; Ergo relatio à fundamento non distinguitur.

2. Per B.M. =. Ubi est eadem *integritas* & comprehensio attributorum *essentialium* & realium, ibi non potest esse *distinctio* realis.
Hæc reperitur inter relationem & fundamentum.
Ergo. Ratio, quia non plus realitatis album haberet, quando est solum, quàm haberet, quando ad aliud comparatur. Ergo.

3. Per D. =. Illa quæ eadem *duratione* consistunt & conservantur, non *distinguuntur* realiter.
Sed Relatio & fundamentum una & eadem duratione conseruantur & consistunt. Ergo.
Ratio. Quia ipsa relatio tantum durat, quantum ipsa quantitas aut qualitas, ex qua ipsa consurgit; & contra. Ergo.

Ecce tria Argumenta juxta tria principia essentialia ordine posita, juxta quem idem assumptum thema 18 Syllogismis probare poteris. Sed brevitati intenti, hoc otium reliquimus iis, qui aliarum rerum cura non distrahuntur; Sufficit enim Artis nostræ methodum paucis hoc loco indicare, quàm fusiori Syllogismorum conglobatione illam demonstrare.

Pro parte *affirmativa* dictum thema pariter tribus Syllogismis demonstro, juxta ordinem attributorum.

Itaque hoc pacto arguo.

Affirmativa Sententia, ex Gaspare Sanchez.

1. Per P. =. Quæcunque habent diversam *potestatem* realem, ad invicem *distinguuntur* realiter.
Sed Relatio & fundamentum habent diversam potestatem realem. Ergo.
Ratio Minoris est, quia fundamentum materialiter causat Relationem, Relatio verò non causat fundamentum, quando verò relatio ad aliud extremum refertur realiter, non verò fundamentum; illa distingui realiter necesse est.

2. Per

2. Per S. ⚌. Illa quæ differentes habent *inſtinctus* reales, ad invicem per eos *diſtinguuntur.*
Sed Relatio & fundamentum habent tales inſtinctus.
Ergo. Quia fundamentum, Qualitas *V. G.* ſolum habet inſtinctum informandi & qualificandi ſubſtantiam; Relatio verò inſtinctum habet ad referendum ſe realiter ad aliud extremum. Ergo Relatio à fundamento diſtinguitur realiter.

3. Per Vo. ⚌. Quæcunque diſtinctos habent *appetitus* reales, ea *diſtinguuntur* realiter.
Sed Relatio & fundamentum tales ſunt. Ergo.
Quia, cùm Relatio ſolùm appetat realiter referri, non informare ſubjectum; fundamentum verò, ſive qualitas realiter informet, nec appetat realiter referri, illa neceſſariò diſtingui neceſſe eſt.

Hanc itaque ſententiam veluti veriſimiliorem per Artis noſtræ Regulas comprobemus.

Quæritur itaque; *An Relatio diſtinguatur realiter à ſuo fundamento?*
℞. *Affirmativè*; & ſic argumentor per principia Reſpectiva:

1. Per B. ⚌. Quæcunque habent differentes *perfectiones* & *communicationes* reales, *diſtinguuntur* inter ſe realiter per eas.
Tales habent Relatio & fundamentum. Ergo.
Quia fundamentum habet perfectionem informandi ſubſtantiam, quam non habet relatio; Et contra, Relatio habet perfectionem relativam ad aliud, qua caret fundamentum. Ergo.

2. Per B. ♡. Illa, quorum *unum concordat* realiter cum altero, non concordante altero, *diſtinguuntur* realiter, per talem concordantiam & extenſionem realem reſpectam in uno, quæ non reſpicitur in alio.
Sed Relatio & fundamentum ſunt hujuſmodi. Ergo.
Ratio Minoris; Quia relatio concordat realiter cum alio extremo, ut in duobus albis ſimilitudine, qua caret fundamentum, ſeu qualitas, quæ tantùm informativa ſubjecti eſt. Ergo.

3. Per ⚌ ♡ ○●. Illa quæ habent *differentes concordantias*, & *oppoſitiones* reales, ad invicem diſtinguuntur realiter.
Sed Relatio & fundamentum ſunt hujuſmodi. Ergo.
Minoris ratio eſt, quia fundamentum ſeu qualitas habet ſe per modum informantis; & Relatio per modum reſpectivi; præterea Qualitas aut Quantitas fundamentum relationis nulli extremo opponitur realiter; quod tamen in Relatione fit. Ergo.

4. Per ⚌ α ⊙ ω. Illa *diſtinguuntur* realiter, quæ diverſas habent *cauſalitates*, & ad operandum *media* diverſa, *fineſque* diſtinctos realiter, ad quos realiter referuntur.
Sed Relatio & fundamentum ſunt hujuſmodi. Ergo.
Ratio Minoris. Quia fundamentum ſeu Qualitas cauſat relationem realiter, & non contra; quia eſt medium ad conſervandam relationem, non contra; quia denique fundamentum non refertur realiter ad aliud extremum, tanquam ad finem, ad quod relatio ipſa refertur. Ergo.

5. Per M. Æ. Min. Illa, quorum unum aliquod *majus* reale poſſidet quàm aliud, aut *æquatur* alicui extremo realiter, cui alterum non æquatur, aut *minorem* habet perfectionem realem, illa diſtinguuntur realiter ab eo.
Hoc fit inter Relationem & fundamentum. Ergo.
Ratio Minoris, quia Relatio uti refertur realiter ad aliud extremum & æquatur ei, majus utique habet reale, quàm fundamentum. Ergo.

6. Per ⚌ ♡. Illa quæ tali modo *differunt*, ut unum eorum *concordet* cum aliquo tertio, cui alterum non convenit, illa realiter diſtinguuntur per entitatem realem participatam ab uno, & negatam de altero.
Sed hoc fit inter Relationem & fundamentum. Ergo.
Concordat enim Relatio cum ſuo correlato, cui non concordat fundamentum.

7. Per ⚌ ○●. Illa quæ ita *differunt*, ut unum eorum alteri tertio *opponatur* realiter, cui non oponitur alterum extremum differens, diſtinguuntur realiter.
Hoc fit inter Relationem & fundamentum. Ergo.
Quia Relatio realis opponitur ſuo correlato, non fundamentum.

8. Per

8. Per = α. *Differentia causalitatis* realis arguit realitatem diversam in causa, quam non habet id, quod non potest tali modo causare.
Sed in fundamento relationis realis, est causalitas realis materialis, ex quo ipsa consurgit relatio, quæ non potest causare fundamentum. Ergo.

9. Per = ⊙. Quæ habent *differentia media* realia ad sui conservationem & realem existentiam, distinguuntur realiter.
Ita se habet Relatio & Fundamentum. Ergo.
Quia Relatio non potest esse sine correlato tanquam medió, quo carere potest fundamentum.

10. Per = ω. Quæ inclinantur ad *diversos fines* reales participabiles ab uno solo extremo eorum, realiter distinguuntur.
Talia sunt Relatio & Fundamentum. Ergo.

11. Per = M. Quorum unum habet *differentem* & *majorem* similitudinem realem, quàm habet alterum cum tertio aliquo extremo, differunt realiter.
Talis est Relatio & Fundamentum. Ergo. Ratio ex præcedentibus constat.

12. Per = Æ. Quæcunque *differentibus* extremis realiter *æquantur* diverso modo, differunt inter se realiter.
Hoc fit inter Relationem & Fundamentum. Ergo.
Ratio patet ex dictis.

13. Per = Min. Illa quæ ita se habent, ut ad existentiam unius alterum *subjiciatur*, & præsupponatur realiter, ut alterum consurgat & causetur, inter se *differunt* realiter.
Ita se habet Relatio & Fundamentum. Ergo.

Eccè deduximus hîc per novem principia respectiva comparata principio differentiæ novem syllogismos, quibus thema propositum probatur. Si quis verò majorem syllogismorum farraginem desideret, is jam dicta novem respectiva principia comparare poterit cum principio ♡ Concordantiæ; & deinde eadem cum principio o●; & deinde eadem cum principiis reliquis α. ⊙. ω. M. Æ. Min. & habebit, quod desiderabit.

Si quis verò eadem per 9 absoluta principia deducere velit:

Per	B.	Ubicunque est diversa	Communicatio realis,	Ibi est realis distinctio. Sed inter Relationem & Fundamentum sunt hæc. Ergo.
	M.		Extensio,	
	D.		Duratio,	
	P.		Potestas,	
	S.		Instinctus,	
	Vo.		Appetitus,	
	Vi.		Virtus,	
	Ve.		Veritas,	
	G.		Gloria,	
	=.		Differentia,	
	♡.		Concordantia,	
	o●.		Oppositio,	
	α.		Causalitas,	
	⊙.		Mediatio,	
	ω.		Finis,	
	M.		Majoritas,	
	Æ.		Æqualitas,	
	Min.		Minoritas,	

Hoc pacto Logicas Quæstiones ad quamcunque materiam Logicam, Physicam, Metaphysicam, Theologicam, applicare poteris. Sed ut exemplum habeas, quo dirigaris, hîc nonnullas propositiones paucis adducamus.

Quæritur itaque; *An falsitas in quantum major, sit magis attingibilis, quàm in quantum minor?* ℞. *Negativè*, & sic id ostendo.

Si falsitas est mâgis attingibilis in quantum major, utique *Veritas* erit magis attingibilis, in quantum est major. Per Ve.
Sed DEUS est major Veritas quàm quodvis creatum.
Ergo sequitur, quod sit magis attingibilis, quàm creatura, quæ est minor Veritas.
Sed hoc est falsum; Ergo & illud, ex quo sequitur.

Nam

Nam omne illud, quod facilius poteſt attingi, illud eſt magis attingibile. Sed verum creatum facilius poteſt attingi, cum ſit finitum reſpectu veri increati & infiniti. Ergo falſum eſt, quod veritas quantò major, tantò faciliùs ſit attingibilis & per conſequens falſitas.

Objicies: Magis falſum eſt, DEUM non eſſe trinum & unum, quàm ſucceſſionem in motu angelico.

Sed magis attingibile eſt, ſucceſſionem eſſe in motu angelico, quàm DEUM eſſe trinum & unum.

Ergo magis falſum magis attingibile eſt.

℞. Verum eſſe, id quod facilius poteſt attingi, illud magis attingibile eſſe ſecundum *accidens*; ſecundum *ſubſtantialem* majoritatem faciliùs attingi poſſe, id falſum eſſe.

2. Ex *Metaphyſicis* hanc propoſitionem Logicus adducere poſſet:

An Ens ſit terminus communis immediatus, an mediatus? ℞. Quod *mediatus*, eò quòd omnis propoſitio, in quæ pariter terminus communis eſt reſolubilis in ſingulares. Sic argues contra.

Nullum prius eſt reſolubile in ſua poſteriora, ſed in priora.
Sed ens eſt prius quid. Ergo. Cum ens prius ſit ſuis partibus ſubjectivis.

Major patet ex 10. Ethicorum. Minor patet ex Ariſtotele, dum dicit, quod prius eſt, à quo non convertitur ſubſiſtendi conſequentia, velut creatura eſt ens; Ergo ens eſt creatura, non valet, cum ſit tranſcendens, creatura verò non.

3. Ex *Theologia* quærere poſſet Logicus; *An eſſentia divina prædicari poſſit de tribus perſonis, & an verus ſit hic Syllogiſmus:*

Hæc eſſentia divina eſt Pater.
Sed Filius eſt hæc eſſentia.
Ergo Filius eſt Pater.

℞. *Negativè*, quia hic Syllogiſmus eſt in prima figura, in qua non habet locum, ſed in ſecunda; quia medium non eſt ſingulare ſingularitate incommunicabili, quod requiritur ad hoc ut Syllogiſmus ſit expoſitorius.

Sed dices. Quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe. Sed Pater & Filius identificantur in eſſentia; Ergo & inter ſe.

℞. Quod Regula dicitur de iis, quæ omnibus modis identificantur in tertio & inter ſe; Sed Pater & Filius & Spiritus Sanctus identificantur in eſſentia, & diſtinguuntur inter ſe realiter; unde non eſt par ratio in DEO, & creatis rebus, quoad dictum axioma.

Neque dici poteſt: Hic Pater non eſt Filius; Sed eſſentia divina eſt hic Pater: Ergo eſſentia divina non eſt Filius. Ratio negationis eſt; quia eſſentia divina non eſt formaliter Pater; & ſic oſtenditur.

Quandocunque Subjectum eſt abſtractum ultima abſtractione, prædicatum non poteſt prædicari niſi formaliter.
Sed eſſentia divina eſt ultimum abſtractum.
Ergo dici non poteſt formaliter hic Pater.
Sed hæc ex multis pauca ſufficiant.

SECTIO III.

Paradigmata ex Phyſica

CAPUT I.

De Principiis Phyſicæ.

PHyſica eſt Corporum naturalium Scientia. Diſtinguitur à Metaphyſica, quod illa de rebus ortui & interitui obnoxiis; hæc de rebus agat ſempiternis; illa circa concreta & ſenſibilia, hæc circa abſtracta & inſenſibilia contemplanda occupetur.

Eſſe autem Scientiam, hoc modo ex deductione principiorum oſtendo:

Illa eſt propria rerum naturalium ſcientia, quæ cauſas, principia, affectiones operationum naturalium inquirit, paſſioneſque eorundum è cauſis ſuis demonſtrat.

Hoc facit Phyſica, dum Bonitatem, Magnitudinem, D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. Corporum naturalium demonſtrat.

Conſiderat enim:

Bonitatem		Ens mobile eſt.
Magnitudinem		Per motum extenſibile eſt.
Durationem		Tempori & ſucceſſivo motui ſubſtat.
Potentiam		Potentiam agendi habet.
Inſtinctum	Corporis naturalis, in quantum	Inſtinctiva cognitione ad operandum pollet.
Appetitum		Finis appetitiva eſt.
Virtutem		Vires habet ad agendum neceſſarias.
Veritatem		Actus habet proportionatos entitati ſuæ.
Gloriam		Fine per motum adepto fruitur.

Sed hæc omnia à Phyſica non conſiderantur, niſi in quantum corpora mobilia ſunt.

Unde Subjectum Phyſicæ concludimus eſſe Corpus naturale mobile; in hujus enim conſideratione ſola & tota hæc naturalis ſcientia eſt occupata, omneſque conditiones, quæ in ſcientiarum ſubjectis requiruntur, corpori naturali competunt.

Quod verum eſſe, ita probatur. Conditiones Subjecti hæ ſunt: *Prima*, ſubjectum debet eſſe præcognitum. *Secunda*, debet omnibus, quæ in ſcientia tractantur, ſubſtructum eſſe, id eſt, debet eſſe baſis & fundamentum eorum, quæ conſiderantur in ſcientia. *Tertia*, debet habere principia & accidentia demonſtranda. *Quarta*, debet totius ſcientiæ ſubjectum eſſe adæquatum, ut neque eam excedat, neque ab ea excedatur.

Jam verò his quatuor conditionibus corpus naturale mobile adæquatè reſpondet; Primò, quia omnibus eſt notum & indemonſtrabile; Secundò, quia nulli ineſt corpus naturale, ipſum autem omnibus ſubſtat, & fundamentum eſt; Tertiò, quia habet principia, proprietates, paſſiones, accidentia, de quibus demonſtratur; Quartò, quia denique Phyſicæ eſt adæquatum ſubjectum; cum nulla alia ſit ſcientia, quæ de corpore naturali agat, prout tale mobile eſt, formalitate ſubjecti ab omnibus aliis diſtincta; quod inductione patere poteſt. Sed de his conſule, quam in ſecundo Libro poſuimus, diviſionem Scientiarum, ubi & totam Phyſicam in partes ſuas diviſimus.

Hiſce præmiſſis, jam nonnulla Artis noſtræ ſpecimina dabimus; quorum primum de Principiis, alterum de Infinito.

CAPUT II.

PARADIGMA I.

An ſint tria naturalium rerum Principia, & an illa dicantur rectè eſſe Materia, Forma, Privatio?

Oſtendetur autem primò, Materiam non eſſe principium rerum naturalium, neque Privationem.

MODUS PRIMUS.

Per terminos ſimplices principiorum Artis noſtræ ſic argumentabere.

Per	B.	Quod	Eſt quaſi non *ens*; neque *communicativum* eſſe ſui habet;	Illud rerum naturalium principium eſſe non poteſt. Talis eſt Materia prima. Ergo principium eſſe non poteſt.
	M.		Neque eſt ſubſtantia, neque accidens, neque *compoſitum*;	
	D.		In rerum natura uti non exiſtit, ita nullam *durationis* rationem habet;	
	P.		Puram tantùm *potentiam* ſive poſſibilitatem paſſivam denotat;	
	S.		*Intellectu* tantùm attingibile eſt;	
	Vo.		Nullum actualem *appetitum* habet ad compoſitionem;	
	Vi.		Nulla *virtute*, nullis viribus prædītum eſt;	
	Ve.		Non eſt ens *reale*, ſed purum potentiale;	
	G.		Ex ſe turpe, deforme, confuſum;	

Per	≍	Omne principium rerum naturalium	Debet habere *differentiam*, qua diſtinguatur ab alio principio.	Nihil horum habet aut facit Materia prima. Ergo principium dici non poteſt.
	♡		Debet habere concordantiam, & unibilitatem ad formam.	
	⊸●		Principia debent eſſe *contraria*.	
	α		Debet habere actualem *cauſalitatem* quandam in ordine ad compoſitionem rerum.	
	⊙		Debet mediante alio *uniri* alteri ad compoſitionem.	
	ω		Debet *finalitatem* habere motus & quietis.	
	M. Æ. Min.		Debet habere *Majoritatem*, *Æqualitatem*, *Minoritatem*.	

Major in omnibus propoſitionibus probatur, eò quod pura tantum potentia ſit, ſine ulla actuali exiſtentia, ſolo intellectu attingibilis, nullam aliam, præter conceptum Metaphyſicum, entitatem habens; Quod autem tale eſt, id principium reale & conſtitutivum rerum eſſe non poteſt.

Privationem quoque principium dici minimè poſſe, ſic deduces per noſtra principia.

Per	B.	Quod nullam ingenitam ſibi *bonitatem* habet;	Id principium dici minimè poteſt. Talis eſt Privatio. Ergo.
	M.	Quod nullam habet *extenſibilitatem* ad alia;	
	D.	Quod non exiſtit, neque *permanet*, ſed momentaneo tantùm tranſitu concipitur;	
	D.	*Iterum.* Quod non eſt ſenſibile, neque corruptibile, neque *temporaneum*, ſed inſenſibile, incorruptibile, æternum;	
	P.	Quod nihil ex ſe *potentiæ* habet, utpote pura negatio; jam enim eſt, jam non eſt;	
	S.	Quod nullum intrinſecam rationem habet conſtituendi aliud;	
	Vo.	Quod nullam inclinationem ad compoſitionem rerum habet, ſed eſt per modum reſultantis;	
	Vi.	Quod nulla virtute conſtitutiva pollet;	
	Ve.	Quod nullam prorſus *veram* & realem entitatem habet;	
	G.	Quod nec motus nec quietis capax eſt;	

= Quod nullam *distinctionis* rationem habet cum extremis universalibus, id principium dici non potest.
Talis est Privatio. Ergo. Quia hæc modò est, modò non est.

♡ Quod nullam *unionis* rationem habet, sed potius destructionis, id principium dici non potest.
Privatio destruit potius, quam unit. Ergo.

○● Quod non potest intrinsecè principiari ex principiis *contrariis*, id principium esse non potest.
Talis est privatio. Quia cùm formæ sit contraria illa, se invicem ab eodem subjecto excludunt.
Ergo res principiari non possunt ex forma & privatione.

α 1. Ens quod non potest *principiare* ex non ente, non potest esse principium.
Talis est privatio; Est enim carentia formæ, quæ non ens est.
Ergo. Non potest principiare ex non ente:

2. Si enim principiat illa, principiat, vel quando est, vel quando non est.
Sed non principiat, quando non est; quia quod non est, principiare non potest: Neque quando est; quia quando forma est, privatio non est.

Per 3. *Iterum.* Si privatio esset principium, id maximè foret, quia requireretur in materia, ut ex illa res fieret;
At dispositiones requiruntur adhuc in materia.
Ergo & dispositiones existendi, duratio, unio, erunt principia. Ergo plura principia quàm tria.
Sed hoc dici non debet; Ergo neque alterum.

4. *Rursus.* Ens & non ens non possunt convenire in ulla communi ratione.
Sed privatio est non ens, materia & forma sunt entia.
Ergo privatio non potest convenire cum ipsis in ratione principii communis.

⊙ Si privatio esset principium, hoc ideò esset, quod sit *medium* unitivum duorum.
Sed hoc dici non potest, cùm unio duorum sit ens reale, non privatio.
Ergo. Unio medium connectit, privatio verò dissipat.

ω Quod nullam *finis* rationem habet, id principium dici non potest.
Talis est privatio. Ergo. Quia non ens finis rationem habere non potest.

M. Æ. Min. Quod neque *Majoritatem*, neque *Æqualitatem*, neque *Minoritatem* habet, id rationem principii habere non potest.
Talis est privatio. Ergo.

Atque ex hisce patet, quomodo negativa sententia adstruenda sit: sequitur modò:

Affirmativa Sententia.

Tria sunt naturalium rerum principia: Materia, Forma & Privatio, ex mente Peripateticorum.

Hæc tria in omni rerum naturalium productione inter se distincta conveniunt, ut necessaria; atque ideò unum principium non sufficit, cùm ad ortum necessaria sit repugnantia; nihil autem ei adversari potest, quod unum est. Secundò res naturales non mutarentur, neque moverentur, quoniam unum in se agere, & suæ mutationis causa esse non potest. Si non unum tantùm principium esse potest, neque infinita principia rerum esse possunt, ut veteres nonnulli volebant; quia illa nec sciri, neque ulla mentis capacitate comprehendi possunt; essent enim, quæ ex iis componerentur, essentiæ infinitæ, quod naturæ repugnat. Neque sufficiunt duo principia, eò quod nullum contrarium sibi contrarium simile efficiat, ideoque duo contraria sola nullius essentiam constituent.

Tria ergo necessariò requiruntur, duo prima contraria principia, *Privatio* & *Forma*, & subjectum unum, sustinens eadem, quæ est *Materia*; quod enim fit, ex contrariis fieri necesse est, alioquin nulla daretur in natura rerum generatio & corruptio; Contraria autem absque subjecto agere in se neutiquam possunt. Plura igitur tribus, non sunt principia; quia corporum naturalium generatio potest perfici dato uno principio naturali ad patiendum, & duobus formalibus ad agendum. Si enim quatuor tandem principia ponerentur; duo quoque subjecta duabus primis contrarietatibus oporteret addere, ut videlicet unicuique subjecto una correspondeet contrarietas in transmutatione; quo facto, diversæ res omninò confusè generarentur. Sunt ergo, uti diximus, tria tantùm Prin-

Principia; quorum duo *conſtitutiva*, Materia & Forma; alterum *mutationis*, ut Privatio: Illa eſſentiam rei conſtituunt; hæc ad tranſmutationem unius rei in aliam concurrit. Sed jam hæc per Artis noſtræ Regulas probemus.

B.		Quæ ad omnium *Entium* naturalium generationem concurrunt.	
M.		Quorum efficientiâ dantur *compoſitiones* rerum naturalium.	
D.		Quorum ope res in *perenni motu* ac mutatione conſervantur.	
P.		Quorum virtute & *potentia* omnes res, id quod ſunt, exiſtunt.	
S.	Illa ſunt principia rerum naturalium,	Quorum *inſtinctu* naturali, rerum fit compoſitio.	Talia ſunt Materia, Forma, Privatio. Ergo.
Vo.		Quæ innatum *appetitum* habent ad generationem rerum perficiendam.	
Vi.		Quorum omnis *vis* tendit ad generationem & compoſitionem rerum.	
Ve.		Quorum concurſu compoſitiones rerum verè & realiter perficiuntur.	
G.		Quorum *finis* eſt motus & quies rerum.	

Materiam verò primam eſſe propriè Principium rerum naturalium, ſic oſtenditur.

B. In omni generatione *neceſſariò* requiritur aliquod ſubjectum receptivum formæ.
Sed hoc non poteſt eſſe niſi Materia. Ergo.

M. Fieri non poteſt, ut iſtiuſmodi ſubjectum ſit *compoſitum*, aut ſubſtantia completa; ſecus enim compoſitum aut ſubſtantia eſſet, antequam fieret.
Quod impoſſibile eſt. Ergo.

D. Principium Materiale corporum naturalium debet eſſe in *fieri.*
Talis eſt Materia prima. Ergo,
Quia non eſt neceſſarium, ut ſit inſenſibile prorſus, incorruptibile aut æternum; ſenſibilitas enim & corruptibilitas ejus temporalitaſque ex effectu generationis innoteſcit.

P. Principium rerum naturalium debet eſſe pura *potentia.*
Talis eſt Materia prima. Ergo.

S. Principium rerum naturalium debet habere *inſtinctum* naturalem ad compoſitionem rerum.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

Vo. Principium rerum naturalium debet habere *appetitum* naturalem ad formam.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

Vi. Principium debet habere *virtutem* potentialem ad concurſum generationis rerum.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

Ve. Principium rerum naturalium non debet eſſe non ens, ſed quaſi non ens, extra nihil.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

G. Principium debet ipſum deforme appetere *pulchrum*, ſcilicet formam, ut inde quies ſequatur.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

α. Id eſt *principium* conſtitutivum, ex quo primum aliquid fit, & in id demum reſoluitur.
Talis eſt Materia prima. Ergo.

Unde Concludes Materiæ primæ proprietatem, eſſe ortûs & interitûs expertem, eſſe appetitivam formæ naturalis utpote informem.

Privationem principium rerum naturalium esse, sic probatur.

B.		Sine quo *bonum* generationis consequi non potest. Sed sine privatione id fieri non potest. Ergo. Est enim principium passivum.
M.		Quod ad omnem *compositionem* accidentaliter concurrit, & sine quo compositio transigi non potest. Talis est privatio. Ergo.
D.		Quod *transmutat* unum in aliud, & sine quo transmutatio confici non potest. Talis est privatio. Ergo. Quia materia & forma, id, cum non contraria sint, non possunt.
P.		Quod *potentiam* habet privativam unius, & constitutivam alterius. Talis est privatio. Ergo.
S.		Quod non est simpliciter non ens, solo *intellectu* attingibile, aut pura tantùm negatio. Talis est privatio. Ergo. Non enim est privatio Logicè sumpta, sed Physicè, sua constans entitate suo modo.
Vo.		Quod *inclinat* ad privandum unum & constituendum aliud. Talis est privatio. Ergo.
Vi.		Quod *virtute* valet privativa unius, & constitutiva alterius. Talis est privatio. Ergo.
Ve.	Illud est principium rerum naturalium,	Quod realiter & *verè* ad generationem & corruptionem concurrit. Talis est privatio. Ergo.
G.		Quo compositum in esse suo *gloriatur*. Talis est privatio. Ergo.
=		Quod *differt* re & ratione à subjecto. Talis est privatio. Ergo. Quia jam idem est cum subjecto, modò non est.
♡		Quod cum subjecto *concordat* ante acquisitionem formæ. Talis est privatio. Ergo. Quia ante formam in potentia materiæ latet, & formâ accedente, perit.
∞		Quod *contrariatur* formæ, ipsamque transmutatione sua perficit. Talis est privatio. Sine hac enim nulla transmutatio fieri potest.
α		Quod licet non sit *principium* substantiale, est tamen principium transmutationis, & causa per accidens. Talis est privatio. Quia causa efficiens est, cur Materia appetat formam.
⊙		Quod est *medium*, quo in subjectum introducitur forma. Talis est privatio. Ergo.
ω		Quod *finaliter* constituit compositum in fieri. Talis est privatio. Quia terminus est, à quo generatio incipit.

Sed ut hæc omnia luculentius percipiantur, paulò fusiùs illa explicanda duxi.

Certum est, privationem esse quandam negationem, quæ negat præsentiam & habitum formæ, non esse tamen absolutam & meram negationem, sed esse veluti quandam habilitatem seu aptitudinem in materia, quæ habilitas facit, ut materia omnium formarum sit capax, atque adeò privatio Physica latius patet Logicâ privatione; illa enim præter defectum, aptitudinem etiam quandam dicit; hæc solum defectum; per privationem enim physicam compositum habile & idoneum redditur, ut deposita priori forma, aliam sibi convenientiorem possit assumere. Nam ut rectè Aristoteles, materia non nisi privatione mediante formam recipere potest, non immeritò, dictâ Naturæ Paranymphâ; siquidem materiæ habilitatem, propensionem & desiderium ad formas ei sola conciliat privatio, qua destituta, formam nullam reciperet, & consequenter nulla res generaretur.

Item omnis mutatio fit ex aliquo in aliud, quæ sunt contraria & extrema accidentia; atqui neutro modo materia repugnat formæ, cùm in substantia per se, ut talis est, nulla sit oppositio; necessarium igitur est tertium aliquod principium; quòd ita ostendo.

Mate-

Materia non eſt formæ contraria, & ipſa per ſe neque movet, neque efficax eſt; ſed tantùm patitur & recipit; neque ipſa forma appetit aliam formam; hoc enim ſi faceret, ipſa ſuam perniciem & interitum appeteret, quod à natura alienum eſt. Neceſſe igitur eſt, ut accedat aliquod tertium, quod ſit formæ contrarium; cum omnis mutatio ſit ex contrariis, quod quidem aliud non eſt quàm privatio.

Oſtendo id exemplo. Ovum conſtat ex duobus principiis, Materiâ ſcilicet & Formâ, in eodem etiam eſt privatio, id eſt, carentia formæ, quæ eſt propria pulli; Sed materia non poteſt ſeipſa ex potentiæ ſuæ debilitate pulli formam educere, niſi per privationem habilis & idonea reddatur, ut pulli formam deſideret, quæ quidem ob privationem in ovo eſt ut potentiâ; privatione enim deſtituta materia, nihil unquam educeret, nec deſiderium ejus compleri poſſet. Unde patet, privationem verè & propriè eſſe principium tranſmutationis, & cauſam per accidens, & terminum à quo generatio incipit, imò cauſa efficiens, cur materia appetat formam.

Sed dices contra. Per B. Non ens principium rei naturalis eſſe non poteſt; privatio eſt non ens. ℞. Eſſe non ens ſimpliciter & abſolutè, ſeu puram negationem, nego; Sed ultra id quod ſit privatio, ſive non ens, aliquam quoque aptitudinem tribuit materiæ, ut formarum capax eſſe poſſit, & hoc pacto eſt quid reale & verum generationis principium, non conſtitutivum, ſed tranſmutativum.

2. Materia & privatio ſunt idem numero, re, & ratione. Ergo fruſtra ponitur ſeparatum à materia & forma principium.

℞. Materiam & privationem eſſe quidem unum numero, ſeu ſubjecto, ante acquiſitionem formæ, diverſa tamen ratione & definitione; Quia accedente formâ privatio perit, neque ingreditur eſſentiam rei compoſitæ; eſt tamen, uti materia & forma generationis cauſa, ita privatio tranſmutationis, ſine qua materia formæ uniri non poteſt.

3. Quod rem naturalem deſtruit, id principium ejus eſſe nequit, eſt enim malefica. ℞. non eſſe cauſam tantùm deſtructivam, ſed & generationis; deſtruit enim unam rem, ut alia generetur. *V. G.* Privatio cauſa eſt, cur caſeus putreſcat, ſed etiam cauſa eſt, cur inde vermes generentur. Eadem cauſa eſt, cur ex terra arbor, ex arbore pomum, ex pomo tandem caro naſcatur, quæ naturæ valdè conſentanea ſunt.

4. Ex contrariis nihil generatur. Forma & privatio ſunt contraria. Ergo. ℞. Ex contrariis puris & ſolis nihil generari concedo, uti ex ſola privatione & forma; ſuperadjunctâ materiâ, nego.

Alius Modus, utramque ſententiam deducendi, ſumitur ex Alphabeto in principio Libri IV. *poſito.*

Cujus prima Columna eſt, uti in margine patet; per hanc variæ quæſtiones naſcuntur circa hanc materiam. Primò, *an Materia prima bona ſit, & an principium efficiens conſtituatur.* Secundò, *an diſtinguatur à privatione per* =. Tertiò, *an forma educatur è potentia materiæ, & an id mediante privatione.* Quartò, *an Materia prima à* DEO *creata ſit ejuſdem rationis ac materia prima Ariſtotelica.* Quintò, *an Materia prima diſtribuat unicuique formæ, quod ſuum eſt*, id eſt, an contribuat ex ſe aliquid ad formarum diverſitatem. Sexto, *cur Materia prima tam avara ſit formarum, tantoque appetitu & deſiderio feratur.* Eccè habes hîc denuò ingentem diſcurrendi materiam. Sed exemplo rem dilucidemus.

B. = Utrum △

Illa ſunt rerum naturalium principia, quæ *communicatione* ſua concurrunt ad compoſitionem rerum. Per B.
Talia ſunt Materia, Forma, Privatio. Ergo.

Illa quæ *differenter* concurrunt ad generationem rerum, illa ſunt & principia earum. Per =
Talia ſunt Materia, Forma, Privatio. Ergo. Quia Materia ſe habet per modum ſubjecti informis; forma per modum pulchri quod appetit; Privatio per modum tranſmutationis, informis in pulchrum.

3. *An forma educatur è potentia materiæ?* Per Utrum.
℞. Non emergere tanquam ex pura potentia paſſiva; Cum ex puro potentiali aliquid educi incredibile videatur.

Rectiùs itaque Reſpondemus ſecundum nonnullorum ſententias; (nos enim in hac artis demonſtratione novas opiniones non adducimus, ſed ab omnibus receptas excolimus,) illas ex temperatis qualitatibus in communi materia jam diſpoſita exoriri; aliud enim eſt materia, aliud materia ad hanc directionem diſpoſita. Vis enim genetica ſive plaſtica in canis *V. G.* aut alterius animalis ſemine latens, principium eſt inſitum motionis adeòque ipſius formæ; hujus enim operatione materia ejuſque qualitates ſubiguntur, variè immutantur, & in animalibus dearticulantur, donec tandem reſultet forma; haud ſecus ac figulus primò vas per rotam in certam formam multiplici operatione adaptat; eo ipſo autem, quo extremam

mam manum à vase removet, vas fictum formatumque dicitur; ita in naturalium formarum ex materia eductione fieri censendum est, ita ut formari res, fiat in tempore, formæ verò perfecta acquisitio contingat in momento; sive quod idem est, res in fieri imperfecto motu tempus exigunt, in facto esse, sive actu jam completo, in momento; adeòque non immeritò motus materiæ jam dispositæ actus imperfectus; forma verò acquisita actus perfectus omnibus numeris absolutus dici possit. Uti rectè quoque S. Thomas docet.

Mosaica materia prima in quo differat à Peripatetica.

4. *Utrum Materia prima Aristotelica ejusdem rationis sit cum materia Mosaica, sive illa à DEO in principio rerum condita?* ℞. In nonnullis materiam primam convenire Mosaicæ, in pluribus differre. Convenit, quia materia creata in initio dicitur informis, inanis & vacua; quibus quidem nominibus Peripatetici eam nominant, differentibus tamen rationibus; siquidem sectatores Mosaicæ sententiæ non informem dicunt aut vacuam inanemve eo sensu, quo Aristoteles eam dicit puram potentiam passivam; sed incompositam, id est, nulla certa adhuc lege constitutam, confusumque Chaos dicunt, in quo tamen rerum omnium producendarum semina latent; virtuale formarum omnium receptaculum. Rectè tamen cum Aristotele dicunt, Materiam Mosaicam fuisse primum subjectum, ex quo omnia deinceps generarentur, unà cum rebus genitis duraturum. Differt tamen Materia Aristotelica à Mosaica, quod illa dicatur æterna, in quantum dixit mundum æternum; hæc verò creata in tempore. Illius sententia uti erronea in fide, ita hujus præ aliis omnibus utpote fidei conformior, à Philosopho Christiano eligenda est. Quamvis nonnulli excusent materiam æternam, non quod ab æterno actu fuerit, sed quod in potentia ante omnia; quemadmodum definitiones essentiales æternæ veritatis dicunt.

5. *Utrum Materia prima distribuat unicuique, quod suum est?* ℞. *Affirmative*, quod per principia multiplici ratione ostendi potest.

B. Id quod tanquam materiale subjectum, principiumque passivum ad formarum *perfectionem* concurrit, id unicuique formæ quod suum est, distribuere necesse est.

Talis est Materia prima. Ergo. Et sic procedendo de cæteris principiis.

6. *Cur Materia sit tam avara formarum, earumque tanto feratur desiderio?* ℞. Per B. Vo.

Quia omne deforme, imperfectum, incompositum necessariò *appetit* debitam sibi *pulchritudinem*, perfectionem & compositionem. B. Vo.

Sed Materia prima est deformis, imperfecta, & incomposita. Ergo.

Quæ per alia quoque principia simplicia & composita tam absoluta, quàm respectiva variis modis confirmari poterunt: quæ ne tempus teram, illa ingenioso Lectori applicanda relinquo.

Sed hæc de tribus rerum naturalium principiis sufficiant; jam ad alterum paradigma transeamus, quod est Infinitum.

PARADIGMA II.

An Infinitum actuale dari possit, etiam absoluta DEI potentia?

Duplex est sententia, negativa & affirmativa; utramque juxta Artis nostræ principia deducemus.

Quæritur itaque: *An infinitum actuale creatum dari possit?* ℞. *Negativè*; quod & per Artis nostræ regulas ita deduces.

Per B. Si infinitum actuale dari posset, illud primò esset vel in genere bonitatis perfectionisque, vel entitatis.

Sed impossibile est, infinitum actuale dari posse infinitè bonum & perfectum.

Ergo in hoc genere rerum infinitum dari non potest.

Minor posteà probabitur.

Per M. Si infinitum actuale dari posset, illud foret vel magnitudinis, vel multitudinis.

Neutrum dici potest. Ergo.

Non prius. Si enim corpus infinitum daretur, illud foret utique sensibile; si sensibile, ergo superficiebus terminatum; si hoc, ergo sensibus comprehensibile.

Sed impossibile est, ut corpus infinitum sit terminatum; esset enim simul finitum & infinitum, quod implicat; neque illud sensibus comprehenderetur, cum infinitum omnem sensuum potentiam longè excedat.

Ergo infinitum corpus dari non potest.

Neque multitudinis infinitum dari potest actuale.

Si enim tale daretur infinitum, illud numerari posset;

Sed impossibile est infinitum numerari posse. Ergo.

Iterum. Si infinitum actuale daretur, illud esset vel simplex vel compositum.

Sed neque simplex, neque compositum esse potest. Ergo.

Non

Non prius. Si tale quoddam daretur, illud esset vel ex quatuor elementis, vel medium quoddam: non ex quatuor elementis; quia illud occuparet omnem locum, neque aliis elementis relinqueret locum, atque adeò omnia alia interimeret, sublata omni generatione rerum; quod absurdum est.

Neque medium quoddam inter elementa esse potest; Quia illud haberet vel qualitates contrarias, vel iis careret: si prius, reliquas omnes infinitate sua destrueret; si autem hisce careret, non potest esse principium rerum mutabilium; cùm omnis mutatio fiat ex contrariis.

Neque uti supra assumpsi, compositum esse posset. Quia si compositum esset, ergo vel constaret ex materia & forma, vel ex quatuor elementis finitis, vel uno infinito, & altero finito, vel ex omnibus infinitis. Nihil horum concedi potest. Ergo.

Primò non foret compositum ex materia & forma; quia omne compositum ex materia & forma, terminatum & sensibile esse debet; sed hoc neque terminatum, neque sensibile foret. Ergo.

Accedit, quòd fieri non possit, ut forma & materia in compositione naturali infinitæ sint; quia duo infinita concurrerent ad unum compositum, *v. g.* hominem, animal, vegetabile, elementale; sequeretur quoque, omnes horum infinitorum partes & membra simul fore infinita; foret itaque homo & non homo, animal & non animal, vegetabile & non vegetabile, mixtum & non mixtum; quod implicat.

Neque ex elementis finitis compositum dari potest infinitum; cùm enim omnia elementa sint finita, & compositum finitum esse necesse est, unde cessat ratio.

Neque ex finito uno & altero elemento infinito; quia infinitum omnia alia conficeret & perderet.

Neque ex omnibus elementis infinitis, omnem enim locum occuparent, & una alterius actionem infinitam superare non posset; unde infinita rerum confusio & interitus; quod cùm absurdum sit; ex his argumentis sat, ni fallor, patet, infinitum actuale sive categorematicum dari non posse. Quod alio modo sic ostenditur per 18 principia artis nostræ.

Per {

D. Si infinitum actuale dari posset, illud necessariò haberet durationem infinitam; quia à nulla potentia finita destrui posset; ergo foret æternum, quod est absurdum. Ergo.

P. Si infinitum actuale dari posset, illud necessariò infinitam agendi vim haberet; quod pariter dici non potest. Ergo. Loquendo semper de infinito creato.

S. Si infinitum actuale daretur, illud foret infinitè intellectivum, *V. G.* homo. Hoc est absurdum; ergo & illud, unde sequitur.

Vo. Si infinitum actuale creatum dari posset, *V. G.* homo, illud foret infinitè appetitivum, quod impossibile est. Ergo.

Vi. Si infinitum dari posset actuale, illud utique infinitæ virtutis foret, cùm in infinito omnia infinita existant. Hoc dici non potest. Ergo.

Ve. Si infinitum actuale dari posset, illud conforme esset intellectui, prout à parte rei existit.
Sed hoc est impossibile; cùm nullus intellectus creatus ad infiniti comprehensionem pertingat. Ergo tale infinitum dari non potest.

= Si infinitum actuale creatum dari posset, illud differret utique ab aliis rebus finitis.
Sed inter finitum & infinitum est infinita distantia & differentia, quæ impossibilis est. Ergo.

♡ Si daretur infinitum actuale creatum, illud commensurari partibus suis non posset, & consequenter illis nunquam & nuspiam uniri; unde interitus omnium sequeretur.

o● Si darentur elementa infinita, *V. G.* ignis, & aqua, illa utique contrarietate qualitatum in se agerent.
Sed hoc est impossibile; cùm in infinito nulla detur actio & passio; cùm nullum alterum superare possit; Ergo frustraneum illud foret, imo totius naturæ destructivum.

α Si daretur infinitum actuale creatum, illud certè infinitos effectus causare posset; cum operationes sequantur esse rei.
Sed hoc est perabsurdum. Ergo.

⊙ Si infinitum actuale dari posset, illud ad innumera alia infinita constituenda medium foret.
Hoc est impossibile. Ergo.

}

Per:

- ω — Ubi non est finis, ibi non datur ulla finalis ratio, aut existendi aut operandi. In infinito actuali non datur finis. Ergo.
- M. Min. — Si infinitum daretur actuale, *v. g.* homo: illud vel majus esset partibus, vel hæ minores toto. Non majus; quia majoritas involuit similitudinem totius, sicuti partes minoritatem ad totum; foret ergo talis homo *finitus & infinitus.* Quod absurdum est. Ergo.
- Æ. — Si infinitum actuale dari posset, illud constaret vel ex partibus similaribus, aut dissimilaribus. Nihil horum admitti potest. Ergo.

Non ex partibus similiaribus: sequeretur enim, quamlibet partem vel semper moveri, vel semper quiescere; cùm enim idem locus sit totius & partium; locus autem infiniti sit infinitus, ergo & partium omnium similiarium erit infinitus; non quod pars occupare possit locum infinitum; sed quod pars corporis in quacunque parte loci sit, æquè dicitur esse in suo loco; quocirca omnium partium loci eadem est ratio. Ergo in omni loco vel movebitur, vel quiescet.

Non ex partibus dissimiliaribus compositum potest esse infinitum; quia cùm dissimilarium partium loca sint diversa, totum illud infinitum unum dici non potest, nisi impropriè, quatenus illa corpora dissimilaria sunt contigua. Prætereà partes illæ dissimilares necessariò forent vel finitæ vel infinitæ: Si finitæ, totum non erit infinitum; cùm ex partibus finitis infinitum nunquam resultare possit.

Esset ergo finitum & infinitum, quod implicat; Si verò una ex iis infinita dicatur, illa alias destruet; neque infinitæ, quia cùm locus rei locatæ debeat esse æqualis, res autem locata sit infinita, loca quoque infinita fore necesse est; Si verò locus esset major corpore, daretur aliqua pars loci vacua; Si minor, daretur aliqua pars corporis sine loco, quorum utrumque perabsurdum est.

Nulla itaque ratione infinitum actu creatum in quocunque genere rerum creatarum dari potest. Non in . quod erat ostendendum.

Affirmativa Sententia per modum objectionis est, infinitum non potentiale tantum, sed & actuale dari posse.

Infinitum potentiale triplex est: *magnitudinis, multitudinis, successionis.* Hæc tria vocantur potentialia, eò quòd magnitudinis infinitum, subtrahendo, in infinitum decrescere; multitudinis verò, addendo, in infinitum augeri; successionis, in infinitum continuari possunt; habentque partes actu finitas, potentia verò seu possibilitate infinitas; De quo infinito, ut vocant, Syncategorematico, nemo controvertit ex sanæ mentis Authoribus. De Categorematico itaque infinito, seu actuali, potissima inter Authores lis est & controversia. Quod, utrum & quomodò dari possit, ex Artis nostræ regulis deducemus.

Certum est, & de fide, Infinitum dari actu existens, infinitum absolutum, infinitum, non Categorematicum aut Syncategorematicum, sed essentiale, qui est DEUS Opt. Max. Quod ita deduces primò per novem principia absoluta.

Per B. DEUS est ens per se, ex se, à se, propter se, independens, necessarium: Ergo infinitum. Quæ omnia in Theologia combinata ostendimus. Quia perseitas infinitam innuit essentiam. Si infinitam entitatem & essentiam innuit perseitas, ergo infinitam bonitatem; si infinitam bonitatem, ergo infinitam magnitudinem, sive immensitatem; si hanc, ergo infinitam durationem, ergo æternitatem; si hoc, ergo infinitam potentiam; si hoc, ergo infinitam sapientiam, voluntatem, virtutem, veritatem, gloriam habere necesse est. Sed DEUS actu talis est, qualem descripsimus, ergo infinitum absolutum est.

Hoc posito, infinitum pariter actuale creatum dari posse, sic probabis.

Per

Per

B. DEUS infinitum ens eſt; ergo infinitæ bonitatis; ergo infinitè diffuſivum & communicativum ſui ad extra; ergo & id, cui communicatur, ſive communicabile eſt, infinitum eſſe neceſſe eſt.
Debet enim effectus aſſimilari ſuæ cauſæ; bonificativum enim uti infinitum eſt, ita & bonificabile, terminus ſcilicet bonificationis; ergo DEUS infinitum producere poteſt.

M. DEUS immenſitatis ſuæ infinitudine ubicunque operatur, ibi producere poteſt effectum ſimilem ſibi, uti enim is magnificativum eſt infinitum, ita magnificabile infinitum. Ergo.

D. DEUS cùm æternam habeat durationem principii & finis expertem; poteſt uti ſemper, ita nunc producere ens aliquod æternum duratione. Ergo.

P. DEUS cùm ſit infinitæ bonitatis, magnitudinis & durationis; ergo & potentia ejus terminos non habebit, cum ſit omnipotens; ergo poteſt producere infinitum actu quoad infinitatem ſibi ſimile.

S. Quod DEUS cognoſcit, id etiam cognoſcit poſſibile; impoſſibile enim DEUS non cognoſcit ſimpliciter.
Sed cognoſcit infinitum actu. Ergo & illud poteſt producere.

Vo. Ens, quod DEUS cognoſcit bonum, illud etiam vult.
Sed DEUS cognoſcit ens infinitum ut bonum ad extra. Ergo & vult.
Sed quod vult, poteſt. Ergo infinitum actu producere poteſt.

Vi. DEUS eſt infinitæ & illimitatæ Virtutis; Ergo obſtaculum non habet, nec impedientem ſe, quo minus producat.
Poteſt ergo illud producere.

Ve. Omnis intellectus ut verus ſit, debet eſſe conformis objecto, quod cognoſcit.
Sed intellectus divinus eſt infinitus. Ergo & objectum quod cognoſcit. Ergo illud in eſſe ponere poteſt.

G. Si objectum divino intellectui non reſponderet, is eſſet finitus & limitatus, quod impium eſſet dicere, & gloriæ DEI contrarium, neque quieſcere dici poſſet, cùm appetitus infinitus finitæ rei productione non ſatiaretur.
Ergo effectus debet aſſimilari cauſæ ſuæ: cauſa eſt infinita, ergo & effectus.

Ex his omnibus nonnulli malè inferunt, DEUM non tantùm potuiſſe, ſed actu mundum produxiſſe infinitum & finitum; quod per analyſin ſic deducitur ex eorum mente.

Si DEUS non eſt, quem deſcripſimus, infinitè B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. ergo finitè bonus, finitè potens, in mundo producendo fuit; ſed quis ejus bonitatem finivit? quis potentiæ ejus terminum poſuit? vel etiam ipſo ſuperior, vel prior, vel anterior? nihil horum, cùm neminem habeat ſe ſuperiorem, anteriorem, priorem; ergo potentiæ ſuæ terminos ſibi ipſi impoſuiſſe dicendus eſt.

Si hoc, ergo infinita potentia mundum fecit finitum; ſi hoc, interniſne an externis terminis? ſed quibus externis, cùm extra ipſum ſit nihil? quibus internis, cum in ipſo ſint omnia? cur potius hoc, quàm illud pro termino ſtatuit? at ex omnibus internis quiſnam hic terminus fuit? ſi dicatur potentiæ, jam eam diminuis; ſi hanc diminuis, ſubſtantiam ejus diminuis, quod impium foret. Si dicas terminum fuiſſe voluntatis, quia ſic voluerit; contra, voluntas DEI ſine bonitate eſſe nequit; ergo uti bonitas ejus nullis terminis coarctata eſt, ita voluntas quoque in bono erit infinita; ergo utraque mundum potius infinitum quoad totum, & finitum quoad partes, quem ſolum finitum producere voluit & produxit; major enim gloria DEO reſultabat ex toto, quàm ex parte; ex univerſo, quàm ex univerſi portione; ex omnibus, quàm ex quibuſdam; ex utroque, infinito ſcilicet & finito, quàm ex altero finito tantùm minùſque præſtanti; quomodò aliàs infinita potentia & virtus, in finitam actionem exire debuerit, concipi non poteſt, neque per ſe, ſuique natura, non bonitate, potentia, voluntate, neque etiam alio urgente & impediente. Actio ergo infinita infinitum ſibi correſpondentem parturiit effectum; ſumma ergo bonitas, magnitudo, duratio, potentia, ſapientia, veritas, virtus, gloria, ad infinitæ ſuæ ſubſtantiæ teſtimonium infinitum produxit mundum, ita tamen, ut in eo mundus quoque finitus comprehenderetur. Eccè habes modum, quo infinitas mundi ex noſtris principiis aſtrui poſſit. Verùm cùm in utraque tam affirmativa quàm negativa ſententia inſignes difficultates occurrant, quomodò illæ ex dictis noſtræ Artis principiis diſolvi poſſint, docebo.

Concordia Sententiarum.

Quod itaque infinitum actuale dari non poſſit, id minimè ex defectu divinæ poten-

tiæ, voluntatis, bonitatisque provenire censendum est; sed ex impossibilitate rei factibilis.

Ubi nota: Infinitatis rationem in DEO inventam creaturæ communicari minimè posse; quia si DEUS infinitum aliquod in quocunque tandem genere produceret, illud sub ea saltem ratione, quâ attributum divinum refert, incideret cum perfectione aliqua simpliciter simplici, quæ DEO propriè convenit; ideoque creatum istiusmodi Ens sub dicta ratione coæquaretur DEO, quod impossibile est; & hisce rationibus ex principiis nostris deductis ostendo.

Per

B. Si DEUS infinita bonitatis suæ diffusione ad extra, ens aliquod produceret, in genere boni infinitum, illud haud dubiè incideret, & coæquaretur bonitati divinæ in genere entis.
Sed hoc est impossibile; foret enim istiusmodi ens infinitè bonum, saltem sub ea ratione, quæ bonitatem DEI refert.
Ergo vel ex hoc capite DEUS non potest producere tale bonum infinitum ad extra.

M. Si DEUS infinitam aliquam multitudinem aut corpus quantum produceret, illa haud dubiè incideret cum perfectione DEI simpliciter simplici, quæ est immensitas & ubiquitas. Sed hoc est impossibile. Ergo.

D. Si DEUS ab æterno produxisset *V. G.* Angelum, hominem, mundum &c. illa haud dubiè foret substantia infinita quoad durationem, & consequenter coincederet cum æternitate DEI; foret enim id minimè successivum, sed semper nunc, omne temporis attributum complicans; quod creaturæ attribuere impossibile est.

P. Si DEUS aliquod ens produceret, cui tribueret infinitam potentiam in quolibet genere, illud utique foret omnipotens, & sub hac ratione saltem DEO adæquaretur; quod est impossibile.

S. Vo. Si DEUS produceret Angelum vel hominem infiniti intellectus & voluntatis, hoc ipso jam is foret omniscius & omnivolens, & DEO quoad intellectionem & voluntatem æqualis; quod fieri non potest.

Vi. Si DEUS produceret infinitæ virtutis ens, hoc ipso id esset DEO æquale, saltem quoad vires; quod inconveniens est.

Ve. Si DEUS produceret intellectum infinitum, is haud dubiè omnium possibibilium rerum cognitione polleret sine termino & mensura, essetque summa veritas; quod ob dictas rationes iterum foret inconveniens.

G. Si DEUS produceret infinitum in genere gloriæ & fruitionis sui ipsius, id utique foret sibi ipsi sufficientissimum, omni possibili defectu carens. Quod prorsus absurdum est.

= ♡ Si DEUS plura hujusmodi infinita crearet, vel illa differrent, vel concordarent. Si differrent, ergo uni deerit, quo alterum abundabit, & consequenter finita essent & infinita; quod implicat. Si concordarent, ergo duo esse non possent, frustra enim forent, cùm duo æqualia infinita concordantia in idem infinitum & unum incidere necesse sit; neque itaque differre, neque concordare possunt.

○● Si plura infinita DEUS crearet contraria, illa vel agent inter se, vel non agent. Si non agent, frustra condita sunt; Si agent, ergo unum in alterum aget, unumque se habebit per modum patientis, alterum per modum agentis; ergo unum alterum destruet:
Sed fieri non potest, ut unum infinitum alterum destruat, cùm utrumque infinitum sit & potentiâ & magnitudine, unde nulla victoria. Patet itaque ex hac ratione implicantia & impossibilitas infinitorum.

α ⊙ ω Plura pariter infinita DEUS producere non potest, quia singula essent principia & ab æterno, & causarent infinita; quod iterum implicat contradictionem; hæc enim vel agerent per media propter finem, vel nihil agerent; si hoc, frustra producuntur; si illud, quomodò agent propter finem, quæ nec medium nec finem habent; plura itaque infinita produci non possunt.

M.Æ. Min. Si DEUS plura infinita conderet, *V. G.* homines infinitos; illorum unum esset vel majus, vel minus, vel æquale;
Sed hæc infinitis competere non possunt, cùm majoritas, æqualitas, minoritas tantùm finitis & limitatis rebus competat.

Sed

Sed dices: Si infinitorum hominum singuli habeant decem millia capillorum; ergo jam decies millies plura infinita erunt, quàm priùs forent.

℞. Hos esse debiles humanæ mentis conceptus & ridiculas imaginationes, quibus infinitum actu concipit per modum entis finiti, quasi illud sub additionis & subtractionis cæterasque multitudinis species cadere possit; est enim illa natura infiniti, ut vel decem aut centum millia capillorum infinito addita, id nec addendo augeant, nec subtractione diminuant: *Iterum*, unum infinitum tantum esse censendum est, quantum infinita millia infinitorum, cùm hæc addita illi, illud majus non efficiant; Secus enim finitum foret & infinitum additionis & subtractionis capax, quod impossibile est.

Patet itaque ex hac disceptatione, cur multitudo actu infinita impossibilis sit, quia contineret omnes species finitæ multitudinis possibiles actualiter, atque adeò esset finitum & infinitum simul, esset infinita multitudo, & non esset, quod implicat; compositum enim foret, quod ita probo.

Omnis multitudo est compositum.
Infinitum non est compositum.
Ergo nec multitudo.

Ratio Minoris: Quia omne Compositum constat partibus componentibus; multitudo infinita iis non constat; Ergo non est compositum; Ratio: Quia partes vel finitæ forent vel infinitæ; non prius, quia pars finita non habet *proportionem* ad infinitum, quia illud nec auget, nec minuit addita vel subtracta: Non posterius, quia quælibet ejus pars, puta binarius, centenarius, millenarius, esset infinitesima pars totius, adeoque omnes æquales inter se, quod de partibus infinitis dici non potest.

Quæ omnia ex Sacra Scriptura colliguntur, ubi legitur, quod *DEUS omnia in numero, pondere & mensura condiderit*; in numero autem pondere & mensura res condere, est res finitas creare, non infinitas, cùm nec numerus, nec pondus, nec mensura, ad infinitum, proportionem habeant; unde nulla infinita multitudo actu possibilis est, quia omnis multitudo est in aliqua specie multitudinis, & species multitudinis sunt species numerorum, nulla autem species est infinita; est enim omnis numerus multitudo facta per unum.

Si verò objiciatur; Posito uno contrariorum actu, & alterum necessariò poni; intelligendum est, dummodò non repugnet rei factibili. Quod verò dicatur, omnem effectum debere assimilari suæ causæ, id intelligendum est de causa univoca, non æquivoca, cujusmodi DEUS est; Unde non est necessarium, ut manifestet potentiam suam in producendo infinitum, cum sufficiat, ut res assimiletur DEO, uti ens, per participationem.

Patet quoque ex dictis, mundum non posse esse infinitum; non quia DEUS eum infinitum producere non potuerit, sed quia implicat ex parte subjecti seu mundi factibilis, qui uti ex se & sua natura est corporeus, ita terminatam quoque substantiam eum habere necesse erat.

Possunt & hæc per Quæstiones earumque Regulas supra traditas innumeris modis variari; ut, *Quid sit infinitum; cur, quantum, quotuplex, quale, ubi, quomodo, quando, quibuscum*, juxta Alphabeti in initio positi applicationem; quæ omnia ne fusior sim, ingenioso Lectori applicanda committo. Quare ad alia.

SECTIO IV.

Paradigmata ex Medicina.

CAPUT I.

In quo consistat scientia Medicinalis.

MEdicina, pars Physicæ, est scientia naturalis quæ versatur circa corpus humanum, in quantum sanabile est. Objectum ejus est, universa corporea natura; siquidem nihil in mundo existit rerum corporearum, quod non in usum suum convertat. Verùm de his consulat Lector Lib. 3. Cap. 1. De divisione scientiarum, ubi quæcunque ad Medicinam pertinent, uberrimè & amplissimè descripta reperiet.

Medici itaque est, *totum hominem nosse*, singulasque ejus partes, causasque omnes circumstantes, à quibus communiter & particulariter juvatur, læditurque; Ergo Cœlorum, stellarumque influxum, vires aëris,

aëris, aquarum, terrarumque qualitates & poteſtatem in hominem, uti anni tempora, & ætates hominum & conſuetudines & temperamenta & habitationum propietates, elementorum miſturas, eorumque vires, qualitates, ſympathias & antipathias rerum; quæ omnia ſecundum Artis noſtræ principia ſic docentur. Medicus itaque ſcire debet:

1. Per

B. Omnium ſubſtantiarum corporearum proprietates, miſturas, *eſſentias.*
M. Omnium corporearum rerum *compoſitionem*, magnitudinem virium & extenſionem ad humani corporis medelam.
D. Omnia quæ pertinent ad *durationem* ſymptomatum; ſcilicet peccaminoſæ materiæ periodos, dies criticos, menſtruos, annuos climaticos; unde naſcitur prognoſtica Medicina.
P. Quid unumquodque ex ſenſitiva, vegetabili, minerali natura conferat, quam *potentiam* habeant ad corporis infirmitates, ſanandas; unde Botanica notitia rerum.
S. Diagnoſticam medicinam callere neceſſe eſt, ut de ſingulis perfectum *judicium* & applicabile formari poſſit.
Vo. Quem unumquodque ex ſerie rerum naturalium *appetitum* & inclinationem ad morbos propulſandos habeat; unde characteriſtica ſive ſignaturæ plantarum notitia emanat.
Vi. Quænam *vires* herbarum, plantarum, arborum, animalium, juxta quadruplex genus, ſint; quænam ſympathiæ & antipathiæ rerum.
Ve. Quæ *vera*, quæ falſa ſint medicamenta, exactè diſcernat.
G. Quæ ad perfectæ ſanitatis conferant *fruitionem*; quæ eſt prophylactica ſeu medicina præſervativa.
= Quænam plantarum, fructuum, ſeminum, foliorum, radicum, metallorum, ſaporum, odorum, *differentiæ ſint*, exactè diſcernere.
♡ Quænam ad effectum medicinalem *concordent*, id eſt, harmonicum medicamentum conficere aptum ad contemperandas inter ſe harmonicè qualitates rerum.
○● Quomodò *contrarii* morbi contrariis mediis propulſari poſſint & debeant; ubi ingens de temperamentis & humoribus, ad rerum applicabilium temperamenta, campus aperietur.
α Quænam ſint *principia* rerum medicinalium; quid quælibet ex enarratis rebus aſſumpta cauſent, agant in cura membrorum.
⊙ Quænam ſint *media* tum ad conſervandam ſanitatem, tum ad ejus defectum curandum opportuna & appropriata.
ω Quis ſit *finis*, cur DEUS ſingulis rebus tam inſignes virtutes infuderit.
M. Æ. Min. Quænam ex rebus enarratis *majorem* vim habeant, quæ *æqualem*, quæ *minorem*, ut ea per exceſſum & defectum harmonicè contemperari poſſint.

Habes hîc modum Medicæ Scientiæ objecta diſponendi, eo ordine principiorum, quem vides; quo quidem nihil ad ea memoriâ conſervanda facilius eſt.

2. Hæc ſi denuo per Regulas Quæſtionum diſcuſſeris, habebis iterum ingentem innumerarum propoſitionum per 18 Artis principia examinandarum congeriem.

3. Si hæc eadem applices 9 Subjectis univerſalibus; habebis iterum novam diſputandi materiam, & quidem,

Per

△ De Medicina ſacra, morbiſque *divinis*, quos Hyppocrates τὸ θεῖον vocat.
(Angeli) De Medicina ab *Angelis*, nonnullis revelata contra morbos incurabiles.
◎ De mirabili influxu *Cælorum*, quibus corpora noſtra ſubdita afficiuntur diſponunturque tum ad morbos, tum ad ſanitatem; ubi de Medicina Chronica, climacterica, aſtrali.
□ De morbis *elementorum*, quæ eorundum eſt quædam intemperies, unde & conſequenter intemperies humorum in corporibus humanis reſultat.
(Homo) De Characteriſtica Medicina, quæ ex *humani* corporis membrorum ſimilitudine ad res naturales reſultat; de quibus in Analogica arte tractavimus; & an, & cur ob hominem omnia condita ſint; ubi & de Anatomia humani corporis, & analogia ad totum Mundum.

Per (animal)

Per { De *animalium* quadrupedum, volucrum, aquatilium, inſectorum natura & proprietate.
Ubi de *vegetabilis* naturæ arcanis magnum emergit argumentum, quod Botanica docet.
Ubi de *mineralis* naturæ viribus & facultatibus ingens materia ſuggeritur, quem Chimia ſibi vendicat.
Ubi de inſtrumentis medicis & *accidentibus*, juxta novem *prædicamenta* examinandis nova ſubminiſtratur materia; ut Quanta debeat eſſe medicina juxta doſin; Qualis juxta qualitatem; ad quæ membra potiſſimum referatur; quid agat, quid patiatur; Ubi & quis locus ſanitati potiſſimum aptus & idoneus ſit; Quando & quo tempore, qua ſtellarum configuratione medicina exhibenda; quis ſitus ægris in lecto commodior ſit ratione morborum; quis Habitus debeat eſſe infirmis ad injurias extrinſecas propulſandas.

Vides igitur, quantam materiam ſubminiſtrent noſtræ Artis principia ad Medicam ſcientiam methodicè diſponendam.

His itaque fusè expoſitis, jam unum atque alterum exemplum adducamus, ut ex iis veluti ex prototypis principiorum noſtrorum applicatio luculentius pateſiat.

CAPUT II.

PARADIGMA I.

DEſumpſimus paradigmatis argumentum ex Hippocratis Aphoriſmo 10. Sect. 2. ubi ſic dicit Medicorum parens.

Τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων ὁκόσον ἂν θρέψῃς, μᾶλλον βλάψεις.

Non pura corpora quotieſcunque nutriveris, iis magis nocebis.

Non neſcio hanc quæſtionem ab aliis quoque tractatam, ſed nos eam noſtris principiis hoc loco ita pertractabimus, ut prototypon eſſe poſſit omnium aliarum quæſtionum, quæ in Theologia, Metaphyſica, Phyſica, Ethica proponi ſolent. Quare diligenter ſibi eam Artiſta imprimat. Sed ad rem.

Quæritur itaque: *An corpora non purgata ſed impura tantò plus damni adferant, quantò ea plus nutriveris.*

℞. Affirmativè. Et primò quidem probatur per ſimplicia novem principia; deinde quoque per compoſitos Artis noſtræ terminos.

Per {
B. Quandocunque nutrimentum *bonum* miſcetur impuritatibus, tunc plus damni adferet nutrimentum, quàm utilitatis.
Hoc fit in corporibus impuritatibus obnoxiis. Ergo.
M. Quandocunque *multitudo* nutrimenti excedit, tunc plus damni quàm utilitatis conferet. Hoc fit in corpore non purgato. Ergo.
D. Quandocunque nutrimentum excedens non habet *tempus* ad digerendum præſcriptum, tunc plus damni quàm utilitatis adferet.
Hoc fit in corpore non purgato. Ergo.
P. Quandocunque nutrimentum excedens non aptè diſtribui *poteſt*, tunc plus damni quàm utilitatis adferet.
Hoc fit in corpore non purgato. Ergo.
S. Quandocunque *inſtinctus* naturalis ſentit ſe gravari, tunc plus damni quàm utilitatis conferet. Hoc fit in corpore non purgato. Ergo.
Vo. Quandocunque ultra *appetitum* nutrimentum aſſumitur, tunc plus damni quàm utilitatis inde proveniet.
Hoc fit in corpore non purgato. Ergo.
Vi. Quandocunque *virtus* per exceſſum nutrimenti debilitatur, tunc plus inde damni quàm utilitatis emanabit.
Hoc fit in corpore impuritatibus obnoxio. Ergo.
Ve. Quandocunque nutrimentum non eſt *conforme* interiori conſtitutioni, tunc plus damni, quàm utilitatis inde emanabit.
Hoc fit in corpore impuritatibus obnoxio. Ergo.
G. Quandocunque nutrimentum *finem*, quo *glorietur*, non obtinet, inde ſemper plus damni quàm utilitatis proveniet.
Hoc fit in corpore non purgato. Ergo.

Per {

=	*Differentia* ciborum superfluorum pessima est, corporibus malignis humoribus oppletis.
♡	Continuata diæta *concordantium* ciborum moderatè sumptorum, sanitati maximè consentanea est, præsertim corporibus impuritate affectis.
○●	Quæ *contrariis* qualitatibus constant nutrimenta, destruunt in impuris corporibus sanitatem, naturales facultates turbant, & mortem accelerant.
α	In impuris corporibus nutrimenta superflua efficiunt intemperiem humorum, & omnium morborum *causa* sunt.
⊙	*Media* diversorum nutrimentorum non sunt consentanea corporibus non purgatis & humoribus oppletis.
ω	Contra *finem* sanitatis dantur impuris corporibus nutrimenta superflua.
M.	In impuris corporibus tantò damnosior est nutrimentorum assumptio, quantò est *copiosior*.
Æ.	Impuritatibus oppleta corpora debent per subtractionem nutrimentorum ad *æqualitatem* & temperiem traduci.
Min.	Ubi est oppletio humorum, ibi *minor* copia alimentorum assumenda est; ut, quod superfluum est, per diminutionem ad temperatum statum reducatur.

Per terminos Compositos & mixtos, tam ex principiis absolutis, quàm respectivis.

1. Per B. & S. Omnis ciborum assumptio, quæ non *dignoscitur bona*, est læsiva sanitatis.
Talis est promiscua differentia ciborum. Ergo.
Ratio, quia causat cruditates, repletiones, obstructiones in stomacho, ventre, venis.

2. Per B. & = Omnis assumptio ciborum, quæ *diversis* corporis partibus membrisque causat diversas indispositiones, est nociva.
Talis est superflua ciborum in corpore impuris humoribus repleto assumptio. Ergo.
Ratio Minoris. Quia partes læsæ totam destruunt sanitatem; quia non potest perfectam facere concoctionem, unde omnia mala.

3. Per B. & ⊙ Illa non est *bona* nutritio, quæ non potest esse *medium* ad sanitatem.
Sed differentium ciborum assumptio in impuris corporibus non potest esse medium ad sanitatem. Ergo.
Ratio Majoris. Quia omnis nutritio tendit ad sanitatem, veluti medium ad finem.
Ratio Minoris. Quia onerat corpus, impurum indigestumque reddit per multiplicationem digerendorum.

4. Per S. = Discreta ciborum assumptio debet ordinari & *disponi* ad totalem statum corporis, *differentesque* partes ejus.
Sed hoc non fit in corpore non purgato. Ergo.
Ratio. Quia membra nequeunt ritè propter dictas rationes fungi munere suo.

5. Per S. ⊙ Illa *media* sunt inordinata & destructiva sanitatis, quæ corpus ipsum perturbant.
Talia sunt nutrimenta superflua, quæ tribuuntur corpori non purgato. Ergo.
Ratio. Quia illud ob novum laborum onus, humorumque contrarietates infirmari necesse est.

6. Per S. B. Omnis *indiscreta* cibi & alimentorum assumptio summoperè nocet sanitati.
Sed talis est, quæ tribuitur impuritatibus obnoxio corpori. Ergo.
Ratio. Quia ingurgitatio affert infirmitatem & mille morborum genera, unde mors resultat. Ergo.

7. Per = ⊙ Omnis *differentia mediorum* ad aliquem finem ordinata, si se invicem impediant, est damnosa & læsiva: quia cum talibus mediis finis obtineri non potest.
Sed talis est nutrimentorum assumptio ab homine non purgato à vitiosorum humorum miscella, quæ summopere facit laborare infirmum. Ergo.

8. Per

8. Per ⚌B. Quantò plura *incommoda* accidunt humano corpori, tantò illud magis gravant & lædunt.
Sed quando impuris humoribus subjecto corpori tribuuntur & *communicantur* cibi & alimenta *differentia* & diversa, accidunt majora incommoda. Ergo.

Cùm calor naturalis insufficiens sit ad concoquendum & digerendum; unde plenitudine humorum oppressum corpus resistere minimè valet.

9. Per ⚌S. Uti *differens* est humorum ordinatio & *dispositio* corporis, ita differentem quoque postulat nutritionem; quia similia similibus nutriuntur, & differentia differentibus.
Sed quando corpus est oppletum humoribus vitiosis, tunc naturaliter aliam refugit supervenientem repletionem.
Ergo quantò plus nutriuntur, tantò plus læduntur.

10. Per ⨀B. Tunc *media* curationis *bona* esse non possunt, & damnosa sunt, quando malum afferunt corpori sanando (cum finis evacuationis sit sanitas.)
Sed quando impuris humoribus obnoxio corpori dantur alimenta superflua, certè illud damnum notabile incurrere necesse est; quia illud replent magis. Ergo.

11. Per ⨀S. *Media*, quæ non recto *judicio* adaptantur sanitati, illa nequeunt conferre quicquam, sed potius lædunt.
Talis est administratio ciborum facta & tributa corporibus impuris, & à peccante materia non purgatis.

Quia impediunt facultatem digestionis, nè rectè operari possit. Ergo.

12. Per ⨀⚌. *Media* inter se *differentia* & impedientia se invicem non possunt conducere corporibus impuris.
Ergo talia corpora quo plùs nutriuntur, eò magis offenduntur.

Per Principia respectiva ordine se sequentia hoc idem probabis.

His positis, hæc omnia denuò per Quæstiones deducere poteris, eo qui sequitur modo:

1. { *Quæstio* 1. *Utrum nutritio ordinata sit ea, quæ est sine differentibus cibis?* ℞. Affirmativè: Quia alioquin sanitas perturbatur ista ciborum congerie, & non potest facere bonam digestionem.
Q. 2. *Quanta sit perfectio nutritionis ordinatæ sine differentibus cibis?* ℞. Per B. ⚌. Esse maximam; quia cùm non differant cibi quantitate aut qualitate, sunt faciliores ad digerendum.

2. { *Q.* 3. *Utrum nutritio ordinata debeat esse ex appropriatis & non superfluis cibis?* ℞. Affirmativè. Quia si non sunt, deordinantur in impuro corpore, & magna mala causant.
Q. 4. *Quanta debeat esse nutritio?* ℞. Debere esse proportionatam viribus & facultatibus hominis, ne multitudine obruantur impedianturque in operationibus.

3. { *Q.* 5. *An nutritio, quæ fit in partibus differentibus corporis sit facilis sine differentibus impedimentis?* ℞. Affirmativè. Quia remotis impedimentis faciliùs operantur agentia naturalia.
Q. 6. *An facilis sit istiusmodi nutritio?* ℞. Esse facilem; Quia quandò non sunt humores maligni & contrariantes, nutritio facilis est, cùm non impediantur à contrario.

4. { *Q.* 7. *Utrum nutritio bona in animali sit cum mediis ordinatis ad sanitatem?* ℞. Affirmativè. Quia cibi non proportionati nocivi sunt, contrà proportionati salubritatem inducunt.
Q. 8. *Quantum conferat nutritio bona cum mediis ordinatis ad sanitatem?* ℞. Conferre plurimùm, quia per ea tanquam per similia & naturæ consentanea sanitas propagatur, & homo conservatur.

5. { *Q.* 9. *Utrum nutritio sit ordinata cum mediis correspondentibus substantiæ alendæ?* ℞. Affirmativè. Quia simile simili augetur & conservatur.
Q. 10. *Quantum juvet nutritio, cum mediis correspondentibus, substantiæ alendæ?* ℞. Juvare plurimum, quia per similes cibos natura alenda maximè conservatur, & juvatur animal.

6. *Quæstio* 11. *Utrum nutritio ordinata actuetur & perficiatur per unum solum cibum?* ℞. Affirm. Quia unum nutrimentum magis præparat & disponit ad convertendum illud in aliti substantiam, quàm multa & diversa.

Q. 12. *Quantum conferat nutritio ex uno solo alimento?* ℞. Plurimum; Quia in cibo digerendo uno & bono non ita laborat facultas concoctiva, quàm in diversis cibis, qui impuritates augent.

7. *Q.* 13. *An nutritio cum diversis mediis noceat impuro corpori?* ℞. Affirm. Quia differentia ciborum est læsiva sanitatis, & adfert ob contrarias qualitates summam in corpore non purgato perturbationem.

Q. 14. *Quàm nociva sit nutritio differentium ciborum, queis alitur impurum corpus.* ℞. Valdè nocivam esse, quia harmoniam corporis humani, quæ in unitate consistit, destruit, & dissonantiam humorum inducit.

8. *Q.* 15. *An nutritio ex differenti subministratione ciborum lædat corpus?* ℞. Affirm. Quia differentia ciborum non concordat ob contrarias Qualitates cum substantia animalis.

Q. 16. *Quantum noceat differentia ciborum.* ℞. Plurimùm, quia præter impuritatem in corpore radicatam, alias novas propter alimenta improportionata adjungunt.

9. *Q.* 17. *Utrum nutritio differentium partium sit cum cibis ordinatis?* ℞. Affirm. Quia partes differentes corporis requirunt subinde differentes cibos propter proportionatos iis humores in sano corpore.

Q. 18. *Qualis debeat esse hujusmodi nutritio?* ℞. Debere esse ex cibis per se bonis, & cum bona dispositione assumentis eos; in corpore enim non rite disposito contrarios effectus faciunt.

10. *Q.* 19. *Utrum nutritio conversiva in substantiam aliti sit cum cibis utilibus?* ℞. Affirm. Quia cùm cibi sint medium ad salutem, certum est, bonos cibos moderatè sumptos, esse medium proportionatum ad sanitatem.

Q. 20. *Quantùm conferat nutritio conversiva in substantiam aliti?* ℞. Tantum, ut ea sola substantiam aliti roboret, & in unitate harmoniæ conservet, potentemque ad resistendum contrariis faciat.

11. *Q.* 21. *An nutritio perfecta sit cum mediis ad invicem ordinatis?* ℞. Affirm. Quia tunc medium, qualis est cibus, benè unit & conjungit partes corporis alendi, quando non habet resistentiam.

Q. 22. *Quanta sit hujusmodi nutritio?* ℞. Esse magnam; Quia tunc corpus magis roboratur, & in sua natura perficitur.

12. *Q.* 23. *An nutritio innoxia sit cum mediis non differentibus in qualitate cum substantia alenda?* ℞. Affirmativè. Quia differentia ciborum humorum perturbationem causat.

Q. 24. *Quanta sit hujusmodi nutritio?* ℞. Esse tantam; ut quemadmodum removet omnia impedimenta sanitatis, ita ad integram sanitatem & consistentiam mirificè conferat.

Habes hîc 24 Quæstiones, juxta præcedentes 12 rationes ita ordine dispositas, ut è singulis supradictis Syllogismis duas quæstiones posuerimus ad perfectam assumpti thematis discussionem; Quas si pariter reliquis Quæstionibus applices, tunc enim ingens propositionum numerus emerget, præsertim si singulas iterum per 18 Principia deduxeris. Quæstiones denique per Regulas ampliari possunt. *Ex. Gr.* In Regula *Utrùm:*

An impura corpora, quò plus nutriantur, eò magis lædantur necessariò, contingenter, possibiliter, impossibiliter. Secundò, *an lædantur quoad esse totale, quoad partes integrantes, quoad inclinationes & habitus*, & sic de cæteris in Capite de Regulis tradito. Ex quibus apparebit mirabilis & infinita quædam quæstionis propositæ extensio, quam nec ingens Tomus caperet.

Quod verò diximus de Medicis, hoc idem in omnibus aliis Argumentis, Theologicis, Metaphysicis, Physicis, Ethicis, intelligendum esse scias, cùm omnia exempla ita disposita sint, ut parallela quadam ratione sese respiciant; Sed hæc periti Artistæ industriæ relinquenda sunt; omnia enim hîc prosequi, infiniti propè laboris foret.

Sed

Sed ne omittam, quod hoc loco maximi momenti eſt, & ſunt *Conſectaria*, quæ ex dictis propoſitionibus emergunt :· ſcilicet; *Quòd impura corpora, quò plus nutriantur, eò magis lædantur*; quod quidem intelligendum eſſe ſcias:

Quoad totalem communicationem corporis.

Hinc fit conſectarium

1.	Per	B.	Læſionem fieri, quoad	Totalem *communicationem* corporis aliti.
2.		M.		*Extenſionem* tam intrinſecam, quàm extrinſecam.
3.		D.		*Durationem* & conſervationem vitæ.
4.		P.		*Potentias* & facultates aliti.
5.		S.		*Inſtinctum* naturalem, cui contrariantur.
6.		Vo.		*Appetitivam* facultatem.
7.		Vi.		Et *vires* & facultates naturales.
8.		Ve.		Totius partiumque *firmitatem* & conſiſtentiam.
9.		G.		*Finem* & *quietem*, quam non adipiſcitur.
10.		=		*Differentes* partes aliti.
11.		♡		*Unitatem* & harmoniam ſanitatis.
12.		o●		*Contrarietatem* intrinſecam, oppletionemque alimentorum in eo.
13.		α		*Cauſas* effectivas ſanitatis.
14.		⊙		*Media* improportionata ad ſalutem.
15.		ω		*Finem*, quem obtinere minimè poteſt.
16.		M.		*Majoritatem* prædominantis alimenti læſivi ſanitatis.
17.		Æ.		*Æqualitatem* modi unionis, quæ impeditur.
18.		Min.		*Minoritatem* partium & graduum complexionis ejuſdem.

Sed dices primò: Alimenta data impuris corporibus alunt ea & roborant: ergo non lædunt. ℞. Lædere ea per ſuperfluitatem, non per moderatam ſumptionem.

Dices ſecundò: Alimenta diſtrahunt & repellunt malos humores, & corroborant animal: ergo non lædunt. ℞. Lædere, quia impuris humoribus vitiata corpora non poſſunt facere ſuas operationes; unde tantum abeſt, ut humores malignos expellant, ut potiùs eos augeant.

Hoc pacto ſingulis propoſitionibus opponere quis poterit; quæ tamen vel ex ipſis propoſitionum rationibus nullo negotio ſolvi poſſunt.



ARTIS MAGNÆ SCIENDI, *SIVE* COMBINATORIÆ, LIBER OCTAVUS,

Paradigmata Artis nostræ ex Ethica, & Jurisprudentia exhibet.

SECTIO I.

Ethica applicata.

CAPUT I.

De definitione Ethicæ, & an sit scientia.

PHilosophia moralis, seu Ethica nihil aliud est, quàm morum in ultimum finem, sive naturalem, sive supernaturalem dirigendorum scientia.

Estque triplex: *Monastica*, *Oeconomica*, *Politica*. Hæc iterum triplex: *Democratia*, *Aristocratia*, *Monarchia*; De quibus ordine agendum est per totidem Paradigmata.

Est igitur Ethica propriè dicta scientia, quod ex 18 Artis nostræ principiis ita deducitur.

Per	B.	Illa est propriè dicta Scientia practica; Quæ	Per vera principia & causas benè agendi viam ad summum *bonum* monstrat.	Talis est Ethica. Ergo.
	M.		Per causas & principia practica animos ad *ardua* & difficilia virtutis amore incitat.	
	D.		Ex principiis & causis universalibus practicis viam benè beatéque *vivendi* demonstrat.	
	P.		Animum ad amplexandas virtutes, & vitia detestanda *rationibus* irrefragabilibus potentem reddit.	
	S.		Quòd bonum amandum, vitium fugiendum sit, *cognoscere* docet, & cognitis principiis per virtuosas operationes illud exequi imperat.	
	Vo.		Ex suis principiis nil præter virtuosam actionem *appetendum* amandumque esse ostendit.	
	Vi.		Regulas *virtuosarum* operationum præscribit, & per dictamen rectæ rationis ad usum convertit.	
	Ve.		Per æterna *veritatis* principia verè, benè, beatèque vivendi viam aperit.	
	G.		Ex cognitione summi boni, *pacem* tranquillitatemque animi conciliat.	

Per

Per	=	Illa eſt propriè dicta Scientia practica; Quæ	Perturbationes & *diſſidia* mentis cum appetitu ſenſitivo domat & ſubjicere docet.	Talis eſt Ethica. Ergo.
	♡		Ex multitudine finium in *unum* ſummum collimare docet.	
	○●		*Contrarietatem* paſſionum, quibus mens perpetuò veluti fluctuando luctatur, ad concordiam & harmoniam reducit.	
	α		Ex *principiis* practicis cognitis vitam felicem omnique laude dignam cauſat.	
	☉		Per conſultationem & electionem *media* ſuppeditat infallibilia ad virtutum omnium conſecutionem.	
	ω		Docet ultimi *finis* conſecutionem & fruitionem.	
	M..Æ. Min.		Quod bonum *majus* in rebus humanis ſit, quod *minus*, quod magis amandum fugiendumve, judicat.	

Explicatio dictorum uberior.

Major ſingulorum propoſitio probatur: Quia Ethica eſt verus intellectûs habitus, & vis ipſi inhærens, cujus beneficio de rebus agendis fugiendiſque facilè judicat.

Non eſt tamen *Sapientia*, quia de DEO & ſeparatis mentibus rebuſque altiſſimis non diſputat.

Neque eſt *Ars* propriè ſumpta, quia non occupatur circa materiam exteriorem, ſed circa internas voluntatis operationes, in quantum ad bonum dirigibiles ſunt; ſi tamen quandoque tractat de rebus externis, ut: fortiter pro patria dimicandum; id in tantum facit, in quantum voluntas per intrinſecos ſuos actus conſtanter ſtatuit pro patria dimicandum; atque adeò externas operationes tantum ſe habere veluti inſtrumenta, quibus quod interiùs ſtatuit voluntas, exequatur.

Neque eſt *Prudentia* propriè ſumpta, quia prudentia eſt propriè de rebus & circumſtantiis particularibus, in quantum eſt rectæ rationis dictamen rerum nunc & hîc faciendorum; quod non facit Ethica, quæ de actione voluntatis tantùm agit in univerſum, traditque generales tantùm de virtutibus amplexandis, averſandiſque vitiis leges; In quantum tamen prudentia ſubinde utitur principiis univerſalibus, illa utique mutuat ab Ethica, & proinde *ſcientiæ* nomine gloriari poteſt.

Objicies. Scientia eſt tantùm de rebus neceſſariis; Ethica non eſt de rebus neceſſariis, ſed liberis & contingentibus. Ergo non eſt propriè ſcientia.

℞. Diſtinguendo majorem: Nulla ſcientia eſt de rebus liberis in particulari, ſunt enim hoc pacto incertæ & mutabiles, concedo; in univerſum, nego; ſive quod idem eſt, in actu exercito, concedo; in actu ſignato, nego.

Eſt ergo Ethica Scientia non ſpeculativa, ſed practica; quia non quieſcit in objecti ſui cognitione, ſed tranſit ad opus, regulaſque agendi tradit.

Unde & concluditur, Objectum Ethicæ non eſſe hominem ut ſic, neque voluntatem, neque appetitum, neque virtutem, neque ſummum bonum, aut quidlibet ſimile. Non homo, neque voluntas, aut appetitus; quia proprietates hominum, voluntas, aut appetitus, non tractantur ab Ethico, ſed à Phyſico; neque ſummum bonum eſt primariò objectum Ethicæ, ſed ſecundariò: quia non tractat primariò de ſummo bono, ſed in quantum per virtuoſas actiones comparabile eſt; neque virtus eſt propriè objectum; quia objectum adæquatum natura ſua aliò referri non debet, ſed ad ipſum revocanda alia omnia; ſed virtus revocatur ad actionem humanam honeſtam.

Concludimus igitur, Objectum Ethicæ materiale eſſe Actionem humanam, prout ſpectatur in genere moris, non entis; cujus partes & proprietates ſunt, liberum arbitrium, & habitus illi, qui voluntatem ad actus honeſtos eliciendos inclinant per actiones elicitas & imperatas, ad quod revocatur quoque bonitas & malitia moralis.

Formale verò ejus objectum eſt actio voluntatis per præcepta benè vivendi ad bonum & finem ultimum dirigibilis; uti enim ſe habet actio intellectûs ad Logicam, ita actio voluntatis ad Ethicam; atqui actio intellectus in tantum Logicæ objectum eſt, in quantum dirigibilis eſt ad veritatis inquiſitionem per præcepta differendi; ergo & pari ratione Ethicæ objectum conſiderari hoc loco poteſt, in quantum actio voluntatis dirigibilis eſt per præcepta benè vivendi ad boni conſecutionem.

Hisce præmissis, nunc ad ea, quæ nostri instituti sunt propria, transeamus, videlicet ad Ethicam per artis nostræ principia demonstrandam.

Quæritur itaque primò: *Quid sit Virtus moralis?*
Respondeo juxta principia Artis nostræ.

Per		Virtus est habitus, qui hominem	
	B.		*Bonum* prudentemque in actionibus suis facit.
	M.		Ad ardua & *magna* felicitatis consequendæ gratia excitatum reddit.
	D.		*Constantem* & imperturbabilem in suis actionibus virtuosis facit.
	P.		*Præpotentem* & ultra communes hominum conditiones exercitio suo elevat.
	S.		*Sapientem* & prudentem in omnibus operationibus reddit.
	Vo.		Solùm quod bonum, honestum, jucundum & delectabile est, *appetere* facit.
	Vi.		Magnis *viribus* ad adversis resistendum instruit.
	Ve.		*Veritatis* amantem reddit omnis doli expertem.
	G.		Tranquillitate & perfecta mentis *quiete gloriari* facit.

Quæ eodem modo per novem principia respectiva deduci possunt.

Est itaque Virtus habitus præelectivus, qui in potentia ad nos relata secundum rectam rationem per prudentiam definita consistit.

Dixi *præelectivus*, *in potentia ad nos relata*; quia habitus hujusmodi uti non est de rebus necessariis, ita non necessitat, neque libertatem tollit; sed quid secundum rectam rationem faciendum; quid fugiendum sit, per prudentiam determinat.

Unde consequitur, omnem virtutem consistere inter extrema vitiosa veluti medium quoddam; quod si tenueris, tunc veram virtutem consecutus dici poteris.

Hujusmodi virtutes undecim refert Aristoteles, juxta totidem objecta earum; tot enim sunt virtutes, quot objecta; sed sunt undecim objecta, ergo totidem virtutes morales. Sed hæc in sequenti typo contemplare.

	Objecta.	*Vitiosa extrema.*	*Virtuos. medium.*	*Vitiosa extrema*	
1.	In rebus arduis & difficilibus.	Metus.	Fortitudo.	Audacia.	Quod enim in rebus arduis nimium timet meticulosus, in eo nimium audax excedit, nulla habita ratione periculi; fortis solùm medium tenet, dum & timet & audet prudenter.
2.	Dolor & Voluptas.	Impotentia.	Temperantia.	Intemperantia.	Intemperans medium superat, stupidus in modo deficit; temperans mediocritatem sectatur.
3.	Pecunia parva.	Avaritia.	Liberalitas.	Prodigalitas.	Prodigus in largiendo medium superat, in accipiendo deficit; avarus contra in dando deficit, in accipiendo modum superat: liberalis utrobique modum & medium servat.
4.	Pecunia magna.	Sordities.	Magnificentia.	Luxus.	Luxui deditus medium superat; sordidus modum deserit; magnificus mediocritatem servat.
5.	Honor magnus.	Pusillanimitas.	Magnanimitas.	Superbia.	Superbus medium superat; pusillanimus modum deserit; magnanimus medium amplectitur.
6.	Honor parvus.	Incuria honoris, famæ.	Studium honoris & famæ.	Ambitio.	Ambitiosus medium superat; honoris & famæ contemptor modum deserit; honoris & famæ cura medium sequitur.
7.	Ira.	Lentitudo.	Mansuetudo.	Iracundia.	Mediocritatem superat iracundus; deserit insensatus; servat mansuetus & clemens.
8.	Veritas.	Dissimulatio.	Veracitas.	Arrogantia.	Modum superat arrogans; deserit dissimulator & hypocrita; servat verax.
9.	Jocus.	Rusticitas.	Urbanitas.	Scurrilitas.	Scurra medium superat; rusticus deserit; urbanus medium tenet.
10.	Conversatio jucunda	Assentatio.	Comitas.	Morositas.	Assentator medium superat; morosus deserit; comis mediocritatem servat.
11.	Justitia.	Infra sortem.	Æquitas & Justitia.	Supra sortem.	Rigidus medium superat; remissus nimium justitiam deserit; Justus æquat.

Vides

Vides hîc Virtutem inter duo extrema & opposita vitia contineri; quæ quomodocunque inter se comparentur, semper pugnant inter se extrema cum extremis, & utraque extrema cum medio; Ideò vitiosi virtute præditos vituperant, & timidus fortem vocat audacem; audax appellat timidum sibi contrapositum; unde major est inter extrema contrarietas, quàm inter extremum & medium, ut patet ex terminis; subinde tamen excessus magis opponitur medio, quàm defectus; nonnunquam magis opponitur defectus medio, quàm excessus; ut intemperantia magis opponitur temperantiæ, quàm stupiditas illa ab omnibus voluptatibus abhorrens; quia homo magis inclinatur ad voluptatem, quàm ad stupiditatem, atque adeò magis opponitur intemperantia temperantiæ, quàm alteri extremo. Contrà defectus magis opponitur medio, quàm extremo suo; quia ignavia magis opponitur fortitudini, quàm audacia, quia magis ab eo recedit; unde non consistit in medio Arithmetico sed Geometrico.

His præsuppositis, jam ut scias, quid sit virtus, & ad quæ principia tam absoluta quàm respectiua quælibet revocetur, appono sequentem tabulam.

B. Beneficentia, Liberalitas, Munificentia.
M. Magnanimitas, Magnificentia, magna & ardua prudenter peragit.
D. Fortitudo, constantia, in prosperis & adversis durat.
P. Politica virtus triplex : Monarchica, Aristocratica, Reip. Oeconomica.
S. Sapientia, prudentia, fides divina.
Vo. Amor, charitas, spes, misericordia, clementia, mansuetudo.
Vi. Virtutes omnes.
Ve. Veritas, veracitas, simplicitas.
G. Tranquillitas animi, gaudium, fruitio boni.
= Secessus, solitudo, contemplatio.
♡ Pax, concordia, unio cum DEO.
o● Castitas, continentia, temperantia.
α Cognitio sui ipsius.
⊙ Sollicitudo mediorum acquirendorum ad virtutis possessionem.
ꙍ Summo bono fruendi desiderium.
M. Majorum bonorum electio.
Æ. Justitia, æquanimitas, accommodatio.
Min. Humilitas, patientia.

Harum unamquamque per omnia tam absoluta quàm respectiva principia deducere poteris, uti in sequentibus exemplis patet.

PARADIGMA I.

Quæritur secundò: *An Justitia virtus propriè dicta sit; & quid sit?*
Respondeo affirmativè; & sic per 18 principia probatur.

B. Æ.	Illa est verè & propriè dicta virtus; Quæ	Se diffundit *æquè* ad omnia *bona*, & homines ex malis bonos facit.	Talis est Justitia. Ergo est verè & propriè virtus; quæ omnia bona facit.
M. Æ.		*Magnos æquè* ac parvos juxta uniuscujusque merita aut demerita dijudicat ad præmium vel pœnam.	
D. Æ.		*Conservatrix* est regnorum & imperiorum omnium, ex *æquo* omnia durare faciens.	
P. Æ.		*Potentes* regnare facit *æquè* ac subditos legibusque subjectos obedire facit.	
S. Æ.		*Sapienter* disponit de benemeritis præmio, de impiis supplicio proportionato afficiendis.	
Vo. Æ.		Est *voluntas* perpetua & constans reddendi unicuique quod suum est.	
Vi. Æ.		Reges, principes, Monarchas æquè ac subditos gubernat, *virtutum* omnium forma, omnem excessum aut defectum vitiorum ex merito aut demerito *æquans*.	
Ve. Æ.		Juxta *veritatem* & *æquitatem* omnia decernit.	
G. Æ.		Unicuique statui tam politico, quàm monastico *tranquillitatem* conciliat & *quietem*.	

= Æ.

= Æ.		*Diſtribuit* unicuique quod ſuum eſt.	Pietatem in DEUM.
♡ Æ.		Exceſſum & defectum omnem reducit ad *unionis concordiam.*	Amorem in patriam.
○● Æ.		Extrema *oppoſita æquat* per mediocritatem.	Obedientiam & reverentiam erga ſuperiores.
α Æ.		In omni politico ſtatu *cauſat* ——	Societatem Vitæ.
⊙ Æ.	Illa eſt verè & propriè dicta virtus; Quæ	*Mediatricem* ſe conſtituit inter diſſidia publica & privata componenda.	Communionem.
			Côncordiam.
			Amicitiam.
ω Æ.		Boni communis pacem, tranquillitatem & felicitatem *unicè* intendit.	Similitudinem morum.
			Pacem parentum cum liberis, cognatis; uxorem inter & maritum.
M. Æ.		*Majores æquat* minoribus per legum dictamina.	
Min. Æ.		Quod *parum* eſt, à nimio ſubtractum ad æquitatem reducit.	

Talis eſt Juſtitia. Ergo verè & propriè Virtus.

Habes in hoc exiguo Epilogiſmo, quicquid in vaſtiſſimis Libris fusè de Juſtitiæ effectibus, natura, proprietate deſcriptum eſt: quæ ſi per oppoſitum juſtitiæ extremum, quæ eſt injuſtitia, aliter probare velis, nihil aliud tibi faciendum eſt, niſi ut per negativos terminos, omnes ſupradictas propoſitiones invertas. *V. G.* per ○●. Ubi nota hæc (○●) eſt terminus oppoſitionis & contrarietatis, quam ubicunque repereris, ibi de oppoſitis virtutibus vitiis ratiocinium inſtitui tibi perſuadeas, hoc pacto:

○● B. Æ. Illa non eſt Virtus, quæ non ſe diffundit ad ullum bonum, ſed ex bonis malos facit.
Talis eſt injuſtitia, cujus comites ſunt calumnia, jactantia, ſimulatio, calliditas, dolus, fraus, malignitas.
Ergo injuſtitia non eſt propriè Virtus.

Vel aliter.

Nullum vitium ſe extendit ad bonum, neq; ex malis bonos facit.
Talis eſt injuſtitia. Ergo non ſe extendit, &c.

Atque hoc pacto procedes juxta ſeriem omnium propoſitionum, terminos affirmativos convertendo in negativos, quod luce clarius patet ex dictis. Poteris & hæc per Alphabeti columnas, uti & per varias Quæſtiones, Quæſtionumque Regulas in infinitum ampliare; Quæ, ne in jam ſæpè ſæpius repetitis tempus perdam, induſtrioſo Lectori diſcutienda relinquo.

Cùm itaque Juſtitia Regia virtus ſit, & communis omnibus reliquis virtutibus, ita nulla ſine hac debitam perfectionem conſequitur. Poteris & hæc omnia per analogiam quandam & præcepta in Arte Analogica à nobis tradita, per omnia ſubjecta univerſalia mirabili quadam methodo deducere.

In DEO ſiquidem reperitur juſtitia, per eſſentiam, non vindicativa tantùm, ſed & diſtributiva tum in præmiandis Beatis, tum in puniendis reprobis, in ordine univerſi potiſſimum eluceſcens. In Angelis, ſive ſpectes juſtitiam operationum intrinſecam iis, ſive adminiſtrationem Mundi ad omnes juſtitiæ leges exactam. In Cœlis exactam motuum rationem; quæ non eſt aliud, niſi adæquatiſſima juſtitia perpetua & conſtans, quâ motus veloces & tardi ad admirabiles juſtitiæ æquitatiſque leges, ad effectus à natura intentos producendos reducuntur. Comparet & hoc in elementorum, in mixtorum productione, temperie & *εὐκρασία*. De homine jam diximus. De cæteris naturæ gradibus, ſenſitivo, vegetabili, elementativo luculenter apparent magnæ juſtitiæ veſtigia, ex compoſitione rerum adæquatiſſima, ad omnes æquitatis leges combinata, ex vegetabilium ſenſitivorumque natura, indole, ingenio, inſtinctu, appetitu: quorum unumquodque hucuſque recenſitorum denuò per octodecim principia deduci poteſt, & variis quæſtionibus urgeri; quæ omnia recenſere infiniti laboris foret.

QUÆSTIO II.

An prudentia ſit verè & propriè Virtus?

Prudentia, ſecunda ex virtutibus Cardinalibus, revocatur ad S. Et quæſituro an ſit virtus, & quid ſit, hoc pacto Reſpondetur juxta principiorum ſeriem.

B. S.

B. S.	Illa propriè eſt virtus; Quæ	Dum *bonum diſcernit* à malo, quid hîc & nunc amplectendum, quid fugiendum ſit, dictat.
M. S.		*Magnarum* rerum aggrediendarum *diſcretionem* docet.
D. S.		*Diù deliberat*, quod ſemel ſtatuendum eſt.
P. S.		*Potentiam* ſummam in rebus *eligendis* poſſidet.
Vo. S.		Semper id, quod perfectius, amabilius & honeſtius, & *appetibilius* eſt, *ſuadet.*
Vi. S.		*Virtutum magiſtra* eſt.
Ve. S.		*Veritatem* à falſitate ſegregat.
G. S.		Optimis conſiliis tandem *quieſcit*, & adepto *fine* fruitur.
≡ S.		Virtutes à vitiis per *differentes rationes* ſeparat.
♡ S.		Quod hîc & nunc juxta *concordantiam* rationum, agendum *definit.*
o● S.		Sine arte & ſola vi ſua, qui ſibi & aliis *bona* vel *mala* ſunt, *circumſcribit.*
α S.		Non verbis tantùm, ſed & opere ſpectabilem efficit animum actionibus ad virtutis normam compoſitis.
⊙ S.		Per *conſultationem* electionemque *mediorum* actionibus humanis ad rationis normam reductis providet.
ω S.		*Finem* in omnibus operationibus ac *judicio* ſpectat.
M· S.		*Præſidibus* aliorum propriè convenit, ad eos rectè beatéque *gubernandos.*
Æ. S.		Actiones vitio extremorum laborantes *rationis* dictamine ad *æquitatem* ducit.
Min. S.		*Defectus* actionum additione, & ſubtractione exceſſus *temperat.*

Talis eſt prudentia. Ergo.

Eſt itaque prudentia perfectum rerum hîc eſt nunc faciendarum rectæ rationis dictamen; Diſtinguitur à providentia, quòd illa ſit particularis, hæc univerſalis.

Has propoſitiones, ſi per oppoſitum prudentiæ vitium, (cujus comites ſunt, ſtultitia, præcipitantia, inconſideratio, temeritas, præſumptio, cœcitas, ignorantia, &c.) converteris, terminis affirmativis præcedentium propoſitionum mutatis in oppoſitos, negativos, & habebis totidem Syllogiſmos negativos, quot affirmativos poſueras. *V. Gr.*

o● B. S. Illa non eſt virtus, quæ in operationibus ſuis diſcretionem boni & mali non habet, ſed inconſulta præcipitantia omnia aggreditur.
Talis eſt imprudentia. Ergo.

Vel. Nullum vitium, bonum diſcernit à malo, neque, quid agendum, definit.
Tale eſt vitium oppoſitum prudentiæ.
Ergo virtus non eſt. Et ſic de cæteris ordine propoſitionibus procedes.

Si porrò prudentiam pro providentia ſub generali nomine ſumas; hanc omnibus quoque ſubjectis partim verè, partim per analogiam quandam applicare poteris. Eſt enim in Deo ſumma de rebus omnibus providentia; eſt & in Angelis, Cœlis, Elementis, homine, animalibus, vegetabilibus, mineralibus &c. Quæ omnia per enumerationem partium oſtendi poſſunt; uti in ſenſitiva natura, de proviſiione rerum ſibi neceſſariarum; de proviſione vegetabilium in attractu humorum ſibi appropriatorum; in mineralibus de inſtinctu ad locum ſibi ſuiſque operationibus maximè convenientem. Quæ ſingula iterum per 18 principia deduci & ampliari poſſunt; & per Quæſtiones, earumque regulas in innumerabilem argumentorum, capitum, titulorumque congeriem amplificari poſſunt. Sed hæc de prudentia ſufficiant.

Quæstio III.

An Fortitudo ſit virtus, & quid qualisque illa?

Fortitudo, tertia ex Cardinalibus virtutibus revocatur ad D. de qua quæritur, an virtus ſit? ℟. Affirmativè, & illud ita per principia deduco.

B. D.	Illa est virtus; Quæ	Roborat mentem ad facienda *bona* & *toleranda* mala, & ad renuenda vitia.
M. D.		*Magnanimum* in periculis, pro patria aut boni communis gratia ſuſceptis, facit.
D. D.		Hominem in laboribus virtutis gratia ſuſtinendis *perſeverantem* facit.
P. D.		Animo perfectè *dominatur*, cum à vitiis tentatur.
S. D.		Iram in *tolerandis* laboribus obviam *moderamine rationis* compeſcit.
Vo. D.		Ad magnarum rerum *appetitionem*, viliumque contemptum, laborumque utilitatis ratione, *perpeſſionem* excitat.
Vi. D.		Animum *perpetuò* ad audacem *virtutum* proſecutionem ſollicitat.
Ve. D.		*Veritatis* cauſa tormenta conſtanter & mortem ipſam intrepidè *ſuſtinet*.
G. D.		*Glorioſum* magis ducit virtutis cauſâ præclarè mori, quàm turpiter *vivere*; aut in ſervitutem redigi.
= D.		Nullis *adverſis* à magnis perpetrandis *ſeparatur*.
♡ D.		*Patientiam* humanarumque rerum contemptum *animis* inferit.
o-● D.		In *adverſis* non frangitur, neque proſperis elevatur, ſed utraque ſorte *perſeverat*.
α D.		Virtutis amore, periculorum omnium contemptum *cauſat*.
☉ D.		Proſpera inter & adverſa *medium* conſtituit animum.
ω D.		Pro *fine* habet, vel honorem DEI, vel propriam ſalutem, vel boni communis emolumentum.
M. D.		Quò *magis* premitur, eò plus *effloreſcere* facit.
Æ. D.		*Æqualem* ſibi ſemper animum facit.
Min. D.		*Vitia* deſpicit, ad altiora verò ſemper animum erectum habet.

Talis eſt Fortitudo. Ergo.

Eſt ergo Fortitudo media inter metum & temerariam audaciam conſtituta, cujus proprium eſt, inter adverſa roborare mentem ne terreatur, inter proſpera, ne plus æquo extollatur: animum inſtimulare ſemper ad exercitium boni, ipſumque confortare, ne vincatur à malis.

Quæ, uti priùs, per oppoſita vitia fuſiùs deduces, id eſt, convertendo terminos præcedentium propoſitionum affirmativos in negativos; *V.G.* Illa non eſt virtus quæ contraria omnia fortitudini facit. Talis eſt immoderata audacia, crudelitas, &c. Ergo non eſt virtus.

Sunt autem vitia oppoſita Fortitudini, amentia, audacia, inconſtantia, elatio, tyrannis, immanitas, crudelitas, & quæcunque excedunt fortitudinem; deficiunt verò à Fortitudine deſperatio, ſtupor, puſillanimitas, mollities, diffidentia, ignavia, metus ſine ratione. Atque hæc omnia vitia per negativos præcedentium propoſitionum terminos, ut dixi, deducere poteris.

QUÆSTIO IV.

An Caſtitas, continentia, & temperantia ſit Virtus, & quid? ℞. Affirmativè, & ſic per principia id oſtendo.

o-● B. ☉	Illa propriè eſt virtus; Quæ	Summam animæ *bonitatem* largitur, dum ſe à vitiis *continet*, eaque ſuperat *mediante* virtute.
o-● M. ☉		*Enormia* vitia animæ & contraria inſultantia cohibet & compeſcit *mediante* continentia.
o-● D. ☉		In cuſtodia ſui ipſius *perſeverantem* facit, perfecta *contrariorum* motuum interiorum exteriorumque *moderatione*.
o-● P. ☉		Hominem ad *vitiis* omnibuſque animæ nocivis reſiſtendum *potentem* reddit.
o-● S. ☉		Rectæ *rationis* dictamine cor à pravis *concupiſcentiis* coërcet, & impetus ſenſuales ad *mediocritatem* reducit.
o-● Vo. ☉		*Appetitus* carnalis *voluptatis* in cibo, potu, venereiſque actionibus, *medio* rationis compeſcit.
o-● Vi. ☉		Dum ab omnibus *vitiis* ſe cohibet, omnes in ſe plantat *virtutes*.
o-● Ve. ☉		*Veros* interiores animi motus à *falſis* & deceptoriis diſcernit.
o-● G. ☉		*Finem* omnibus *cupiditatibus* imponit.

Talis eſt Caſtitas. Ergo.

o-● = ☉

○● = ☉	Illa proprie est virtus; Quæ	Hominem ab omnibus occasionibus peccandi *separat*.
○● ♡ ☉		*Unionem* cum DEO conciliat.
○● ○● ☉		Omnes *contrarios* spiritum inter & carnem motus, continentiæ *medio* cohibet & extinguit.
○● α ☉		*Causas* illicitarum voluptatum in cibo, potu, venere, impedit.
○● ☉ ☉		*Mediis* opportunè constitutis, passionibus mentis ex prava concupiscentia ortis, frænum injicit.
○● ω ☉		Omnia in hunc *finem* ordinat, ut animam & corpus ab omni pollutione servet immunem.
○● M. Æ. Min. ☉		Omnem *excessum* & *defectum* rectæ rationis dictamine & judicio æquat.

Talis est Castitas. Ergo.

Differt hæc à Justitia, Fortitudine, Prudentia, quod illa, quæ sensuum concupiscentiam concernunt, in cibo, potu, & venereis propriè cohibeat, & mediocritatem inducat; Justitia verò inter justum & injustum; Fortitudo opposita metum & inconsultam audaciam cohibeat medio rationis; Prudentia inter stoliditatem & temeritatem medium rationis; hæc verò inter excessum & defectum luxuriæ medium ponat; Suntque hæ Virtutes Cardinales, quæ omnium reliquarum Virtutum chorum moderantur. Sed hæc jam de iis sufficiant. Quare ad tres Theologicas virtutes transeamus. Sit itaque

QUÆSTIO II.

An Fides sit Virtus, & Qualis?

Fides duplex hîc in considerationem venit: *Humana* & *Divina*: utramque paucis prosequemur. Revocatur autem Fides ad Ve.

Fides cùm sit eorum, quæ non apparent, & quæ futura esse certò existimantur, pro modo eorum, quæ in credulitatem cadunt, distinguitur. Quare alia est Humana, hoc est de rebus humanis, ut cùm humanis verbis fidimus; alia est Divina, quandò certò credimus revelationi divinæ innixi, id est, quæ non cognoscimus apertè, & evidenter, sed effectus videmus.

Quod ad primam. Jam ferè nihil est in hoc sæculo, quod partim nobis non innotescat ex fide, omnibus horis vita humana credit. Serit Agricola ea fide impulsus, quòd credit venturos imbres solisque calorem ad optimam messem opportunum. Contrahuntur matrimonia in fide prolis futuræ. Traduntur præceptoribus discipuli, quod credant in eos eruditionem transfundi posse. Imperii insignia assumuntur, dum credimus populos obsecundaturos. Fide nauta se aperto periculo exponit. Fide, quod in annalibus scriptum invenitur, verum credimus fuisse. Fide omnes obligationes contrahuntur, cùm de occultis cordium cogitationibus non liceat judicare, verbis & promissionibus nos exponimus; hinc patet, ut cùm maximè fide in humanæ societatis commercio opus sit, neque sine ea vivere queamus; Fides quoque publico consensu exsolvenda sit, ab hominibus & contra perfidos varia constituta pœna: unde hanc virtutem esse maximè necessariam, hisce argumentis probabis.

B. Ve.	Illa est vera virtus; Sine qua	Nulla hominum conversatio & *commercium* conservari potest.
M. Ve.		Nihil *magnum* & arduum perfici potest.
D. Ve.		Nihil in humanis rebus *durare* potest.
P. Ve.		*Principes, Reges, Imperatores,* omnesque Rerumpubl. administrationes in vanum laborant.
S. Ve.		Omnia *Consilia*, omnia arcana cordium consistere non possunt.
Vo. Ve.		Nulla *voluntas* explicari potest.
Vi. Ve.		Nulla *virtus* consistere potest.
Ve. Ve.		Nulla in mundo *veritas* est.
G. Ve.		Omnis humana *gloria* & *quies* fine suo frustratur.
= Ve.		Innumera *diffidia* nascuntur in Rebuspublicis.
♡ Ve.		Mundus *contrarietatibus* involvitur.
○● Ve.		Innumera mala *causantur*.
α Ve.		Nulla datur in politicis *pax* & *concordia*.
☉ Ve.		Omnis *mediocritatis* ratio tollitur.
ω Ve.		Perit *finis* Reb. publ. præfixus.
M. Ve.		*Majores* & Superiores produntur.
Æ. Ve.		*Æquales* dolo & insidiis enervantur.
Min. Ve.		*Minores* ad incitas reducuntur.

Sine Fide humana omnia ista fiunt. Ergo.
Fidem humanam omnia dicta bona consequuntur.

Multa ſanè poſſunt animum inducere, ut pollicitum ſperemus, vel factum fuiſſe vel futurum credamus; Cæterum ſi è communiter accidentibus, & quotidianis exemplis atque humanæ naturæ inconſtantia velimus res perpendere, vix aut nunquam fidem inter hæc caduca habendam vel dandam eſſe cognoſcemus; uſque adeò enim fides hæc fragilis, incerta, ſubdola & inconſtans eſt, ut nulli rei fidendum videatur; Amicis enim aut conſanguineis fidemus? at illos quotidianis ſe litibus divexare videmus. Qui amici ſunt hodiè, leviori de cauſa hoſtes fiunt ſeveriores; verbo:

——— *Stat nulla diù mortalibus uſquam*
Fortuna titubante fides.

Ad politica & contractus ſi venias, pollicitis quilibet dives eſſe poteſt: ſi inſtes, lis vitâ longior, vita morte acerbior inſtat; ſi debeas, urgeberis; ſi repetas, amicos inimicos habebis: Si ſperes, in fide deciperis, atque adeò fidem habendo pecuniam amittes, diffidendo ſervabis. Sed hæc παρέργως. Quare ad noſtra.

Quæritur iterum: *An Fides ſupernaturalis virtus ſit?* ℞. Affirmativè; & ſic id deduco:

Fides enim hoc pacto ſumpta ad Sapientiam revocatur, uti eſt lumen ſupernaturale.

B. S.	Illa eſt propriè virtus ſupernaturalis; Quæ	Quâ DEUS ſe ſuaque myſteria per revelationem *communicat* animæ *rationali.*	Talis eſt Fides ſupernaturalis. Ergo.
M. S.		Hominem divinorum *myſteriorum capacem* reddit.	
D. S.		Divinis rebus certum & *infallibilem aſſenſum* præbere docet.	
P. S.		Animam ad quidlibet per revelationem *credendum potentem* reddit.	
S. S.		Quod non vides, *credere* docet *intellectuali lumine.*	
Vo. S.		Eſt *ſubſtantia* rerum ſperandarum & *argumentum* non apparentium.	
Vi. S.		*Virtute* ſupernaturali animam illuſtrat, ut ea *credat*, quæ naturalem *ſcientiam* excedunt.	
Ve. S.		*Veritate* & certitudine uti omnes humanas *ſcientias* ſuperat, ita authoritati divinæ ſoli innititur.	
G. S.		Hominem ad æternæ ſalutis *portum* ducit.	

═ S.	Illa eſt propriè virtus; Quæ	Hominem ab erroribus innumeris *ſeparat.*	Talis eſt Fides ſupernaturalis. Ergo.
♡ S.		Immediatè animam cum DEO *unit.*	
o• S.		Omnis *contrarietatis* expers eſt.	
α S.		Eſt *principium* omnis boni, & cauſa felicitatis æternæ.	
⊙ S.		*Medium* eſt ad coronam & brabeum Cœleſte.	
ω S.		Sola ad *finem* ultimum poſſidendum conducit.	
M. S.		Formata charitate, *major* omnibus virtutibus.	
Æ. S.		Animam DEO *ſimilem* facit.	
Min. S.		Fundamentum & *baſis* omnium virtutum.	

Vide quæ in C. 5. P. 3. de Subjectis Univerſalibus fuſè de fide per paradigmata tradidimus.

QUÆSTIO VI.

An Spes ſit virtus.

Spes duplex eſt, *Humana*, & *Divina*, ſeu ſupernaturalis: Illa vis eſt quædam innata, quam divina bonitas implantavit naturæ rationali ad ſolamen in adverſis; Anchora miſerorum, ſola inter homines numen, uti Poëta canens innuit; *Omnia ſpe plena ſunt:* & Naſo rectè canit:

Hæc Dea, cum fugerent ſceleratas Numina terras, Naſo.
In Dîs inviſa ſola remanſit humo.
Hæc facit ut vivat foſſor quoque compede vinctus,
Liberaque à ferro crura futura putet.
Hæc facit ut videat cum terras undique nullas
Naufragus, in mediis brachia jactet aquis.
Sæpè aliquem ſolers medicorum cura relinquit,
Nec ſpes huic venâ deficiente cadit.
Carcere dicuntur clauſi ſperare ſalutem,
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.

Jam

Tibull. *Jam mala finissem letho, sed credula vitam*
Spes fovet; & melius, cras fore semper ait.
Spes alit agricolas, spes dulcis credit aratris
Semina, quæ magno fœnore reddit ager.
Hæc laqueis volucres, hæc captat arundine pisces,
Cum tenues hamos addidit arte cibus.

Hinc alii ponunt spem suam, in

B. *Substantiis* rerum.
M. *Magnitudine* & multitudine divitiarum.
D. Longæ & felicis vitæ *productione.*
P. *Honoribus* & dignitatibus.
S. *Scientiarum* conquisitione.
Vo. *Voluptatum* plena fruitione.
Vi. *Virtutum* laudabili studio.
Ve. *Veritatis* investigatione.
G. *Gaudiis* & voluptatum gloria. Et sic de cæteris.

Spes Virtus Theologica, est certa exspectatio futuræ beatitudinis ex gratia & meritis proveniens, in quantum ad ipsam rem speratam, non quoad habitum; estque virtus à DEO in voluntatem infusa, qua homo inclinatur & disponitur ad beatitudinem æternam, certò, mediante auxilio DEI exspectandam, qua inter labentis seculi ruinas erecta mens viget: est enim

B. Arrha quædam *bonorum* cœlestium.
M. *Integritas* virtutum.
D. *Perseverantia* in bono.
P. *Potestas* in profligandis vitiis.
S. *Sapientiæ* Cœlestis magistra.
Vo. Cœlestis patriæ *desiderium.*
Vi. *Virtus* imperturbata.
Ve. *Verorum* bonorum executrix.
G. Animæ gaudium & *gloria.*

Sed hæc de Spe sufficiant.

QUÆSTIO VII.

De Charitate.

Charitas duplex est, *Humana* & *Divina.* Illa versatur circa parentes, cognatos, amicos, motivis extra DEUM susceptis. Hæc est immediatè propter DEUM, estque habitus & virtus supernaturalis, qua DEUS totis viribus, tota anima, tota mente propter seipsum diligitur, & revocatur ad Vo. De qua hæ quæstiones formari possunt, ratione subjecti, objecti, virtutis, ordinis, actuum.

An

B. *Charitatis* dilectio *sistat in* DEO, *an se diffundat ad proximum?* ℞. Ad utrumque, propter DEUM.

M. *Charitas possit augeri in* infinitum? ℞. Quod sic, quia versatur circa objectum infinitum. *Et an se Charitas* extendat *ad omnia, etiam creaturas irrationales?* ℞. Quod non, quia hæ non sunt capaces beatitudinis, nisi in quantum bona sunt hominis.

D. *Charitas erga parentes, amicos, cognatos,* remaneat *in patria?* ℞. Quod sic; quia habent se per modum Proximorum, & participantium idem bonum.

P. Possint *amari dæmones & peccatores?* ℞. Quod illi non, quia inimici DEI; hi verò, quoniam amici DEI fieri possunt, & quia sunt proximi nostri, diligi debent.

S. *Charitas fundetur in* intellectu, *an in Voluntate?* ℞. Quod in voluntate potissimum; quia versatur circa bonum, propter quod amamus, radicaliter in intellectu, in quantum bonum intelligimus.

Vo. Voluntas *sit subjectum Charitatis?* ℞. Quod sic; quia versatur circa DEUM, ut bonus est.

Vi. *Charitas sit* Virtus? ℞. Sic; quia nos DEO conjungit, & quia attingit DEUM, ut est regula humanorum actuum. *An excellentissima & summa virtutum?* ℞. Sic; quia in DEO sistit, & quia omnes virtutes ordinat ad ultimum finem.

Ve. *Charitas* vera *sit virtus in infidelibus, & peccatoribus?* ℞. Quod non; quia non attingunt DEUM sub ea ratione, sub qua deberent.

G. *Charitas &* gaudium *idem sint?* ℞. Quod non; eo quod gaudium non sit distincta virtus à Charitate, sed est actus, effectus, & fructus Charitatis.

An

= *Charitas sit* differens, *an una?* ℞. Quod una; quia unum objectum, circa quod occupatur.

♡ *Charitas sit* unitiva? ℞. Quod sic; quia amans & res amata per amorem unum sunt.

o● *Charitas habeat* contrarias *affectiones*, *ut iram timorem* &c. ℞. Quod non; quia Charitas foras mittit timorem, & omnia ipsi contraria.

α *Charitas sit* causa *& principium meritorum?* ℞. Quod sic; quia Charitas in via potest augeri; ergo & merita; juxta illud; remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum &c.

⊙ *Charitas sit* medium *ad felicitatem æternam?* ℞. Quod sic; quia sine Charitate nemo salvari potest.

ω *Charitas sit* finis *ultimus hominis?* ℞. Quod sic; quia DEUS increata charitas est, circa quam charitas creata versatur, ut summum bonum & finem ultimum.

M. Major sit *Charitas versus unum*, *quàm versus alterum?* ℞. Quod sic; servatur enim ordo dilectionis, primò ad DEUM, deinde ad proximum, tertiò ad gradus propinquitatis.

Æ. *Omnia* æquali *amore diligenda sint?* ℞. Quod sic; in quantum propter DEUM omnia diliguntur, non quoad ordinem diligibilium.

Min. *Charitas possit* diminui? ℞. Quod sic; in via, non solum per peccatum veniale, sed & per peccatum mortale penitus tolli; secus in patria. Ibi enim nulla diminutio timenda est, ubi jam perfecta DEI Charitas possidetur.

Habes hîc quicquid de Charitate proponi potest, juxta seriem principiorum dispositum; Quarum unamquamque iterum per Quæstiones: *Quid*, *cur*, *quantum*, *quale*, *quomodo*, *ubi*, *quando*, *de quo*, *quibuscum*, discutere licebit. Quæ omnia, ne liber in infinitum excrescat, Lectoris industriæ eruenda relinquo.

Restant in Enneade virtutum examinandæ virtutes: *Patientia* & *Pietas*. Verùm cùm jam ex multiplici paradigmatum exhibitione modum, omnes cæteras virtutes describendi, deduxerim, supervacaneum esse ratus sum, ea ad tædium Lectoris repetere. Poteris itaque non dicta tantùm methodo, sed & primò per Alphabeti Columnas tum perpendiculares, tum transversas, assumpta Virtutum themata deducere: *V. Gr.* per Columnas perpendiculares; quarum prima, ut in margine. Transversa verò B M. B D. B P. B S. B Vo. B Vi. B Ve. B G. Quæ omnia infinitam penè discurrendi de singulis materiam præbebunt. Secundò. Ex Tabula Combinatoria, in qua quot triades sunt literarum, tot media resultant Syllogismorum de omnibus & singulis formandorum. Tertiò per Cyclosophiam, quam in Secundo Libro reperies. Sed qui exempla tum in toto opere, tum in hoc præsenti potissimùm Libro rectè consideravit, is nullam quoque in hisce difficultatem reperiet. Quare hisce relictis ad alia progrediamur.

Alia methodus, quæ sine difficultate, & sine magno studio, de quacunque re moralem doctrinam concernente, disserendi artem docet, Concionatoribus & Ethicæ Studiosis cumprimis usui futuram.

Hanc methodum ediderat Anno 1624. in folio patente Augustinus Nunnesius ex Ord. Carmel. quam cùm ab amicis mihi communicatam examinassem, inveni vera quidem esse, quæ author de ea, veluti quæ omnes cæteras methodos hucusque inventas, multis parasangis superet, jactat; Sed enim, cùm & ista jejunè admodum & superficialiter sit tradita, suasque difficultates adjunctas habeat, iis sublatis emendatisque eam hoc loco juxta mentem authoris paulò lucidius explicandam duxi. Itaque methodus hoc pacto instituitur.

Primò posuit Author eicosiadem quæstionum, sive quod idem est, selegit 20 verba activa, quæ serviunt, quæstionibus formandis.

Secundò selegit hecatontadem terminorum, sive 100 virtutes morales, quæ loco sunt subjectorum in formandis propositionibus; atque hisce totam in arte procedendi rationem complet. Viginti erotematicos verborum terminos unà cum hecatontade virtutum moralium subjunximus.

Horum itaque praxin per decem usus, multiplici paradigmatum congerie deduco, ut sequitur.

Hecatontas 100 *terminorum, qui comprehendunt præcipuum, quod in morali doctrina traditur; diviſi in decem decades.*

Eicoſias Quæſtionum.

	1.	Diſponat.	Fides.	Spes.	Auxilia.	Vocatio.	Lux.
	2.	Conſequatur.	Amor.	Fidelitas.	Spiritus.	Abrenunciatio.	Perfectio.
	3.	Augeat.	Bonitas.	Liberalitas.	Miſericordia.	Beneficia.	Æſtimatio.
	4.	Conſervet.	Obedientia.	Timor.	Humilitas.	Reſignatio.	Paupertas.
	5.	Extendat.	Oratio.	Solitudo.	Unio.	Altitudo.	Anxietas.
	6.	Creſcat.	Sanctitas.	Perſeverantia.	Propoſitum.	Renovatio.	Caſtitas.
	7.	Facilitet.	Fortitudo.	Valor.	Conſecutio.	Reſiſtentia.	Victoria.
	8.	Fructificet.	Gubernatio.	Capacitas.	Prudentia.	Conſilia.	Juſtitia.
	9.	Elevet.	Pax.	Suavitas.	Providentia.	Præventio.	Rectitudo.
	10.	Affigat.	Felicitas.	Altitudo.	Appetitus.	Satisfactio.	Centrum.
Si. An. Utrum.	11.	Inclinet.	Illuſtratio.	Converſio.	Contritio.	Pœnitentia.	Juſtificatio.
	12.	Uſui ſit.	Puritas.	Superioritas.	Gratioſitas.	Specioſitas.	Splendor claritatis.
	13.	Emendet.	Acceptatio.	Imitatio.	Succurſus.	Gratia.	Redemptio.
	14.	Communicet.	Deificatio.	Religio.	Exemplum.	Patientia.	Mortificatio.
	15.	Reperiat.	Devotio.	Conſcientia.	Sinceritas.	Quietudo.	Securitas.
	16.	Debeatur.	Sollicitudo.	Exercitium.	Ædificatio.	Dedicatio.	Sacrificia.
	17.	Correſpondeat.	Libertas.	Triumphus.	Celebritas.	Reſtitutio.	Lucrum.
	18.	Ordinetur.	Reformatio.	Leges.	Proportio.	Examen.	Integritas.
	19.	Requirat.	Diſtributio.	Patrocinium.	Correctio.	Præmium.	Vigilantia.
	20.	Menſuret.	Plenitudo.	Abundantia.	Guſtus.	Veritas.	Potentia.

Uſus hujus Tabulæ.

Has 20 quæſtiones & 100 termini, ante omnia perfectè memoria tenendi ſunt, ut ſine hæſitatione eos recitare poſſis; alias fruſtra laborabis; neque tibi difficile videatur memoriæ mandare ea, quæ adeò mirificum effectum præſtant, & tanta proficiendi in quavis doctrina arcana adjuncta habent; ita ut ſola hæc Tabula loco inſtructiſſimæ Bibliothecæ eſſe poſſit; ita loquitur author Tabulæ Auguſtinus Numnez. Exponit autem potiſſimum decem uſus hujus Tabulæ, ut ſequitur.

Primus uſus eſt: De quacunque aſſumpta propoſitione erues 2000 quæſtiones ſine difficultate & labore. Sed procedamus ad dictarum rerum demonſtrationem.

Tractaturus de *Fide*, accedes primam quæſtionem, quæ eſt: ſi *Fides* diſponat? hanc applicando ad ſingulos terminos educo 100 quæſtiones, hoc pacto: An fides *diſponat* per ſpem; an per auxilia; an per vocationem; an per lucem? ſequendo ordinem initialium terminorum in ſingulis columnis contentorum; Deinde procede ad ſecundam quæſtionem, quæ eſt; an *conſequatur? V. G.* An fides conſequatur ſpem? ſi auxilia? ſi vocationem? ſi lucem? ſi converſionem? contritionem? & ſic ordine per 100 terminos progrediendo. Deinde progredieris ad tertiam quæſtionem *augeat*, interrogando, an fides augeat ſpem? an auxilia gratiæ? an vocationem? &c. Et hoc pacto has 20 quæſtiones applicabis ordine 100 terminis, & habebis 2000 Quæſtionum; ſiquidem 20 ducta in 100, faciunt 2000. Poſſunt autem non termini duntaxat hîc poſiti aſſumi, ſed qualiſcunque extra illos 100 aſſumptos pari pacto per quæſtiones diſcuti poterit: *V. Gr. Solitudo* non continetur in hac 100 terminorum tabula, poteſt tamen nihilominus ille per quæſtiones æquè benè ac alii in Tabula poſiti, diſcuti. *Exempli gratia* quærendo: An vita ſolitaria *diſponat* ad exercitium fidei, ſpei, &c. juxta ordinem terminorum. Deinde ſimili applicatione procedes ad ſecundam Quæſtionem: An vita ſolitaria *conſequatur* fidem, an ſpem, an auxilia gratiæ &c. Eſt & hoc mirabile, combinationes aſcendere ad 200000 Quæſtionum; hoc pacto: 20 quæſtiones ductæ in 100 terminos dant 2000; quoniam verò 100 quæſtiones poſſunt applicari cuilibet termino, quorum Combinatio cum quæſtionibus facit 2000. 100. ducta in 2000. dant 200000. Patet ergo dictorum veritas.

Secundus Uſus hic eſt; Quod ad quamlibet Quæſtionem reſpondere poteris affirmativè, vel negativè, & inde 100 rationes manifeſtas educes, quæ ſine labore & difficultate probantur; & hoc fit, applicando quæſtionum verba ad id, quod ad probandum aſſumitur. *V. G.* Quæritur: *An fides diſponat per amorem?* ℞. Affirmativè; & hoc probatur ipſo verbo pro quæſtione aſſumpto, hoc pacto: fides diſponit per ſpem, ergo diſponit per amorem. Iterum, fides diſponit per auxilia, ergo per amorem. Item, fides diſponit ad conſequendam lucem;

lucem; Ergo per amorem; & hoc pacto procedo discurrendo per omnes terminos, deducendo per singulas conclusiones 100 rationes; quæ quidem si omnes sunt 200000 quæstiones, & unaquæque probatur per 100 rationes, erunt 20000000 rationum, quæ omnes differentes erunt.

Tertius usus est; Declarare 20 proprietates de singulis punctis, & singulas proprietates per 100 descriptiones. *V. Gr. Suscipio thema de Oratione mentali, & quæro, ad quid Oratio mentalis disponat?* ℞. Quod disponat ad exercitium fidei; ad exercitium spei; ad obtinendam lucem divinam, & sic procedo discurrendo per omnes 100 terminos. *Iterum ergo quæsituro, quid consequatur Oratio?* ℞. Quod consequatur firmitudinem in fide, in spe, luce, &c. & sic de cæteris ordine 100 terminis procedendo.

Quartus usus est; Inde deducere sine labore multa millia axiomatum sive maximarum, quæ magno usui forent concionatoribus: *V. G.* Suscipio pro themate *Amorem*, cum quæstione *Augeat*, dicendo: Amor cum augeat fidem, auget & Spem; amor qui auget fidem, auget & lucem; amor qui auget fidem, auget & auxilia gratiæ; amor qui auget fidem, auget & contritionem, conversionem, pœnitentiam, justificationem, & sic de cæteris; quarum maximarum non est finis, dicto modo singula singulis applicando, & mirificè intellectum illuminant.

Serviunt quoque pro mediis ad ratiocinandum in materia spirituali, sive ascetica. *V. Gr.* Probaturus, quod humilitas elevet spem, sic argumentor:

Quodcunque elevat amorem, elevat & spem:
Humilitas elevat amorem. Ergo & spem.
Iterum: Omne quod elevat lucem, elevat & spem.
Humilitas elevat lucem. Ergo & spem.

Et hoc pacto per singulos 100 terminos progrediendo probabis, quod humilitas elevet spem.

Quintus usus. Plurimùm ad Sacræ Scripturæ loca exponenda conducit. Sit *v. gr.* thema hoc: *Osculetur me osculo oris sui.* Circa id has formo quæstiones:

An os divinum disponat animas ad exercitium fidei; ad consequendam novam lucem; ad augendam fidem; ad auxilia gratiæ; ad conservandam vocationem, & sic procedendo per omnes terminos, acquiram ducentas mille quæstiones de oris divini osculo; quomodo, & ad quid disponat, quid consequatur, quid augeat, quid conservet; & hoc pacto de omnibus Sacræ Scripturæ locis exponendis procedes.

Sextus usus. Servit concionatoribus ad probandum aliquod assumptum thema more Mathematicis usitato, per maximas ex terminis & quæstionibus deductas; *V. Gr.* hæc propositio: *Qui sumpserit Sacram Synaxin in gratia, ex eo non poterit damnari:* multis variisque modis probari potest, sine numero & termino.

Per id, quod auget amorem DEI, nemo damnari potest.
Sacra Synaxis auget amorem DEI.
Ergo qui illam in gratia suscipit ex eo damnari non potest.

Omne quod augmentat puritatem animæ, id damnare non potest.
Hoc facit Sacra Synaxis. Ergo.

Omne quod auget paupertatem Spiritus, id damnare non potest.
Hoc facit Sacram Synaxin suscipiens in gratia. Ergo.

Omne quod auget pulchritudinem animæ, id damnare non potest.
Hoc facit Sacram Synaxin suscipiens. Ergo.

Omne quod auget splendorem animæ, id damnare non potest.
Hoc facit Sacram Synaxin suscipiens in gratia. Ergo.

Probatur Major.

Omne quod auget gratiam, id damnare non potest.
Amor DEI, paupertas, puritas animæ, splendor animæ auget gratiam. Ergo, qui illis inbuitur damnari ex iis non potest.

Hoc pacto poteris progredi per omnes 100 terminos, seligendo semper eos, qui magis ad rem faciunt, & habebis innumerabilem argumentorum copiam, idque per solum verbum *augeat.* Si verò dictos terminos per singula 20 quæstionum verba probaveris, quasi in infinitum crescet argumentorum copia.

Septimus usus. Per opposita virtutum argumentari docet. *V. Gr.* Amor duplex est, Divinus & Carnalis; unde pulchrè poteris hac arte per oppositos modos utrumque innumeris modis demonstrare, hoc pacto.

Omne quod disponit ad fidem, sanctum est.
Amor disponit ad fidem. Ergo.

Omne quod ad fidem non disponit, sanctum esse non potest.
Talis est amor Carnalis. Ergo.
Et sic de cæteris.

Ite-

Iterum. Felicitas eſt communis & Mundo & Sanctis; Unde ſic argumentor.

Omne quod elevat fidem, paupertatem, amorem, gratiam, auxilia, eſt divinum quid.
Talis eſt felicitas juſtorum. Ergo.

Et contra. Quod non elevat fidem &c. divinum eſſe non poteſt; felicitas mundana non elevat fidem; Ergo.

Hoc pacto in omnibus terminis aſſumptis contrarietatem quandam invenies, quam diſcutere licebit, methodo hîc paucis indicata.

Octavus Uſus eſt; Examinare ſtatum animæ, videndo, An fides dicat connexionem cum omnibus 100 terminis, & quomodo per eam perfectio animæ acquiratur. *V. G.*

Omne quod diſponit ad perfectum animæ ſtatum, diſponit & ad gloriam.
Fides, ſpes, Charitas, paupertas, devotio, humilitas, &c. diſponunt ad perfectum animæ ſtatum.
Ergo & ad gloriam.

Deinde per reliquos terminos quæſtionum:

Id quod	Conſequitur Auget Conſervat Extendit ſe ad	Animæ ſtatum perfectum, eſt divinum.	Fides Spes Charitas Auxilia Caſtitas Paupertas Devotio	Hoc faciunt. Ergo.

Vides hîc aſſumptum quemlibet terminum ex 20 verbis erotematicis, poſſe deduci per omnes 100 terminos, qui ſunt veluti totidem ſubjecta propoſitionum ad concluſionem faciendam; res adeò clara eſt, ut expoſitione ulteriori non indigeat.

Nonus Uſus eſt; In oratione mentali per ſingulos hebdomadis dies inſtituenda, applicando ſingulis unam decadem terminorum cum 20 quæſtionibus combinandam. *V. Gr.* De amore divino meditaturus, conſidero primò excellentiam amoris divini, eò quod diſponat ad lucem, ad gratiam, ad devotionem, ad contritionem, pœnitentiam, & ſic de reliquis; Deinde ſic infero:

Quod diſponit ad iſta omnia, conſequitur iſta; conſecuta elevat; elevata extendit ad ulteriores fines; extenſa auget; aucta conſervat; & ſic de cæteris.

Decimus Uſus; Quod ex una centuria poteris facere multas alias, pro ratione formalitatum, quæ reperiuntur ſub ſingulis terminis ad alios comparatis. *V. G.* Amor ſanctus, amor liberalis, amor paupertatis, amor puritatis, & ſic de cæteris. Certum eſt, amorem per omnes 100 terminos, per formalitates ſingulis proprias, differenteſque conceptuum rationes traduci poſſe.

Atque hæc ſunt, quæ de Uſu hujus Tabulæ paucis indicanda duxi.

CAPUT II.

Nova Methodus & mirabilis, univerſam Ethicæ doctrinam comprehendens.

Viſum fuit, præcedenti ſubjungere novam & admirabilem methodum, qua quicquid in univerſa morali doctrina continetur, congeſtum habetur, ut vel unicum iſtiuſmodi folium, inſtar Bibliothecæ eſſe poſſit ad de quacunque re diſcurrendum locupletiſſimè. Sed exponamus primò ordinem & diſpoſitionem inventi noſtri.

Virtutes morales ita diſpoſitæ ſunt, ut ſemper illæ in Syllogiſmis (quorum non eſt numerus) minorem terminum & ſubjectorum rationem, prædicata verò mediorum locum obtineant; quæ quidem ita principiis Artis noſtræ applicata ſunt & adaptata, ut tam prædicata, quàm ſubjecta ſemper ad unum ex 18 principiis tam abſolutis quàm reſpectivis revocentur, uti ex ordine propoſito patet. Habet autem hæc inventio innumerabiles uſus & applicationes, uti poſteà declarabimus.

Abacus mirificus, moralium virtutum summam continens.

	Major.					Minor.	Conclusio.
B. Omne quod	Se diffundit per	B.	Id	Excellens	est.	Bonitas	Talis est. Ergo.
	Largitur	M.		Pulchrum		Vita virtuosa	
	Confert ad	D.		Utile		Perfectio	
	Auget	P.		Magnificum		Liberalitas	
	Præstat	S.		Perfectum		Eleemosyna	
	Influit in	Vo.		Integrum		Misericordia	
	Derivat in aliud	Vi.		Appetibile		Mansuetudo	
	Porrigit opem ad	Ve.		Amabile		Pietas	
	Communicat	G.		Decorum		Beneficentia	

Examinantur hæc omnia per Quæstiones:

An.	Et applicantur ad Politicam	Pontificiam,	Per analogiam ad	△	& per	Syllogismos.
Quid.		Cæsaream,		[illegible]		Resolutionem.
Cur.		Aristocraticam,		◎		Compositionem.
Quantum.		Democraticam,		□		Discursus.
Quale.		Oeconomicam,		[illegible]		Paraphrases.
Quomodo.		Monasticam,		[illegible]		Descriptiones.
Ubi.		Ethicam in genere,		[illegible]		Cyclosophiam.
Quando.		Asceticam,		[illegible]		Tabulas.
Quibuscum.		Religionem,		⁝⁝		Orbes. Abacos.

M. Omne Omne quod	Extensivum ad	B.	Id	Magnum	est.	Magnanimitas	Talis est. Ergo.
	Intendit	M.		Sufficiens		Magnificentia	
	Dilatat se ad	D.		Splendidum		Liberalitas	
	Integrat	P.		Præcelsum		Munificentia	
	Componit	S.		Potens		Celsitudo	
	Complet	Vo.		Copiosum		Fortitudo	
	Monstrat viam ad	Vi.		Eminens		Dignitas	
	Extollit	Ve.		Dignum		Integritas	
	Exaltat	G.		Gloriosum		Ubertas	

Per contrarios terminos.

Hæc omnia totidem modis probari poterunt per negativos terminos aut *oppositos Magnitudini.* V. Gr.
Omne quod non extendit se, magnum esse non potest.
Pusillanimitas non extendit se. Ergo. Et sic de cæteris ordine terminis.
Vel per CELARENT.
Nullum inextensivum sui magnum esse potest.
Omnis pusillanimitas est inextensiva sui. Ergo nulla pusillanimitas magna esse potest.

	Major.					Minor.	Conclusio.
D. Omne quod	Firmat	B.	Id	Indeficiens	est.	Fides	Talis est. Talia sunt. Ergo.
	Sabilit	M.		Immutabile		Perseverantia	
	Permanere / Consistere facit	D.		Incorruptibile		Patientia	
		P.		Perpetuum		Confidentia	
	Conservat	S.		Immobile		Vitæ virtuosæ perfectio	
	Continuat	Vo.		Inviolabile		Contractus civilis	
	Constituit	Vi.		Solidum		Matrimonium	
	Perpetuat	Ve.		Stabile		Amicitia perfecta	
	Figit	G.		Forte		Sacramenta	

Hæc iterum totidem modis probari poterunt per terminos negativos & *oppositos Durationi.* V. Gr.
Omne quod non firmat Veritatem, stabile esse non potest.
Perfidia est talis. Ergo. Et sic de cæteris.
Vel per CELARENT.
Nullum destructivum veritatis stabile esse potest.
Omnis perfidia est destructiva veritatis. Ergo nulla perfidia stabilis esse potest.

P. Omne

	Major.						Minor.	Concluſio.
P. Omne quod	Potentem reddit	ad	B.	Id	Glorioſum	eſt.	Principatus	Talis Tale eſt. Ergo.
	Vires confert		M.		Magnum		Regimen prudens	
	Corroborat mentem		D.		Dignum		Dominium juſtum	
	Vigorem addit		P.		Eminens		Altitudo ſtatûs	
	Inſtimulat		S.		Potens		Poteſtas	
	Impellit		Vo.		Celſum		Imperium	
	Excitat		Vi.		Excellens		Eminentia	
	Inſtigat		Ve.		Conſpicuum		Juriſdictio	
	Movet		G.		Nobile		Jus	

Per oppoſitos terminos.

Per oppoſitos Potentiæ terminos ſic probari poſſunt :
Quod non potentem reddit ad B^tem^, magnum eſſe nequit.
Virtutis defectus talis eſt. Ergo. Et ſic de cæteris.

Per Celarent.
Nullum impotentem reddens ad B^tem^, B. M. D. &c. eſſe poteſt.
Omnis defectus virtutis impotentem reddit.
Ergo nullus defectus Virtutis B. M. D. &c. eſſe poteſt.

	Major.					Minor.	Concluſio.
S. Omne quod perfectè	Docet	B.	Id	Prudentiâ	pollet.	Cognitio ſui ipſius	Talis eſt. Ergo.
	Diſponit	M.		Sapientiâ		Providentia	
	Illuminat	D.		Scientiâ		Notitia divinorum	
	Informat	P.		Ingenio		Certitudo rerum	
	Notificat	S.		Subtilitate		Conſilium	
	Intelligit	Vo.		Capacitate		Experientia	
	Recolit	Vi.		Induſtriâ		Legum peritia	
	Novit	Ve.		Peritiâ		Politica } Scientia	
	Conſtituit	G.		Doctrinâ		Aſcetica } Scientia	

Per oppoſitos Sapientiæ & negativos terminos.
Quod non docet B. id nullâ prudentiâ pollet.
Ignorantia eſt talis. Ergo. Et ſic de cæteris.

	Major.					Minor.	Concluſio.
Vo. Quicquid	Appetit	B.	Id	Laudabile	eſt.	Amor	Talis eſt. Ergo.
	Inclinat ad	M.		Acceptabile		Benevolentia	
	Deſiderat	D.		Amabile		Spes	
	Amat	P.		Delectabile		Deſiderium ardens	
	Anhelat ad	S.		Utile		Miſericordia	
	Eligit	Vo.		Jucundum		Commiſeratio	
	Curat	Vi.		Honeſtum		Clementia	
	Proſequitur	Ve.		Decorum		Appetitus innatus.	
	Sollicitè quærit	G.		Conſentaneum		Liberum arbitrium	

Per oppoſitos Voluntati terminos probatur ſic:
Quod non appetit B. laudabile eſſe non poteſt.
Odium, malevolentia, talia ſunt. Ergo.
Et ſic de aliis ordine procedendum.

	Major.			Minor.			Conclusio.
Vi. Quicquid	Operatur rectè	B.	Id	Æquum	eſt.	Virtutes omnes	Tales ſunt. Talis eſt. Ergo.
	Fortiter operatur	M.		Laudabile		Obedientia	
	Agit prudenter	D.		Honeſtum		Rectitudo	
	Vires exerit fortiter ad	P.		Condignum		Conformitas	
	Inſtimulat acriter ad	S.		Eximum		Reſignatio	
	Colit diligenter	Ve.		Deo acceptum		Exercitium virtutis	
	Devovet ſe humiliter	Vi.		Meritorium		Gratia	
	Celebrat continuo	Ve.		Perfectum		Cognitio ſui ipſius	
	Veneratur ſanctè	G.		Rectum		Pœnitentia	

Per oppoſitos terminos.

Per oppoſitos virtuti terminos ſic argumentaberis.
Quod non operatur benè, æquum eſſe non poteſt.
Vitium non operatur benè. Ergo. Et ſic ordine procedes.

	Major.					Minor.	Conclusio.
Ve. Quicquid	Conformat ſe	B.	Id	Firmum	eſt.	Veritas,	Talia ſunt. Ergo.
	Imitatur	M.		Juſtum		Fides,	
	Rectè diſcernit	D.		Verax		Lex,	
	Juxta rectam rationem judicat	P.		Probum		Statuta,	
	Stabilit	S.		Acceptabile		Regulæ,	
	Definit prudenter	Vo.		Legi æternæ conforme		Conſtitutiones,	
	Profitetur	Vi.		Infallibile		Decreta,	
	Demonſtrat	Ve.		Æquum		Adagia,	
	Separat falſum à	G.		Fixum ratumque		Axiomata,	

Per oppoſitos Veritati terminos ſic:
Quod difforme veritati eſt, verum eſſe non poteſt.
Falſitas eſt difformis. Ergo. Et ſic ordine de cæteris.

	Major.					Minor.	Concluſio
G. Omne quod	Fruitur	B.	Id	Tranquillitatem	poſſidet.	Amor virtutum,	Talia ſunt. Ergo.
	Delectatur	M.		Pacem		Felicitas,	
	Gaudet	D.		Concordiam		Contentum eſſe ſua ſorte,	
	Quieſcit in	P.		Theſaurum		Sufficientia bonorum,	
	Triumphat in	S.		Gloriam		Nec proſperis, nec adverſis moveri,	
	Tripudiat in.	Vo.		Honorem		Gaudium in re obtenta,	
	Obtinet	Vi.		Jucunditatem		Plena fruitio boni,	
	Poſſidet	Ve.		Beatitudinem		Securitas conſcientiæ.	
	Gloriatur	G.		Summum bonum		Finis adeptio,	

Per oppoſitos Gloriæ terminos ſic:
Quod non fruitur, bono tranquillitatem non poſſidet.
Inquieta mens non fruitur bono. Ergo. Et ſic de cæteris.

Omne

	Major.				Minor.	Conclusio.
= Omne quod	Diſtinguit bonum à malo,	Id	Benè	operatur.	Diſcretio	Talis eſt. Ergo.
	Dividit virtutem à vitio,		Excellenter		Juſtitia	
	Diſtribuit prudenter,		Pulchrè		Prudentia	
	Separat contraria virtuti,		Potenter		Gratitudo	
	Removetur à pernicioſis,		Sapienter		Continentia	
	Diſcedit à pernicioſis,		Liberè		Abſtinentia	
	Elongatur à pernicioſis,		Affectu pio		Veritas	
	Declinat malum,		Veraciter		Fortitudo	
	Deflectit à vitioſis,		Glorioſè		Mortificatio	

♡ Omne quod	Unit Deo, per	B.	operationes,	Id	Gaudio plenum eſt.	Concordia perfecta,
	Extendit ſe ad	M.			Divina luce fulget.	Pax interna mentis,
	Applicat ſibi	D.			Honorem æternum confert.	Recollectio perpetua,
	Approximat Deo, per	P.			Dignum rationali creatura.	Unio per Reſignationem,
	Attingit divina myſteria, per	S.			Appetitum ſatiat.	Deiformitas,
	Colligit theſauros Cœleſtes, per	Vo.			Pulchritudinem dat animæ.	Amor efficax,
	Connectit Deo & Angelis, per	Vi.			Sufficientiſſimum eſt.	Contemplatio,
	Fit Deo uniforme, per	Ve.			Illo nil majus.	Amicitia vera,
	Abſorbetur in Deo, per	G.			Nil glorioſius eſt.	Beatitudo,

Talia ſunt. Ergo.

o● Quicquid contrariatur	Bonitati,	Id prorſus	Vitioſum	eſt.	Malitia contrariatur Bonitati.	Ergo.
	Magnitudini animi in arduis,		Repudiandum		Superbia humilitati magnanimæ.	
	Durationi,		Indecorum		Inconſtantia Perſeverantiæ.	
	Potentiæ,		Abſonum		Puſillanimitas fortitudini.	
	Sapientiæ,		Impium		Perfidia fidei.	
	Voluntati,		Peſſimum		Avaritia liberalitati.	
	Virtuti,		Perverſum		Ira manſuetudini.	
	Veritati,		Pernicioſum		Falſitas veritati.	
	Gloriæ,		Nocivum		Invidia charitati.	

α Omne quod	Efficit	B.	Id	Perfectum	eſt.	Auxilia gratiæ,
	Præſtat	M.		Integrum		Humilitas,
	Cauſat	D.		Durabile		Fides,
	Influit in	P.		Efficax		Spes,
	Introducit ad	S.		Æſtimabile		Charitas,
	Implantat	Vo.		Amabile		Contemptus Mundi,
	Reparat	Vi.		Virtuoſum		Abominatio ſui ipſius,
	Inſinuat	Ve.		Verum		Cohibitio concupiſcentiæ,
	Generat	G.		Glorioſum		Juſtitia vindicativa,

Talia ſunt. Ergo.

	Major.			Minor.	Conclusio.
☉ Omne omnis	Exercitium virtuosum	Confert	ad Virtutum acquisitionem.	Mortificatio	Talis est. Ergo.
	Assidua meditatio	Utilis est		Pœnitentia	
	Electio mediorum	Animat		Custodia sui ipsius	
	Consilium de optimis	Promovet		Confessio frequens	
	Studium mediocritatis	Incitat		Sacra Synaxis	
	Desiderium prosequendi bonum	Impellit		Abstinentia	
	Deliberatio prudens	Avidum reddit		Fuga peccati	
	Efficacia in operatione	Prudenter operari docet		Novissimorum meditatio	

ω Omne quod	Perfectum animæ statum communicat,	Id	B.	est.	Finis virtutum acquisitarum,	Talia sunt. Ergo.
	Tranquillitatem } adfert,		M.		Fruitio boni acquisiti,	
	Delectationem } adfert,		D.		Felicitas publica,	
	Gaudium } præstat,		P.		Privata beatitudo,	
	Concordiam } præstat,		S.		Boni possessio,	
	Pacem } præstat,		Vo.		Charitas completa,	
	Sedat appetitum,		Vi.		Quies appetitus,	
	Contentum reddit,		Ve.		Veritas cognita,	
	Gloriari facit in bono adepto,		G.		Gaudium in fine consecuto,	

M. Omne quod	Amplificat } Bona publica & privata,	Id	B.	est.	Monarchica,	Rectè administrata talia sunt. Ergo.
	Accumulat } Bona publica & privata,		M.		Aristocratica,	
	Auget fortunam,		D.		Democratica,	
	Emolumentum confert,		P.		Oeconomica,	
	Causat opes,		S.		Monastica,	
	Incrementum dat rebus,		Vo.		Potestas,	
	Felicem reddit statum,		Vi.		Ordo statuum,	
	Conservat Respubl.		Ve.		Regimen publicum,	
	Providet omnibus,		G.		Omnis principatus & dignitas,	

Æ. Omne quod	Affectat æqualitatem,	Id	B.	est.	Amicitia inter pares	Talis est. Ergo.
	Coæquat omnia,		M.		Justitia	
	Ponderat quod bonum est,		D.		Parium consortium	
	Medium inquirit in omnibus,		P.		Æqualitas ordinis	
	A contrariis separat,		S.		Justitia commutativa	
	Ad mediocritatem reducit,		Vo.		Justitia distributiva	
	Extrema mediis adaptat,		Vi.		Democratia	
	Imitatur quod justum est,		Ve.		Republica	
	Retribuit bonum,		G.		Concordia in bonum commune.	

	Major.					Minor.	Conclusio.
Min. Omne quod	Diminuit contraria virtuti,	Contraria virtuti,	Id	B.	est.	Humilitas,	Talia sunt. Ergo.
	Declinat ab iis,			M.		Contemptus Mundi,	
	Subigit			D.		Separatio à rebus terrenis,	
	Compescit			P.		Despicientia voluptatum,	
	Detruncat			S.		Contritio,	
	In nihilum reducit			Vo.		Paupertas voluntaria,	
	Superat passiones pravas, uti			Vi.		Pœnitentia,	
	Appetitus sensuales cohibet, uti			Ve.		Mortificatio sui ipsius,	
	Extirpat vitia mentis, uti			G.		Honorum, dignitatum contemptus,	

Dispositio & Usus Tabulæ.

1. Reduximus totam Tabulam juxta Artis nostræ principia in 18 Enneades, quarum singulas hoc artificio disposuimus, ut subjecta & prædicata propositionum semper respondeant uni ex 18 principiis, ad quæ reducta sunt. Unde quomodocunque ea combinaveris, semper Syllogismus perfectus emerget; uti ex dispositione Syllogistica terminorum patet. Et prima quidem, & secunda, & tertia Columna continet præmissas, quarta conclusionem. In prima & secunda continetur subjectum, & prædicatum Majoris; in tertia, subjectum & prædicatum Minoris; in quarta illatio. *V. Gr.* In prima Enneade termini primæ & secundæ Columnæ prædicantur de novem principiis absolutis; quæ vero in tertia Columna ponuntur virtutes, subjecta sunt Minoris propositionis: omnes autem harum Columnarum termini cum ad Bonitatis principium sint reducti, inter se quomodolibet *commutari* possunt; unde singuli singulis applicari possunt, atque adeò in singulis 18 Enneadibus, 81 Syllogismi emergunt; qui per 18 multiplicati dant 1458 Syllogismos. Sed ostendam id exemplo.

Omne diffusivum sui est bonum.
Omnis bonitas est diffusiva sui. Ergo.

Hunc terminum, diffusivum sui, per omnia prædicata reliqua in secunda Columna contenta deducere poteris:

Omne diffundens se per bonitatem, magnum est.
Talis est bonitas. Ergo &c.

Hoc peracto, assumes secundum terminum in prima Columna *(Largitur)* eumque deduces per omnia secundæ Columnæ prædicata; & sic de cæteris, hocque in omnibus Enneadidus.

2. Non tantùm singuli unius Enneadis termini singulis prædicatis applicari possunt; sed quod mirum dictu, singuli termini cujuscunque ex 18 Enneadibus applicari pari ratione possunt omnibus & singulis in toto Enneadum complexu contentis. *V. Gr.* primus terminus Enneadis primæ, uti: quicquid extendit se per communicationem boni, potest applicari omnibus & singulis terminis, in reliquis 18 Enneadibus contentis. *Exempli gratia*, si velis tibi probari, Vitam perfectam; sic procedes.

Quicquid se diffundit per communicationem boni, id	B.	est, & per	=	Separat à malo.	Vita perfecta talis est. Ergo.
	M.		♡	Gaudio plenum est.	
	D.		o●	Contrarium virtuti odit.	
	P.		α	Causa virtutum est.	
	S.		⊙	Medium ad virtutem est.	
	Vo.		ω	Finis virtutum est.	
	Vi.		M.	Amplificat bona.	
	Ve.		Æ.	Coæquat bona.	
	G.		Min.	Diminuit mala.	

3. Non tantùm assumere poteris terminos prædicatorum, sed eadem per primæ Columnæ terminos in singulis Enneadibus contentos quoscunque probare poteris. *V. Gr.* Omne diffusivum sui se extendit ad Bonitatem; confirmat, stabilit bonum; potentem reddit ad bonum; docet bonitatem; appetit, instimulat ad bonum; & sic de cæteris. Talis est vitæ perfectio. Ergo.

4. In hac Tabula termini permutari possunt, ita ut prædicata fiant subjecta propositionum. *V. Gr.* Omne bonum est diffusivum sui; extensivum ad omnia; est durabile &c. Talis est vita bona. Ergo. Et hoc fieri

fieri poteſt per ſingulos terminos in quacunque Enneade contentos; uti applicanti ea patebit.

Poteris & omnes haſce enarrationes, propoſitioneſque in contrarias propoſitiones, per terminos negativos & oppoſita virtutibus vitia dilatare. Quæ omnia, ne hîc longiores eſſemus, ſingulis Enneadibus appoſuimus.

6. Virtutes, quæ ſunt ſubjecta diſcurſuum, in infinitum ampliari poſſunt, ſi prædicata ſingulis appropriata, motiva, & inductiones earum ordine poſitas ad Syllogiſmos, Enthymemata aliaſque conſequentias traduxeris. *V. Gr.* Humilitas diſponit ad fidem, fides ad ſpem, ſpes ad charitatem, charitas ad deteſtationem peccati, hæc ad puritatem mentis, hæc ad unionem cum DEO, hæc ad perfectam DEI fruitionem. Et hoc, quod de humilitate diximus, de qualibet virtute aſſumpta dici poteſt; ſi prædicata ei appropriata aſſumpſeris; quæ implicitè in toto hujus Tabulæ complexu continentur.

7. Hæc eadem in innumeras ratiocinationes traducere poteris, ſi dictas virtutes authoritatibus ex Sacris Literis, Sanctorumque Patrum monumentis, ſingulis virtutibus applicatis confirmâris. *V. G.* De Charitate;

Quicquid benignum, patiens; quicquid non irritatur, non cogitat malum &c. illud eſt amplexandum.
Charitas, *teſte S. Paulo*, talis eſt. Ergo.
Et ſic de cæteris.

8. Eſt & hoc mirabile in hac Tabula; quod ſi Major aut Minor alicujus propoſitionis negetur, ſtatim aliam ad eam probandam, promptam habeas: Videlicet quamcunque ex tota ſerie ſubjectorum vel prædicatorum. Sed exemplum demus. *V. Gr.*

Negetur hæc propoſitio.
Omne diffuſivum ſui eſt bonum.
Liberalitas eſt diffuſiva ſui.
Ergo eſt bona.

Majorem probabis per quemcunque in prima Columna aſſumptum terminum, ſic:

Omne derivativum boni in aliud, eſt diffuſivum boni illius.
Liberalitas eſt derivativa boni in aliud.
Ergo Liberalitas eſt diffuſiva boni.
Ergo diffuſivum ſui bonum eſt.

Minorem verò prioris Syllogiſmi pariter probabis, hoc pacto per quemcunque terminum ex Columna prima aſſumptum:

Omne quod influit in aliud bonum, eſt derivativum boni illius in aliud bonum.
Liberalitas influit in aliud bonum.
Ergo Liberalitas eſt derivativa boni in aliud.

Hoc pacto non ſolùm per terminos aſſumptos in prima Enneade, ſed in quibuſcunque 18 Enneadum contentis terminis aſſumptis majorem vel minorem negatam probare poteris. Quæ ne in infinitum excurramus, Lectori ingenioſo evolvenda relinquimus.

9. Per *Analytico-Syntheticam* Artem hæc fusè quoque & quaſi per innumeras conſequentias deducere poteris. *V. Gr.* Sit oſtendendum, Virtutem bonam eſſe.

Si virtus bona eſt, ergo honeſta eſt.
Si honeſta eſt, ergo decora eſt.
Si hoc, ergo amabilis eſt.
Si amabilis eſt, ergo finis rationem habet. Ergo.

Per Compoſitionem.

Quia finis rationem habet, amabilis eſt;
Quia amabilis eſt, decora eſt, &
Quia decora eſt, honeſta eſt, &
Quia honeſta eſt, ergo bona eſt.
Quod erat oſtendendum.

10. Per *Analogicam* Artem ita procedes, applicando virtutes ad 9 Subjecta univerſalia, hoc pacto:

Omne quod DEO unit, DEO ſimiles facit. Per △
Sed virtus DEO unit. Ergo DEO ſimiles facit. Ergo virtus bona eſt.

Omne quod Angelicas operationes exprimit, Angelis ſimiles facit.
Virtus Angelicas operationes exprimit. Ergo. Ergo bona eſt.

Omne quod Cœleſtia dona confert, deſiderabile eſt.
Virtus cœleſtia dona confert. Ergo.

Omne quod ſubjicit ſenſuales voluptates ex affectuum corruptela naſcentes, DEO acceptum eſt.
Virtus hoc facit. Ergo.

Omne quod hominem verè facit hominem, eſt unicè appetendum.
Virtus hoc facit. Ergo.

Quod homines fortes facit ut leones, ſimplices ut columbas, prudentes ſicut ſerpentes, providos ut formicas, amplexandum eſt.
Virtus hæc præſtat. Ergo.

Quod animam tanquam olivam fructiferam facit in Domo DEI, hoc laudabile eſt.
Virtus hoc facit. Ergo.

Quod hominem tanquam aurum in fornace probat, & ab omni peccatorum ſcoria purgat, exoptandum eſt.
Virtus hoc præſtat. Ergo.

Vides

Vides itaque, in quantam Analogica Ars hanc de Moralibus doctrinam, amplitudinem deducere poſſit.

Et quoniam ⁝⁝⁝ in ſe novem prædicamenta accidentalia continet, poteris & eadem huic materiæ applicare, eo modo, qui ſequitur.

Quantitas.	Virtus	Omnia in numero, pondere, & menſura attemperat.
Qualitas.		Eſt omnium affectionum tam interiorum quàm exteriorum moderatrix.
Relatio.		Refertur ad DEUM tanquam ad ultimum finem.
Actio & Paſſio.		In abſtinendo & ſuſtinendo conſiſtit.
Quando.		Tempori & occaſioni ſe accommodat.
Ubi.		Ubique præſto eſt, tam in proſperis, quàm adverſis, ubique rectè operatur.
Situs.		In anima Juſti ſedem ſibi poſuit.
Habitus.		Profluxit ex divini ſplendoris veſtimento.

Habes hîc per decem Claſſes digeſtum, quicquid de morali doctrina dici poteſt; atque adeò ad omnes facultates & ſcientias exercendas, cum primis utilia & neceſſaria.

Habebunt Theologi hîc, quod diſcent; Concionatores & Rhetores ingentem ad amplificandas orationes campum ſibi apertum reperient; Ethici, Politici, Philoſophi, comparandorum argumentorum copioſam meſſem paratam habebunt. Quibus expoſitis, jam eorum, quæ ex Abaco hoc colligi poſſunt argumentorum computum ſubjungamus.

Epilogiſmus Arithmeticus, numerum continens Combinationum Syllogiſmorum, qui ex hoc Abaco confici poſſunt.

1. Unaquæque Enneas ſimpliciter conſiderata, cum terminis in ea contentis, conficere poteſt Syllogiſmos 81; quæ per 18 multiplicata dant — — 1458.
2. Si ſingula ſingulis combinentur, id eſt, ſi ducantur 1458, in ſe, emanabunt ſyllogiſmi — — — — — 2125764.
3. Si per contrarios & oppoſitos terminos negativos combinentur Syllogiſmi affirmativi, cum negativis, naſcentur Syllogiſmi — — 4251528.
4. Per tranſmutationem prædicatorum, naſcentur Syllogiſmi — 8503056.
5. Per 9 Quæſtionum applicationem, naſcentur Syllogiſmi — — 76527536.
6. Per applicationem ad 9 Subjecta Univerſalia, — — — 688747536.

Hoc eſt, Sexcenti octoginta octo milliones, ſeptingenti quadraginta ſeptem millia, quingenti triginta ſex Syllogiſmi; quibus omnibus ſeorſum ſeponendis, integram Bibliothecam conficere poſſes. Quod ſi hunc numerum per Analytico-Syntheticam Artem, per Analogicam, per terminos aliunde quæſitos ampliare volueris, certè concavum Lunæ iis repleri adeò certum eſt, ut ſolus Combinatoriæ Artis imperitus illa capere non poſſit. Vide quæ in Secundo Libro uberius de hoc argumento diſſeruimus.

His itaque demonſtratis, jam nonnullas Quæſtiones ad Ethicam & Politicam doctrinam pertinentes, juxta Artis noſtræ regulas reſolvamus; ex iis enim luculenter patebit, nihil eſſe, tam difficile & arduum, quod ex principiis Artis noſtræ ſolvi, & variis multiſque modis demonſtrari non poſſit.

SECTIO II.

Jurifprudentia.

CAPUT I.

De Definitionibus.

VT Lector habeat Univerfalem quandam Juris utriufque notitiam, hîc de definitione, divifione, praxique & regulis Juris nonnulla præmittenda duxi, omnia tamen ad Artis noftræ amuffim difpofita.

Scientia Legalis, aliis Philofophia moralis, aliis Jurifprudentia dicitur; eftque rerum divinarum humanarumque, vel Jufti & injufti fcientia, uti patet ex applicatione ad Artis noftræ principia facta; funt enim hæc noftra principia forma Juftitiæ, qua unicuique quod fuum eft, tribuitur. Eft itaque Jurifprudentia

Jufti & injufti Scientia.
B. Boni & mali difcretrix.
M. Magni & parvi jufta caftigatrix.
D. Æqui confervatrix.
P. Potentium executionum effectrix.
S. Jufti & injufti inveftigatrix.
Vo. Voluntas unicuique quod fuum eft diftributrix.
Vi. Virtutum omnium fundatrix.
Ve. Veritatis norma, & amuffis; falfi verique adaptatrix.
G. Gloriæ & honoris, pacis & tranquillitatis publicæ conciliatrix.

Hujus Scientiæ duo funt fundamenta, Juftitia & Jus; Illa eft conftans & perpetua voluntas reddendi unicuique, quod fuum eft; Hæc eft facultas utendi aliqua re: Cujus tria funt præcepta: *honefte vivendi*; *alterum non lædendi*; & *fuum cuique tribuendi*: Eftque triplex: *Naturale*, *Gentium*, *Civile* five Pofitivum; quorum unumquodque iterum vel univerfale, vel particulare; publicum vel privatum.

Jus Naturale eft facultas defcendens ex præcepto naturali; eftque vel univerfale vel particulare; prius eft facultas, quam natura docuit omnia animalia; eftque vel publicum vel privatum; illud refpicit utilitatem publicam, hoc privatam.

Jus Gentium eft facultas utendi aliena re, nata ex præcepto gentium; eftque vel univerfale, vel particulare: illud eft, quod natura docuit omnes gentes; hoc, quod unumquemque privatus docuit inftinctus.

Jus Civile, five Pofitivum, eft facultas utendi aliqua re, nata ex præcepto Civili. Duplex eft, generale & particulare: Illud eft facultas utendi aliqua re, quod naturalis ratio docuit omnes homines Imperii Romani: hoc privatim, quod unumquemque hominem quid agendum fit, docet. Jus Civile univerfim, *fcriptum* eft, vel *non fcriptum*; Illud requirit fcripturam approbativam; hoc non requirit; & ideò vocatur *confuetudo* univerfalis; & eft Lex moribus introducta, ac communi utentium confenfu, five fine fanctione, tacito populi confenfu approbata. Jus Civile particulare eft duplex; fcriptum, non fcriptum. Scriptum, Statutum quoque, & Jus five Lex municipalis dicitur; non fcriptum definitur jus municipale moribus introductum fine fanctione: ut lex alicujus oppidi, feu territorii.

Quæ quidem omnia Jura, uti ad Jus Divinum reuocantur, ita fuum valorem & dignitatem ab eodem dependenter habent. Ita Jus Naturale Divino fubeft tanquam Regulæ legis æternæ; Juri Naturali fubeft Jus Gentium, quod ab utroque tam Divino, quàm Naturali fua principia deducit; hifce omnibus fubeft Jus Pofitivum, fua principia ex præcedentibus mutuans, fine quibus confiftere non poteft.

Triplex hoc Jus, Naturale, Gentium, & Civile, appofitè fanè ad novem noftra principia reduci poteft; quorum tria: B. M. D. ad *effe*; tria P. S. Vo. ad *poffe*; & tria Vi. Ve. G. ad *operari* ritè reducuntur.

Jus Naturale propriè ad *effe* reducitur; quia à natura omnibus infitum, etiam animalibus, & fecundum analogiam quandam rebus animatis, vegetabilibus, & inanimatis; quia bonum eft effe, effe magnum, effe durabile.

Jus Gentium, ad *poffe*; quia dictamine rationali omnibus gentibus ad perturbationes Rerumpubl. evitandas falutemque confervandam, inditum eft, leges & jura condere, fe contra violentiam defendere.

Jus Civile ad *operari* rectè reducitur; In hoc enim, quid in unoquoque cafu civili agendum, quid decernendum, determinandumque, per Legiflationem, Conftitutionumque volumina practicè exponitur & definitur.

B.

B. M. D.	Jus Naturale	ad	*Esse*	reducitur.	Ad Jus Divinum omnia ; quia in eo B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. continentur essentialiter.
P. S. Vo.	Jus Gentium		*Posse*		
Vi. Ve. G.	Jus Civile		*Operari*		

Jam verò hæc nullo penè negotio Artis nostræ principiis applicare poteris. Quæsituro itaque ; *Utrum Jus Naturale sit facultas ?* Respondetur affirmative ; & hoc modo ostenditur.

B.		Omnibus *inest*, est naturalis facultas. Jus Naturale omnibus inest. Ergo Jus naturale est talis facultas.
M.		Se *extendit* ad omnia, est omnibus insita. Jus naturale sese extendit ad omnia. Ergo omnibus insita est ; ergo naturalis facultas.
D.		*Semper* exstitit, & *durat*, est à natura insita omnibus. Jus naturale est talis facultas. Ergo.
P.		*Posse* omnibus confert, est naturalis. Tale est Jus naturale. Ergo est facultas naturalis.
S.	Illa Vis, quæ	*Instinctu* naturali, quid agendum sit docet, est naturalis. Tale est Jus naturale. Ergo est facultas.
Vo.		*Appetitum* reddit ad boni prosecutionem & mali fugam, est naturalis. Tale est Jus naturale. Ergo est facultas.
Vi.		Omnibus *vires* ad agendum largitur, est à natura omnibus insita. Tale est Jus naturale. Ergo est facultas.
Ve.		*Verè* esse suum tuetur ab omni violentia, est naturalis. Jus naturale est talis facultas. Ergo.
G.		*Finem* & *quietem* intendit in omnibus actionibus, est naturalis. Tale est Jus naturale. Ergo.

Hoc pacto pariter Jus Gentium & Civile, eorumque annexa deducere poteris ; quæ quia nullam difficultatem habent, Artistæ deducenda relinquo.

§. II.
De Divisione Juris utriusque, tam Civilis, quàm Canonici.

Jus hoc loco consideratum est congeries Legum ad Rempubl. gubernandam ordinata. Est duplex, *Civile* & *Canonicum* : Illud est Legum secularium seu profanarum ad Rempublicam gubernandam simpliciter ordinata ; hoc est Christianarum legum ad Rempublicam Christianam gubernandam ordinata congeries.

Jus Civile, aliàs Cæsareum sive Imperiale, continet duo partium genera ; primum *materialium*, à numero voluminum desumptum ; secundum *essentialium*, pariter à numero diversorum tractatuum nuncupatum.

Partes Materiales Juris Civilis sunt quinque :

1. *Digestum Vetus.*
2. *Inforciatum.*
3. *Digestum novum.*
4. *Codex.*
5. *Volumen.*

Partes Essentiales sunt octo :

1. *Digestum*, quod habet 50 Libros, & dicta diversorum Jurisconsultorum continet, Justiniani jussu collecta & approbata.
2. Dicitur *Codex*, 12 Libros continens, & diversorum Imperatorum Constitutiones continet, Digestumque corrigit, utpote illo posterius.

3. *Authenticæ* five constitutiones Novellarum Authenticarum, in 9 collectiones distributæ.
4. *Consuetudines Feudorum*, à Longobardorum jure natæ post novellas, in 2 libros divisæ.
5. *Constitutiones Friderici*, à Friderico II. Imperatore evulgatæ, unico titulo comprehensæ, Ecclesiæ favorem concernunt.
6. *Extravagantes* ab Henrico VII. Imperatore evulgatæ, duobus contentæ titulis. Læsæ Majestatis, & rebellionis crimen continent.
7. *De Pacis constitutione*, quæ fuit inter Fridericum Imperatorem, & Henricum ejus filium, & quasdam Germaniæ & Lombardiæ civitates, Liber I.
8. *Institutiones* Justiniani mandato confectæ in 4 Libros divisæ; evulgatæ primùm Anno Christi 1033.

Quibus Legum studiosi,

Primo anno operam dantes dicuntur *Justinianei*.
Secundo; *Edictales*, tanquam operam dantes edictis Prætorum.
Tertio; *Papinianistæ*, Responsis Papiniani insistentes.
Quarto; *Lytæ*, tanquam jam liberi à Jurisprudentiæ studio.
Quinto; *Prolytæ*, Legum antecessores, ut quibus nihil ad legum notitiam desit.

Divisio Juris Canonici.

Duo hoc partium genera habet, *Materialium* & *Essentialium*.

Materialium partium genera duo sunt. Primum à numero voluminum desumptum; alterum à numero diversorum tractatuum nuncupatum.

Partes materiales sunt quatuor:
- 1. *Pars prima Decreti.*
- 2. *Pars secunda Decreti.*
- 3. *Decretale.*
- 4. *Sextus.*

Essentiales sunt quinque:

1. *Decretum*, & tres partes habet: De distinctionibus; de Causis, & Consecratione, Sanctorum Patrum dicta continens.
2. *Decretale*, quinque Libris diversorum Pontificum & Conciliorum constitutiones continens.
3. *Sextus Decretalium*, quinque pariter Libris diversorum Pontificum constitutiones exhibens, cui adnectitur titulus de Regulis Juris.
4. *Clementinæ*, id est, Constitutiones Clementis V. quinque Libris contentæ.
5. *Extravagantes* duplices; aliæ sunt Joannis XXII. & sunt 20, aliæ communes à diversis Pontificibus evulgatæ, ac in 5 Libros digestæ, quorum quintus tamen non reperitur.

Hisce rudi Minerva expositis; Quæritur: *Quibus modis textus Juris utriusque exponendus sit?* (Vocamus autem hîc Textum, Jus, sive Legem, sive Canonem, sive Capitulum, sive §.) ℟. Id facilè præstari posse ab eo, qui Artis nostræ Principia probè callens firmiter ea memoriæ mandata habuerit. Sic itaque procede.

Quot modis textus Juris exponi possit.

Per:
- B. *Optima* quævis in textu occurrentia, & memoriâ digna annotato.
- M. *Extendendi* textus per ampliationes, casûs ad casum similem possibilem, si intervenerit.
- D. Iterando repetendoque lectionem textus, in eo *persistendo*, donec genuinum sensum ceperis.
- P. *Possibiles* in quacunque materia casus finge ad propositum prosequendum utiles.
- S. Objice per *rationes* dubitandi, quæ in textu occurrunt, reddendo causam decidendi talem & talem casum, & inferendo ex illo alia & alia ad propositum tuum facientia.
- Vo. Incitamentum sive *Motivum* Legislatoris in tali textu ordinando perpende, & tandem ad solutionem occurrentis difficultatis procede.
- Vi. *Vim* verborum textus diligenter pondera, in iis enim totus intelligentiæ nucleus continetur.
- Ve. Confirma *rationem* textus aliundè allatis exemplis.
- G. *Finem* Legum expende, quæ est Salus publica, & politici Mundi conservatio.

Per

Per
- ⚌ *Divide* textum in tot membra, quot res *differentes* ſunt in eo contentæ, examinando quid in unoquoque membro ſit.
- ♡ *Contrahe* textum, id eſt, fiat breve eorum, quæ in textu continentur, ſummarium, in quo differentiæ concordantur.
- ○● *Contradictionem* textuum concilia, vel rectæ rationis trutinâ, vel ex aliorum textuum allegatione.
- α *Origines* & *cauſas* legum in textibus contentarum ſcrutare.
- ⊙ *Media* ad legum ſcientiam ordinata ſelige.
- ω *Fines*, in quos omnia Juris ſtatuta collimant, expendito.
- M. *Majoris* momenti ſenſus acriter ſcrutare.
- Æ. *Similes* textus ſimilibus legibus, caſibus, exempliſque comparato.
- Min. *Defectus* legum in textibus occurrentes ſingulariter notato.

Quæ per novem Quæſtiones diſcuſſa ingentem dabunt, ſingulos Juris textus & Rubricas, rectè intelligendi, & de iis ſcientificè diſceptandi, materiam.

Quæ omnia quoque in Gloſſarum interpretatione adhibenda ſunt Juris ſtudioſo. Quomodò verò illa ad praxin explicationis textuum applicanda ſint, paucis accipe.

Nota; Quamlibet quæſtionem per ſe ſive *Juris*, ſive *facti* conſtituere theoriam, ſive ſit *principalis*, ſive *incidens*; ipſa verò applicatio quæſtionum Juris quæſtioni facti in proprio genere praxin adſtruit, in qua omnis difficultas conſiſtit ex quæſtione facti naſcens; Quæſtio enim Juris uti ſemper eſt certa in terminis, ita nullam difficultatem habet; in applicatione tamen ſæpè ſapientiſſimi quoque viri hallucinantur. Sed demus Exemplum.

Paradigmata varia Ethico-politica.

Sive quod idem eſt, ex utroque Jure tam Civili quam Canonico, uti & Morali Philoſophia deprompta, quorum difficultates ex Artis noſtræ inſtitutis ſolvuntur & ampliantur.

PARADIGMA I.

Utrum qui ſentit commodum, ſentire quoque debeat damnum?

Habetur hæc quæſtio in Jure Civili; quam ex principiis Artis noſtræ ita reſolvemus: Reſpondeo itaque affirmativè, & id ipſum per Compoſitos principiorum terminos probo.

1. Per B. P. Ve. Quandocunque commodum & incommodum reperiuntur in aliquo *bono*, quod quis verè poſſidet, neceſſè eſt, ut qui primum affectat, ſecundum quoquè ſentire debeat, cùm in eodem ente ſint conjuncta.
   Sed hoc fit in procurante ſibi hæreditatem bonam variis obligationibus & oneroſis contractibus ſubjectam. Ergo.

2. Per B. P. ⚌ Quicunque appetit aliquod *bonum*, *differentibus* rationibus utilis & damnoſi inſeparabiliter *ſuppoſitum*, is debet quoque neceſſariò uti utile, ita & damnoſum eidem bono junctum apprehendere.
   Sed hoc fit in caſu ſuppoſito, quo commodum à damno ſeparari non poteſt. Ergo.

3. Per B. P. α Quicunque affectat & ambit aliquod *bonum*, in quo *potentes* cauſæ ad id reprobandum & approbandum concurrunt inſeparabiliter, neceſſe eſt ut utrumque apprehendat.
   Sed hoc fit, quando damnum & commodum ſunt in aliqua re ſimul inſeparabiliter; quia non datur locus eligendi unum ſine alio; ſed utrumque ſimul. Ergo.

4. Per B. P. Æ. Ubi *commodum* & incommodum *poſſunt æqualiter* operari in aliqua re, tunc appetens ea, neceſſariò debet utriuſque operationem admittere, aliter rem acceptare non poſſet.
   Sed hoc contingit in bono commodis & incommodis permixto inſeparabiliter.
   Ergo qui ſentit commodum, debet ſentire & damnum.

5. Per B. Ve. = Quandocunque *bonum*, quod petitur, habet adnexa *diversa* Jura *inseparabiliter*, tunc necessariò petens illud, tenetur ad obligationem differentium hujusmodi jurium.

Sed qui cupit aliquod commodum, cui annexum est incommodum, acceptat id diversis Juribus inseparabilibus implicatum. Ergo.

6. Per B. Ve. α. Ubi *verè* & realiter *bonum* & malum operantur, propriamque habent *causalitatem*, necesse est, ut hoc appetens utrumque etiam sentiat.

Sed hoc contingit, quandocunque commodum & incommodum sunt rei, quæ appetitur, connexa. Ergo.

7. Per B. Ve. Æ. Quandocunque *bonum* & malum *verè* & *æqualiter* in aliquo communicant, necesse est, ut qui acceptat unum, acceptet & alterum.

Sed hoc fit in re, cui commodum & damnum sunt connexa. Ergo.

8. Per B. = α. Ubi *bonum* & malum *differenter causant* inseparabiliter in aliqua re, necesse est, ut qui unum acceptat, acceptet & alterum.

Sed hoc contingit in rebus bono æquè ac malo, commodo & damno suppositis. Ergo.

9. Per B. = Æ. Quando *bonum* & malum etiamsi *differentia*, in tertio tamen aliquo conveniunt *æqualiter*, necesse est, ut qui tertium id accipit, malum quoque & bonum accipiat.

Sed hoc fit, quando commodum & damnum, utile & inutile in tertio conveniunt æqualiter. Ergo.

10. Per B. α. Æ. Ubi *bonum* & malum *causant æqualiter* operationes secundum formalitates suas, necesse est, ut qui complexum accipit, accipiat & utrumque contentum in eo.

Sed hoc fit, quando commodum seu utile, & damnum seu onerosæ obligationes, in aliquo reperiuntur. Ergo.

11. Per P. Ve. = Quandocunque aliqua *verè possunt* reperiri & firmari in aliquo realiter & *differenter*, atque inseparabiliter, necesse est, ut qui acceptat unum, acceptet & alterum.

Sed hoc fit, quandocunque commodum & incommodum seu damnum inveniuntur & firmantur in uno aliquo inseparabiliter, *V. G.* in hæreditate magni proventûs, & obligata ad pensionem seu censum. Ergo qui sentit commodum, debet sentire & damnum.

12. Per P. α. Quando diversa quædam *possunt* verificari de eodem subjecto & substantia, & *causare* diversos effectus in eo, necesse est, ut qui tale subjectum admittit, effectus quoque admittat, cum sine iis res in usum non cadat.

Sed hoc fit, in proposito casu, quia nunquam habetur proventus in ea, sine obligatione censûs, pensionis, aut sine onere adnexo. Ergo.

13. Per B. Ve. Æ. Quæ *possunt verè* & *æqualiter* in eodem subjecto reperiri, habent æquale jus & actiones in eo.

Sed quando commodum & damnum reperiuntur inseparabiliter & æqualiter in una re, habent in ea æquale jus & actiones. Ergo.

14. Per P. = α. Quæ *possunt differenti* modo *causare* suos effectus in una & eadem re ad invicem, necesse est, ut qui eam admittit, admittat & effectus.

Sed hoc fit in proposito casu. Ergo.

15. Per P. = Æ. Quando commodum & incommodum in re aliqua existunt cum suis differentiis essentialibus *æqualiter*, æqualiter quoque debent acceptari & sentiri; quia nulla alia ratione res transeunt in dominium, sine talibus conditionibus.

Sed in casu, cui adnexa sunt onera & commoda, illa æqualiter sunt. Ergo.

16. Per P. α. Æ. Quando sunt duo, quæ *causant æqualem* effectum in aliquo, tunc oportebit, qui ambit illam, utramque acceptare conditionem.

Hoc fit in rebus commodum & incommodum continentibus. Ergo. Sunt enim veritas obligationis, & oneris conditio in ea æqualiter.

17. Per

17. Per Ve. =. α. Quando ſunt *veræ* & *differentes* cauſæ in aliquo, ad cauſandos differentes effectus, tunc oportebit acceptatorem utramque ſubire conditionem annexam.
Hoc fit in caſu propoſito. Ergo.

18. Per Ve. =. Æ. Ubi eſt *veritas* formalis & conditio *differens æqualiter*, neceſſe eſt, ut utramque veritatem & conditionem acceptet, illud bonum appetens.
Hoc fit in caſu propoſito. Ergo.

19. Per Ve. α. Æ. Ubi *verè* exiſtunt *cauſæ æquales*, debet, qui acceptat unum, acceptare & alterum.
Hoc fit in propoſito caſu. Ergo.

20. Per =. α. Æ. Ubi ſunt *differentes cauſæ* & *æquales*, qui accipit unum, debet accipere & alterum.
Hoc fit in caſu propoſito: Ergo.

Hæ ſunt 20 rationes, quibus ex Artis noſtræ principiis ſuppoſitum caſum deduximus. Si quis verò has per alias 20 deducere voluerit, id efficiet per Quæſtiones, quarum tantùm primam, *Utrum*, ad dictas propoſitiones enucleandas exempli loco aſſumemus. Sic igitur quæritur.

1.	Per	B. P. Ve.	*Utrum commodum & damnum*	*Poſſint verè & ſimul reperiri in aliqua re?* ℞. quod ſic. Quia poteſt eſſe *V. G.* hæreditas aliqua utilis, quæ habeat annexas obligationes damnoſas & onera multa, videlicet tributa & cenſus.
2.		B. P. α.		*Ut duo contraria, poſſint eſſe in eodem ſubjecto?* ℞. quod ſic. Quia nullum eſt inconveniens duas contrarias conditiones reperiri, uti fit ſupra domum aut agrum, cum quo ponitur annexum onus tranſeundi per illum, habetque ſimul annexum commodum penſionis annuæ propter id.
3.		B. P. α.		*Poſſint cauſare in eodem ſubjecto effectus formales ſimul & eodem tempore?* ℞. quod ſic. Cauſant diverſos effectus commodi & damni.
4.		B. =. Æ.		*Secundum ſuas differentias poſſint eſſe æqualiter in aliqua re?* ℞. quod ſic. Quia cùm ſint ibi ſecundum ſuas formalitates & conditiones, erunt quoque ſecundum differentias.
5.		B. Ve. =.		*Faciant verè & realiter differentes effectus in aliqua re?* ℞. quod ſic. Quia verè & realiter illi inſunt, ergo & effectus facient differentes.
6.		B. P. Ve.		*Poſſint eſſe verè ſecundum formas ſuas in re aliqua?* ℞. quod ſic. Quia cum operantur æqualiter in ea, & ibidem formalitas exiſtere neceſſe eſt.
7.		B. P. ♡.		*Poſſint uniri & coæquari?* ℞. quod ſic. Quia æquale habent jus ad exiſtendum in re.
8.		B. =. α.		*Producant differentes effectus in eadem re?* ℞. quod ſic. Quia commodum in domo producit utilem effectum habitationis, & damnoſum ſolutionis.
9.		B. =. Æ.		*Differenter debeat ſentiri ab iis, qui in eadem re habent æqualia jura?* ℞. Affirmat. Quia in quolibet jure reperiuntur æqualiter differentia commodum & incommodum.
10.		B. P. Æ.		*Secundum ſuas formalitates poſſint æqualiter ſentiri?* ℞. affirm. Quia uti in eadem re æqualiter reperiuntur, ita æquales ſortiuntur effectus.

11. Per

Per — Cur commodum & damnum:

11. P. Ve. = — *Poßint verè & realiter secundum proprias suas differentias sentiri?* ℞. Quia in eadem re verè & realiter existunt.

12. B. Ve. α. — *Verè poßint æqualiter causare diversos effectus in eadem re?* ℞. Quia in ea existunt formæ, à quibus tales emanant effectus.

13. B. P. Æ. — *Poßint æqualiter inveniri in aliqua re, & æqualiter sentiri?* ℞. Quia in ea verè & realiter secundum mensuras conditionum commoditatis repериuntur.

14. B. = α. — *Poßint differentes effectus causare?* ℞. Quia formalitates eorum, juxta quas operantur, sunt differentes, ergo & effectus, qui inde prodeunt.

15. B. = Æ. — *Differentes æqualesque effectus sortiantur in eadem re?* ℞. Quia differentes eorum formalitates in eadem possunt reperiri æqualiter.

16. B. P. Æ. — *Poßint æqualiter operari?* ℞. Quia possunt æqualiter ab eodem subjecto participari.

17. B. Ve. = — *Vere secundum suas differentes formas poßint operari in eadem re?* ℞. Uti est susceptiva talium formarum differentium, ita & earum effectus participare potest.

18. Per B. Ve. α. *Ubi commodum & damnum secundum suas differentes formas æqualiter poßint sentiri?* ℞. Ubi æqualiter inveniuntur diversa jura, quæ commodum & damnum possunt habere.

19. Per B. Ve. Æ. *Ubi commodum & damnum poßint veras & æquales operationes causare in eadem re?* ℞. Ubi possunt æqualiter secundum formas reperiri.

20. Per B. α. Æ. *Utrum commodum & damnum causent in eadem re dißimiles & inæquales effectus?* ℞. Affirm. Quia commodum & damnum dissimilia dissimiles operantur effectus.

Habes hîc iterum 20 quæstiones, partim ad Quæstionem *Utrum*, partim ad *Cur*, & *Ubi*, applicatas, quas si per cæteras ampliaveris, habebis de proposito casu solutiones omninò 180; quas denuò Tabulæ Combinatoriæ ope, in innumeras alias quæstiones & propositiones transferre poteris.

Extenditur autem conclusio, quando per eandem quæstionem & modum quærendi intra species, quæ reperiuntur in tali regula multiplicatur, quæ vocatur dilatatio *intrinseca*; vel quando per alias regularum species dilatatur, dicitur *extrinseca*. V. G. *Qui sentit commodum, debet & sentire damnum*; extenditur sic per Quæstionem *Utrum*: vel *necesse* est sentire damnum, vel *poßibile*, vel *impoßibile*, vel *contingens*. Si quæstio fiat per Quæstionem *Cur*, tunc extenditur vel *formaliter* vel *finaliter*; & quando per *Ubi*, tunc extenditur per 15 species de localitate supra assignatas; & sic de cæteris. Et quemadmodum per hasce species conclusio multiplicata est, ita quoque unaquæque ex paulò ante 20 quæstionibus positis ad 18 principia tum absoluta tum respectiva applicari poterit. *V. Gr.*

Utrum:
- B. Necesse sit damnum sentire in omni bono.
- M. Magnum damnum in magno commodo.
- D. Durabiliter & persistenter sit sentiendum, an tempore determinato.
- P. Magis sit potens ad sentiendum damnum, quàm commodum; & sic de reliquis ordine principiis.

Si quis verò objecerit contra dicta, quippiam, tunc juxta Regulas Artis solues, ea qua sequitur ratione.

Objicies primò. Non est justum, illum pati damnum, qui utitur jure suo; potest enim procurare sibi bonum, damnumque vitare, & ad id faciendum tenetur.

℞. Verum hoc esse in contractibus liberis, & qui nullam onerosam obligationem adnexam habent; In onerosis verò contractibus, in quibus commodum & damnum inseparabiliter sunt connexa, nego.

Objicies secundò. Id debet quispiam sentire, quod magis est naturæ consentaneum. Sed bonum est tale; ergo bonum, & non damnum.

℞. Verum

℞. Verum id esse in electione libera; in contractibus onerosis, ubi commodum & damnum inseparabiliter connexa sunt, esse falsum. Consectaria eo modo, quo in præcedenti factum est, colliges.

PARADIGMA II. JURIDICUM.

An locans agrum sub pretio & pensione trium mensurarum tritici, & ab alio tres mensuras tritici ad seminandum recipiens, non producente agro ultra tres mensuras tritici, teneatur prius locator domino agri, quàm accommodanti triticum satisfacere?

Hunc Casum adducit Sanchez in sua methodo generali; verùm cum modus, quo eum solvit, sit intricatus, eum hîc juxta Artis nostræ principia, breviori & clariori modo elucidabo.

Dico itaque, quod qui accipit agrum ab alio, & triticum mutuatum ab alio recipit, teneatur prius domino agri, quàm tritici accommodatori satisfacere; & per octodecim Artis nostræ principia ita deducitur.

Illi debetur prius satisfactio,

B. Qui præterquam quod dominus sit alicujus rei, priorem quoque *communicationem* cum ea habeat, juxta regulam Juris, qui prior est tempore, est prior jure.
Sed talis est dominus & possessor agri.
Ergo locans illi prius satisfacere debet.

M. Qui *majus* jus ad rem aliquam habet.
Sed Dominus agri locati majus jus habet ad agrum.
Ergo.

D. Qui jure rem possessam *conservat*, & ad ultimum statum perducit.
Talis est possessor agri locati. Ergo.

P. Qui *potest* rem tanquam suam jure capere.
Talis est possessor agri locati. Ergo.

S. Ad quem ceu legitimum dominum res ipsa priùs videtur *ordinata*.
Hoc fit in nostro casu. Ergo.

Vo. Cujus jus in re magis apparet, & cujus *voluntati* minus contradicit operatio libera super eam.
Hoc fit in possessore agri. Ergo.

Vi. Qui habet plenum in rem aliquam *dominium*, sive jus ad rem & in re.
Talem habet possessor agri. Ergo.

Ve. Qui *verificatur* legitimus dominus alicujus rei.
Sed talis est possessor agri locati ex hypothesi.
Ergo.

G. Qui de re aliqua propria magis *gloriatur*, majores in ea conservanda expensas facit.
Talis videtur de præsenti dominus agri esse.
Ergo.

= Cujus jus super aliquam rem secundum omnes realitatis suæ *differentias* magis advertitur.
Tale est jus domini agri. Ergo.

♡ Cui uti propriè convenit dominium, ita eam magis sibi *unitam* habet, & *concordantem* per possessionem.
Talis est dominus agri. Ergo.

○● Qui nullam habet in dominio *contrarietatem*, neque litibus urgeri potest.
Talis est dominus agri. Ergo.

α Qui jus manifestum super aliquam rem, & *causalitatem* propriam realem de eadem re potest ostendere & probare.
Talis est dominus agri. Ergo.

⊙ Cui naturaliter videtur *annexa* & *connexa* res aliqua.
Talis est dominus agri. Ergo.

ω Ad quem tanquam ad legitimum dominum & *finem* existentiæ rei res potest ordinari.
Talis est dominus agri. Ergo.

M. Æ. Min.	Illi debetur priùs satisfactio,	Cujus jus *majus* in aliqua re reperitur, majoresque rationes dominii demonstrare potest. Talis est dominus agri. Ergo. Cujus beneficia expensæque in rem propriam factæ, non possunt *comparari* cum aliis, qui minus aut nihil ad eam contulerunt. Talis est dominus agri. Ergo. Cujus jus in aliqua re magis apparet, *minoresque* contradictorias adjunctas habet. Talis est possessor agri. Ergo.

Ex quibus luculenter patet, priùs satisfieri debere domino agri, quam triticum ad seminandum agrum accommodanti, posito inter neutrum intercessisse instrumentum.

Si porrò illa eadem fusiùs ostendere tibi sit, animus, id per plurium principiorum assumptionem facilè præstabis. *V. Gr.*

Per	B. D. P. B. D. S. B. D. Vo. D. Vo. B. D. Vo. =. D. Vo.	Illi priùs & potiùs satisfaciendum est,	Qui eidem fructui *conservationem* ad existendum, *agendum*, & ad *communicandum* se dedit. Talis est dominus agri. Ergo. Qui *perfectionem* dedit agro ad fructum ferendum necessarium, qui per culturam agrum *conservavit*, & providè omnia *disposuit*, quàm illi, qui nihil horum fecit. Sed talis est dominus agri, non alter. Ergo priùs illi satisfaciendum est, quàm triticum tantùm mutuò concedenti. Qui semper, quamdiu jus *duravit*, *liberam* dispositionem habuit circa rem possessam. Talis est dominus agri. Ergo. Qui censetur dominus fructus ex agro percepti, qui *libertatem* tribuit *conservandi* & disponendi de agro quovis modo. Talis est dominus agri. Ergo. Qui videtur habuisse *voluntatem* liberam ad *conservandum* talem fructum, secundum omnes *durationis differentias*, per quas fructus recipit esse. Talis est &c. Ergo. Qui ad agri *cultum* omnia necessaria *subministravit*. Talis est &c. Ergo. Sine quo impossibile erat, fructum nasci, augeri, perfici. Sed sine domino agri hoc non fit. Ergo.

Et hoc pacto poteris per assumptionem variorum principiorum rem prope in immensum producere; quæ, ne longior sim, aliis evolvenda relinquo. Siquidem non tantùm unum principium, *V. Gr.* B. cum omnibus ordine principiis combinare licet, sed & singula cum singulis ordine recto, inverso, & quocunque tandem modo placuerit; quæ deinde per Quæstiones examinata in ingentem propositionum argumentorumque copiam excrescent.

Quod si nonnemo objiciat; priùs commodanti triticum satisfaciendum, his argumentis inductus:

Object. 1. Illud bonum & commodum debet quis in agro prius reddere alicui ex creditoribus suis, à quo magis videtur accepisse.

Sed plus videtur accepisse ab accommodante triticum, quàm à locante agrum. Ergo.

Respondeo. Cùm in hoc casu jus *ad* rem & *in* re potissimum attendi debeat; clarum est, majus habere jus ad triticum, in cujus agri fundo crevit, quàm illum, qui nullum in agrum jus habet, qualis est accommodans triticum tantùm ad seminandum. Ergo.

Illi videtur prius & potius satisfaciendum, qui majus ad rem aliquam jus habet. Object. 2.

Sed commodans triticum majus jus habet ad triticum, quia propriè suum est. Ergo.

Respondeo: Fructum tritici ex agro perceptum, cum jam esse desierit, neque in proprio fundo creverit, non posse ullum jus fundare in accommodante triticum; prius itaque satisfaciendum esse Domino agri, cujus & ager est, & quod ex eo provenit.

Plura

Plura alia argumenta adduci poſſunt, quibus potius accommodanti triticum, quàm domino agri locati ſatisfieri debere oſtendere poſſumus: Attamen hujuſmodi objectiones ſemper eo modo ſolvendæ ſunt, quo in præcedentibus duabus factum eſſe vides.

PARADIGMA III.

Quæritur: *Utrum Clericus poſſit puniri à Judice Sæculari?* ℞. Negativè.

Hanc quæſtionem hoc pacto per Artis noſtræ regulas ſolves: Primò reſpicies materialem, formalem, finalem, & efficientem ſtatus utriuſque cauſam; Deinde illa applicato ad noſtra principia, eo, qui ſequitur modo.

Cùm Clericus juxta cauſam *materialem* ſui ſtatûs ſit altioris ordinis, & ſub alterius ſuperioris, poteſtate, non poteſt Judex ſæcularis inferior eo, in eum ullam exercere juriſdictionem; ſicuti enim corpora inferiora non poſſunt influere in corpora ſuperiora, ita nec in Ethico Mundo inferior ſtatus in ſuperiorem.

Hoc itaque oſtenſo, jam per hæc ad principia Artis noſtræ applicata, ita argumentor.

Si Judex ſæcularis Clericum punire poſſet, tunc verè dici poſſet, per	B.	Minus *perfectum* de perfectiori	Judicium inſtitui poſſe.
	M.	*Parvum* de *Magno*	
	D.	*Mutabilem* de minùs mutabili	
	P.	Minus *potentem* de potentiori	
	S.	Minus *privilegiatum* de magis privilegiato	
	Vo.	Sæcularem de DEO *conſecrato*	
	Vi.	Minoris *virtutis* de majori virtute imbuto	
	Ve.	Minus firmum & *verum* de magis firmo & vero	
	G.	Minus *honoratum* de magis honorato	

Sed hoc eſt abſurdum. Ergo.

Perverteretur enim ordo rerum & judicium: quia inferius influeret in ſuperius, procedereturque de uno genere ſtatus in diverſum; quod in Jure prohibitum eſt.

Deinde hæc eadem confirmabis per argumenta ex cauſa *formali* deſumpta, hoc pacto:

Ubi non eſt Juriſdictio ſeu facultas juſtitiæ ad puniendum, ibi non poteſt fieri judicium.
In Judice ſæculari non eſt ſupra Clericum talis Juriſdictio. Ergo.

Quæ iterum per novem abſoluta principia deducere poteris, ſic:

B. Ubi non eſt requiſita *perfectio* Juriſdictionis, ibi non poteſt fieri judicium.
Talis non eſt in Judice ſæculari ſupra Clericum. Ergo.

M. Ubi non eſt *extenſio* ſufficiens ad exequendum judicium, ibi judicium exerceri non poteſt.
Sed in Judice ſæculari hæc non eſt. Ergo.

D. Ubi non *permanet* Juriſdictio *ſtabilis* & legitima, ibi judicium exerceri non poteſt.
In Judice ſæculari non eſt Juriſdictio talis. Ergo.

P. Ubi non eſt *poteſtas* valida, ibi judicium exerceri non poteſt.
Talis in Judice ſæculari non eſt. Ergo.

S. Ubi non ſunt *leges* & *decreta*, ſive conſtitutiones, quæ dent Juriſdictionem ad judicium exequendum, ibi judicium exerceri non poteſt.
In Judice ſæculari hæc omnia deficiunt. Ergo.

A cauſa *finali* ſic argumentare.

Finis Juriſdictionis Eccleſiaſticæ eſt ad conſervandum ſtatum Eccleſiaſticum, ſicut finis Juriſdictionis Civilis, ad conſervandum ſtatum ſæcularem & politicum.
Ergo Judex ſæcularis non poteſt invadere Juriſdictionem alterius, nec talis punitio poteſt fieri de jure.

Quæ per 9 abſoluta principia ſic oſtendes: per B. quia id foret contra perfectionem ſtatus. Per M. quia foret res magnæ præſumptionis. Per P. ſine legitima poteſtate ſæcularis in Eccleſiaſticum nil juris obtinet. Et ſic de cæteris.

Pari pacto à cauſa *efficiente* dicta magnis diſcurſibus probare poſſem; quæ, nè longior ſim, Lectori deducenda relinquo.

Vides itaque, quantus ex hoc modo, & quàm ingens diſcurrendi campus aperiatur, præſertim ſi per Quæſtiones examinentur.

PARADIGMA IV.

Utrum justa de causa ultra tributum impositum, in signum subjectionis aliud de novo imponi possit?

Quando se offert occasio conciliandi in Republica, aut alio negotio pro ejus utilitate & quiete, an aliquid factum sit rectè & utiliter, aut an faciendum sit, tunc recurrendum est ad prædictum causarum quadruplex genus ejus rei, quæ facta, vel facienda est, & per eas inquiritur, an utiliter & honestè res facta sit, an facienda sit. *V. Gr.* In aliqua Civitate magna quæritur, an propter ejus amplitudinem & utilitatem, quam habet respectu aliorum oppidorum sibi subjacentium, possit ultra tributum solitum ipsis in signum subjectionis impositum, aliud de novo imponi gravando populos, cœteroquin Civitati obedientes. Tunc advertendum est, Consilium debere fieri modo prædicto, respiciendo ad Legem Divinam, Naturalem, & humanam Civilem; Si enim aliqua earum repugnat tali facto, tunc impositio fieri non debet neque potest. Quæ omnia pulchrè ex principiis nostris demonstrabis, hoc pacto:

A causa *Materiali.*

Per {
B. Subditi non debent privari *bonis* suis sine causa justa, & illis utili.
Privarentur verò in dicto casu. Ergo.
M. Si ad *magnum* Reipub. emolumentum non conducit, subditi non debent sine causa tale detrimentum pati.
Paterentur autem in dicto casu. Ergo.
D. Subditi non debent destrui, sed *conservari* & manuteneri in possessione sua.
Destruerentur verò in dicto casu. Ergo.
P. Subditorum *potestas* & facultas non debet sine ratione & justa causa minui.
Minueretur autem in dicto casu. Ergo.
S. Quicquid est contra rectæ *rationis* dictamen, id non est faciendum.
In dicto casu gravamina subditis sine causa imposita talia sunt. Ergo.
Et sic de cæteris.
}

A causa *formali*, seu de modo imponendi tributum, eodem modo per principia, rationes deduces; *V. G.* Si talis impositio fieret sine causa;

B. Magnum in Republica *bonum* impediretur.
M. *Incrementum* Reipub. augmentumque civitatum deficeret.
D. Respublica ipsa *durare* non posset.
P. Subditorum *rebelliones* & seditiones non essent defuturæ.
Et sic de cæteris.

A causa *efficiente*. Cùm non sit in civibus aut principibus civitatis talis potestas imponendi tributa; aliàs enim eorum operatio esset injusta & imprudens, mala, prava, corrupta, impotens, inordinata, & contra legem divinam, crudelis, vitiosa &c. per opposita principiorum absolutorum.

A causa *finali*, quæ est pax & conservatio Reipub. quæ per hujusmodi impositiones durare non posset, deficeret omnis civium Bonitas, M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.

Habes hîc paucis expositum assumptum thema politicum, juxta quod aliud quodlibet resolvere poteris.

PARADIGMA V.

De variis modis argumentandi in Jure.

Inductio Juris sumitur juxta Artis nostræ principia,

B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } A {
Bonitate, utilitate, commodo rei, quæ in textu tractatur.
Magnitudine, excellentia & extensione rei in textu contentæ.
Consuetudine *diuturna*, legis usu introducta.
Potestate Principum, Legislatorum.
Providentia latæ legis, ad mala Reipub. avertenda.
Voluntate Legislatorum, reddendi unicuique quod suum est.
Vi obligationis, qua omnes ad talem & talem legem servandam tenentur.
Dictamine rectæ rationis, cui talis & talis lex in tali & tali textu exposita, *conformis* est.
Quiete & tranquillitate publica, quæ ex legis observatione emanat.
}

=		*Diſſidiis* maliſquè, quæ ex legis ruptura conſequuntur.
♡		*Concordia* & unione, quæ jurium compoſitionem conſequuntur.
o•		*Contrariis* unionem & concordiam publicam impedientibus.
α		*Cauſa* & prima legum origine.
☉	A	*Mediis*, quibus publica ſalus conſervatur.
ω		*Fine* jurium, in textu legum contentorum.
M.		*Comparatione* majoris ad minus.
Æ.		*Simili*.
Min.		*Minori* ad majus.

Quicunque hæc ritè intellexerit, ingentem ſibi ad omnem Juris interpretationem, differendi materiam reperiet; cum omnia, quæ in univerſis, iiſque vaſtiſſimis Juris Civilis Operibus congeſta ſunt, in hiſce implicitè contineantur, & facilè memoriæ mandari poſſint.

PARADIGMA VI.

Caſus juridicè decidendus, ex lite inter duos exorta.

Notandum, triplicem eſſe litigantium differentiam; *Primò* quidem, duo inter ſe litigant, quorum *uterque culpam contraxit*. *Secundò* duo litigant, quorum *unus culpabilis*, *alter inculpabilis* eſt. *Tertiò* duo inter ſe litigant, quorum *uterque culpa caret*. Singulos tres caſus per Artis noſtræ principia reſolvemus.

Exemplum de primo, & ponitur caſus in terminis.

Titius certam pecuniam ad uſuram dederat *Sempronio*; hic pecuniam ad uſuram conceſſam luxurioſè cum muliere ſoluta conſumpſerat, quem Titius de luxuria & fornicatione commiſſa accuſavit; Sempronius verò Titium de uſura. Venerunt in judicium: nunc quæritur, *quis eorum majori pœna dignus ſit?*

Certum eſt, illum majori pœna dignum fore, qui majus intenſivè crimen commiſit. Cùm itaque duplex hîc crimen in caſu ponatur, *Uſura* & *Luxuria*, utrumque priùs juxta Artis noſtræ regulas comparabis cum principiis abſolutis; quod enim magis iis repugnaverit vitium, illud majori pœna dignum eſſe judicabis. Unde ſic argumentare.

B. Vo. Illud vitium, quod eſt immediatè contra DEI liberalitatem & *bonitatem* DEI diffuſivam in omnes, & contra *charitatem* DEI & proximi, eſt magis puniendum, quàm illud, quod non præciſè opponitur liberalitati, bonitati, & amori DEI & proximi.

Sed uſura magis opponitur liberalitati, bonitati, & amori DEI & proximi, quàm fornicatio.

Ergo vitium uſuræ magis puniendum eſt, quàm fornicatio cum ſoluta.

Major patet ex ſe; eſt enim peccatum tantò gravius, quantò divinis virtutibus magis opponitur.

Minor probatur. Quia uſurarius peccat contra legem divinam, quâ charitas erga proximum præſcribitur, quam ipſe uſurâ ſuâ violat; Luxurioſus verò etiamſi ſenſuali concupiſcentia victus contra præceptum, quod eſt, non mœchaberis, peccaverit; quia tamen luxuria non eſt præciſè oppoſita alicui ex virtutibus divinis, prætereaque viri fœminæque conjunctio quid naturale videatur; patet, uſurarium majori pœna dignum, quàm luxurioſum. Quorum utrumque ſcitè per 18 principia demonſtrare poteris, uti in prioribus Exemplis factum eſt. *Uti*: uſura eſt oppoſita præciſè Bonitati M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. DEI; Luxuria non præciſè ipſis iiſdem oppoſita eſt, ſed indirectè; in quantum eſt contra præceptum Decalogi. Ergo Uſurarius eſt majori pœna dignus, quàm Luxurioſus.

Secundus Caſus eorum, quorum unus culpabilis, alter inculpabilis eſt.

Quidam Paterfamilias habens duos filios, & primogenitum quidem, univerſalem omnium bonorum ſuorum hæredem ex teſtamento conſtituit; Patre verò defuncto, primogenitus ſtatim Preſbyter factus eſt, in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutus; Secundo verò genitus fratri Eccleſiaſtico litem movit, circa hæreditatem à Patre teſtamento legatam; objiciendo illud Juris Canonici: *Qui altari ſervit, de altari vivat, & de Eccleſiæ patrimonio*; cui non cedit primogenitus. Quæritur jam, *cuinam dicta debeatur hæreditas?*

Vide & expende diligenter Caſûs circumſtantias. Hoc peracto, cùm pater jam primogenitum conſtituerit hæredem, teſtamentum autem ſolui non poſſit, clarè patet, primogenitum manere in legitima poſſeſſione, non obſtante, quod Sacerdotio initiatus ſit; eſt enim melior conditio poſſidentis; Unde ſic argumentaberis ex Artis noſtræ principiis.

B. *Bonorum hæreditas* teſtamento legata, uti immutabilis eſt, ita nihil contra eam à quoquam prætendi poteſt.
Talis eſt hæreditas primogenito legata. Ergo.
M. Teſtamentum ad nullum alium ſeſe *extendit*, niſi ad primogenitum. Ergo minor contra id prætendere nihil poteſt.
D. Hæreditas illa teſtamento legativo collata, eſt *perſeverans*, nec diſſolvi poteſt. Ergo.
P. *Poteſtas* in bona collata fuit filio primogenito, non ſecundo genito. Ergo.
S. Quod Leges, ſtatuta & conſtitutiones civiles ſumma *ratione* fundârunt, id dirui non poteſt.
Talis eſt hæreditas in caſu noſtro. Ergo.
Vo. Hæreditas hæc ab ultima teſtatoris *Voluntate* dependens eſt immutabilis. Ergo nemini præter eum, qui hæreditatem jure adiit, competere poteſt.
Vi. *Virtuti* Juſtitiæ id cum primis convenit, ad multa mala impedienda.
Ve. Ipſum rectæ rationis dictamen *Veritatem* approbat.
Et ſic de cæteris ordine principiis procedes.

Ex his patet, primogenito, non ſecundogenito deberi hæreditatem.

Nec obſtat, quòd poſt hæreditatem, Eccleſiaſticum ſtatum aſſumpſerit; Statûs enim mutatio non mutat teſtamentum, niſi quis ultrò jure ſuo cedere velit, Unde naſcitur & alia quæſtio: *Utrum Eccleſiaſtico plus de jure debeatur hæreditas, quàm Sæculari & Laico?* Reſpondeo, quod Eccleſiaſtico. Ratio eſt, quia omnia bona DEI ſunt, & ab eo profecta; quantò itaque quiſpiam DEO fuerit conjunctior, tantò plus eum de jure mereri de bonis, quàm illum, qui in ſæculo vivens ſubinde DEI bona in peſſimos uſus expendit. Quæ omnia ſcitè per principia noſtra demonſtrari poſſunt.

Tertius Caſus eorum eſt, quorum uterque inculpabilis eſt.

Quidam duxit aſinum ſuum ad pratum juxta flumen, & alius quidam ligavit naviculam ſuam ad vitem in littore, ſive ripa fluminis, quod radebat pratum: Accidit autem, ut aſinus cauſa bibendi ingreſſus ſit naviculam, & extincta ſiti cœperit ex ipſa navicula herbas ripæ depaſcere, & inter alia vitem quoque, cui navicula alligata erat, rodere, & rodendo vinculum rupit; unde navicula ſoluta, & aſinus unà ſecundo flumine labentes, tandem everſâ naviculâ, & navicula & aſinus periêre. Hinc nata lis eſt; dominus enim aſini ſibi reſtitui petiit aſinum, à domino naviculæ, & hic ſibi naviculam à domino aſini; Venerunt in judicium. Quæritur itaque à Juriſconſulto, *quis eorum alteri debeat reſtitutione ſatisfacere.*

Conſidera primò, an uterque iſtorum quicquam commiſerit in hoc caſu contra DEUM, quod in 9 Principiis abſolutis Artis noſtræ explicatur. Secundò, utrum ambo contra legem divinam aut humanam peccaverint. Et invenies, quòd cùm dominus aſini jumentum duxerit ad pratum ſuum non cauſâ nocendi, nec dominus naviculæ alligando illam ad vitem. Unde ſic argumentare:

B. Illa *actio*, ex qua nullum detrimentum provenit alicui, non eſt obnoxia pœnæ.
Actio utriuſque in hoc caſu talis eſt. Ergo.
M. Ubi non eſt *extenſio* voluntatis inferendi damnum aliis, illa actio non eſt culpabilis.
Sed talis actio fuit in utroque.
Ergo in utroque non fuit culpabilis.
D. Ubi *durat* jus paſcendi in proprio fundo, & alligandi naviculam ad ripam ſine damno alterius, ibi actio non poteſt eſſe culpabilis.
Hoc fit in præſenti caſu. Ergo.
P. Ubi datur *poteſtas* juris naturalis, ibi non intervenit culpa.
Hoc fit in præſenti caſu. Ergo.
S. Quod nulli *legi* aut conſtitutioni civili repugnat, illud culpabile eſſe non poteſt.
Talis eſt caſus præſens. Ergo.
Vo. Ubicunque eſt *voluntas* jus ſuum explendi licitè & legitimè, ibi culpa intervenire non poteſt.
Hoc fit in præſenti caſu. Ergo.
Uterque igitur culpa caret.

Dicen-

Liber	Titulus I.	Tit. II.	Tit. III.	Tit. IV.	Tit. V.	Tit. VI.	Tit. VII.
	De Jure & Justitia. §§. 4.	*De Jure Naturali, Gentium, & Civili.* §§. 12.	*De Jure personarum.* 5. §§.	*De Ingenuis, sive de iis, qui nati liberi sunt.* 1. §.	*De Libertinis, sive Manumissis.* §§. 3.	*Quibus de causis manumittere liceat, non liceat.* §§. 7.	*Lex Fusia Caninia tollenda.* 2. §§.
LIBER I. *De Jure & Justitia. De Personis.*	§. 1. Quid Justitia? §. 2. Quid Jurisprudentia? §. 3. Quomodo jura exponi possint. §. 4. Juris præcepta 1. Honeste Vivere. 2. Alterum non lædere. 3. Jus suum cuique tribuere. §. Ex his natum est jus privatum Positiones juris 2 sunt: publicum & privatum.	Quid jus naturale. §. 1. Jus gentium sive commune jus omnibus. Jus civile, quod sibi quisq; populus constituit. Jus Romanum constat scripto & non scripto. Scriptum sextuplex. Plebiscitum. Lex. S. C. Placita principum Magistratuum edicta. Responsa prudentum. Non scriptum, quod usus approbavit, & dicitur consuetudo.	Divisio personarum in liberos & servos. Libertas est facultas naturalis faciendi quod libeat, nisi vi aut jure prohibeatur. Servitus est constitutio juris gentium, quo quis dominio alieno contra naturam subjicitur. Servi nascuntur vel ex ancillis, vel fiunt, dum capiuntur bello, & mancipia dicuntur. *Quæ omnia pulchre per 18 principia deduci possunt.*	Ingenuus dicitur, qui nascitur liber. Tales esse possunt, vel si ex duobus libertinis, vel ex libertino uno & ingenuo altero, vel ex servo patre & libera matre. Ratio, quia non debet calamitas matris nocere ei, qui in ventre est, neque manumissio officere natalibus.	Libertini sunt, qui ex justa servitute manumissi sunt. Fit autem manumissio vel ex statutis Ecclesiæ, vel per epistolam, vel testamentum, aut quibuscunque aliis modis lege statutis. *Quæ omnia per Artis [illegible] investigari, & per Quæstiones fusius tractari possunt.*	Licet, si sanguinis affinitate ei junctus sit; aut meritum, aliquod habuerit Ante 20 annos manumissio non conceditur, aut strictius ante 18. annum ætatis.	In Lege Fusia Caninia constitutum erat, servos testamento manumittere, quæ a Justiniano sublata
	Rerum divisio, & acquirendum dominiũ earundem. §§. 48.	*Res Corporales & Spirituales.* §§. 3.	*Servitus prædiorum.* §§. 4.	*Ususfructus.* §§. 4.	*Usus & habitatio.* §§. 6.	*Usucapio & præscriptio.* §§. 13.	*Donationes.* §§. 4.
LIBER II. *De rerum divisione, acquirendoq; earum dominio.*	In 5 partes dividuntur res: Quædam enim sunt communia. Quædam publica Quædam universitatis. Quædam nullius. Pleraque singulorum. Communia sunt: aer, aqua, mare, littus. Publica. Flumina sunt, portus, ripæ. Universitatis. Theatra Nullius. Res sacræ, cœmiteria, templa Singulorum. Juxta triplex jus; uti sunt feræ, insulæ alluvione natæ, thesauri.	Res corporales sunt, quæ tangi possunt, uti fundus, homo, vestis. Incorporales sunt quæ tangi non possunt: ut jura, hæreditas, ususfructus, usus, obligatio, servitus.	Rusticorum prædiorum jura sunt. Iter, actus, via, aquæductus. Iter est jus eundi tantum hominis. Actus est jus agendi jumentum, aut plaustrum ducendi. Via est jus lapidem habendi. Aquæductus est jus, aquæ ducendæ per fundum alienum. Constituuntur pactis, stipulatione, testamento.	Ususfructus est jus utendi & fruendi alienis rebus, salva rerum substantia, pactis, stipulatione, testamento constitutum Extinguitur morte usufructuarii, capitis diminutione, cessione, rebus incendio, terræ motu, bello, vetustate interreuntibus.	Usus differt ab usufructu, quod ille quotidianum tantùm usum habeat in res, uti olera, flores, fœnum, ligna, hic verò præterea jus habet, eadem locandi, vendendi & donandi Qui autem ædium habet, potest eas locare, sed non transferre ad alium.	Usucapione acquiruntur res mobiles, immobiles. Bona fide mobiles per triennium. Immobiles in præsentia dominorum decennio, in absentia vicennio. Res sacræ, homo liber, usucapi non possunt uti quoque res fisci, vitiosæ & similes. Præscriptio autem instituta est jure, ne res in incertum versarentur.	Acquisitio per donationem fit vel mortis causa, vel inter vivos. Illa revocari potest, hæc non. Fiunt autem vel scriptis, vel sine scriptis, insinuatione, usque ad 500 solidos; possunt etiam revocari ob ingratitudinem accipientis, vel ob malum usum rerum donatarum, aliasque ob causas.
	Hæreditates ab intestato. §. 16.	*Legitima successio cognatorum.* §§. 8.	*Senatus-Consultum Tertullianum.* §§. 7.	*Senatus-Consultum Orphitianum.* §§. 4.	*Successio cognatorum.* §§. 5.	*Gradus cognatorum.* §§. 9.	*Servilis cognatio.* §§. 3.
LIBER III. *De hæreditatibus, quæ ab intestato deferuntur. & Obligationibus quæ ex contractu nascuntur.*	Intestatus dicitur decedere, qui aut omnino testamentum non fecit, aut non jure fecit, aut id quod fecerat, irritum factum est, aut si ex eo hæres non extiterit. Defertur tamen hæreditas ab intestato suis hæredibus filiis filiabus; & hisce non existentibus, maximè propinquis. Nepotibus & Neptibus.	Legitima successio in hæreditatem ab intestato non tantum competit Agnatis tantùm naturalibus, sed & adoptionis. Non tamen omnibus Agnatis hæreditas simul datur; sed iis tantùm, qui tunc proximum gradum occupant.	S. C. Tertullianum est jus, quo cautum est, de tota [illegible] liberorum successione matri deferenda Antefertur autem mater omnibus, exceptâ fratris & sororis persona, cum quibus una vocatur, cum sororibus in [illegible]. cum fratribus vero & sororibus in capita fit distributio.	S. C. Orficianum est jus, quo [illegible] ad bona matrum intestatarum admittuntur, & capitis diminutione non perit.	Hæreditas suis & agnatis non existentibus pertinet, Primo, ad cognatos Secundò, ad fœminas cognatas. Vocantur autem agnati usque ad decimum gradum. Cognati usque ad sextum.	Duplex est cognatio: Ascendentium & Descendentium. Altera eorum, qui ex altera veniunt, id est, ex transverso. Ascendentes sunt parentes. Descendentes Liberi. Ex transverso, fratres, sorores, patrui, amitæ, avunculi, materteræ, & qui ex iis nascuntur & consequuntur.	Si parentes & liberi servorum ad libertatem venerint, jure patronatus in hac parte succedunt. Unde fratres & nepotes non possunt pariter vocari, sed illi hisce præferantur in infinitum. Et agnati licet remotiori gradu, potiores tamen sunt cognatis in gradu proximiori; exceptis fratre & sorore
	Obligationes ex Delicto §§. 19.	*Vis bonorum raptorum.* §§. 2.	*Lex Aquilia.* §§. 16.	*Injuria.* §§. 12.	*Obligationes quæ quasi ex delicto.* §§. 3.	*Actiones.* §§. 40.	*Actio in aliena potestate constitutum.* §§. 8.
LIBER IV. *De obligationibus quæ ex Delicto nascuntur.*	Obligationes ex delicto nascuntur omnes ex maleficio. Sunt autem maleficia 4. furtum, damnum, rapina, injuria. Furtum est ablatio aut detentio rei cujuscunque invito domino. Estque duplex: manifestum & non manifestum. Juxta hoc tenetur furti, quicunque opem consiliumque furi contulit.	Bonorum raptor est, qui dolo malo vi rapit, fur improbissimus. Et vi bonorum raptorum ad quadruplum unà cum pœna tenetur.	Lex Aquilia illa est, quæ punit eum, qui damnum dedit; & in tria capita distinguitur; quorum prius in usu potissimum est. Cavetur in eo, illum, qui servum alienum, vel quadrupedem injuria occiderit, Domino tanti condemnandum, quanti id, quod occisum est, eo anno plurimi fuerit.	Injuria dicitur omne id, quod non jure fit, generaliter; Specialiter contumelia, culpa, iniquitas, injustitia. Committitur autem injuria facto & verbo. Uxor si Viro injuria fit, non potest injuriarum agere; non enim maritos ab uxoribus defendi æquum est.	Nascuntur obligationes quasi ex delicto Primò. Si judex iniquam dixerit sententiam, & datur [illegible] in factũ actio. Secundo. Si ex loco, quo quis habitat, aliquid dejectum transeunti noceret, ad satisfactionem obligaret habitantem, & dicitur actio dupli; & si quid suspensum transeunti noceret, decem aureorum pœna constituta est.	Actio est jus petendi persequendique in judicio, quod sibi debetur. Sunt autem actiones vel in rem, vel in personam: in hanc quidem, si contracta est obligatio; in rem verò, si non est. Datur & actio in res corporeas confessoriè, in incorporeas confessoriè & negativè.	Eadem pænè jura servantur, sive cum filiofamilias, sive cum servo negotium gestum est. Datur actio quasi jussu in solidum. Si jussu domini cum servo contractum fuerit, vel si cum servo, quem dominus navi magistrum præfecit, contractum fuerit, & dicitur exercitatoria; vel si eum tabernæ præfecit, & dicitur institoria.

Liber	Tit. VIII.	Tit. IX.	Tit. X.	Tit. XI.	Tit. XII.	Tit. XIII.	Tit. XIV.
	De sui vel alieni juris personis. 2. §§.	*De patria potestate.* 3. §§.	*De nuptiis.* 13. §§.	*De adoptionibus.* 12. §§.	*De dissolutione patriæ potestatis.* §§ 10.	*De Tutelis.* 5. §§.	*Tutores testamenti.* 5. §§.
LIBER I.	Dominus in servum absolutum dominium vitæ & mortis habet, & hoc olim, modò cautum est legibus, ut nemo in servos sævire præter modum possit, multo minus occidere.	Pater in Filios & Nepotes libertatem habet. Estne Patriæ potestatis jus omnium hominum? Resp. non. sed Civium Romanorum. Liberi in potestate Patris sunt.	Nuptiæ sive Matrimonium est, viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens. Justas nuptias contrahunt cives Romani legitimæ ætatis, consensu parentum Intra gradus consanguinitatis nuptiæ contrahi non possunt aliquousque	Arrogatione & imperio Magistratus fit adoptio Ante 18 annum non debet fieri adoptio. Quinam possint adoptari; An impubes, minorennis, filius, filia, soror?	Fit dissolutio patriæ potestatis, parentibus vel mortuis, vel emancipatis, vel ad [illegible] filios; non tamen solvitur captivitate, sed suspenditur postliminio. Jus dominorum in libertos & emancipatos. In utero existens subditur potestati ejus, sub cujus fuit tempore conceptionis.	Tutela est jus & potestas in Caput liberum data, ad tuendum. Sic, qui propter ætatem se defendere non potest. Unde Tutores quasi Tuitores dicti. Tutores possunt dare parentes posthumis & emancipatis, sed à præside confirmandos.	Tutores testamento dare potest pater, & filius, & servus, si liber erit. Furiosus quoque si mentem receperit. Tutores 25 annos superent
	Abalienatio. §§. 2.	*Acquisitio rerum.* §§ 6.	*Testamentorum ordinatio.* §§ 14.	*Testamentum militare.* §§. 6.	*Quibus permissum, facere testamentum.* §§. 5.	*Exhæredatio Liberorum.* §§. 7.	*Hæredum Institutio.* §§. 12.
LIBER II.	Abalienare licet. Primo. Marito dotale prædium, etiam uxore non consentiente. Secundò. Creditori licet pignus ex pacto alienare. Sed pupillis nullam rem sine tutoris consensu alienare licet. Tertiò. Pupillo aliquid dari potest [illegible] tutoris authoritate solvere non potest.	Acquirimus res per nos ipsos, & per eos quos in libertate non habemus, per servos & liberos, quos bona fide possidemus Acquirit filius patri; sibi verò ex alia causa dominium, patri vero usumfructum. Servus ex rebus domini, aut domino acquisitis, sibi verò quod legatum est, aut donatum.	Testamentũ est mentis testatio. Testamentum conditur 7. testibus in præsentia, testatoris & testamenti subscriptione, testium signaculis, & hæredis per manum testatoris expressione Testes esse possunt omnes, qui vel hæredes esse, vel eos [illegible] possunt, exceptis mulieribus, [illegible], surdo, muto, prodigo, servo, improbo, instabilique.	Milites in expeditionibus non possunt cogi ad testamenti, alias coguntur ad solennitatis testamenti observantiam. Non valet testamentum, si sine testibus quis dixerit, Ego te constituo hæredem omnium bonorum Testamentum ante militiam factum & posteà in militia confirmatum, & [illegible] litis statu, etiamsi [illegible]	Iis testamentum facere non licet, qui alieno juri subduntur. Impuberibus, prodigis, quibus bonorum administratio interdicta est. Surdis item. Cœcis. Captivis.	Exhæreditatio debet fieri nominatim; ut, Titius filius meus exhæres fit. De posthumis idem dicendum, hac formulâ. Quicunque mihi filius genitus fuerit, exhæres esto Pari pacto emancipati & adoptivi exhæredandi sunt.	Hæredes institui possunt, liberi & servi, tam proprii quam alieni. Servus tamen adulter à domino hæres fieri non potest. Servus proprius hæreditatem adire cogitur; alienus solo jussu domini sui. Testamentum in plures institui potest, & in plures partes, quæ sunt 12.
	Successio Libertorum. §§. 4.	*Assignatio Libertorum.* §§. 3.	*Bonorum possessio.* §§. 6.	*Acquisitio per arrogationem.* §§ 3.	*Ob libertatem bonorum addictio.* §§. 7.	*Sublatio successionum.* §.	*Obligationes* §§. 2.
LIBER III.	Nemo olim succedebat Liberto intestato, nisi suus hæres; adoptivus vero ejus jus habebat & patronus. Vocantur autem patroni ad quintum usque gradum. Olim liberti successionem non habebant, sed moriebantur ut servi, eorumque bona à manumissoribus possidebantur. Hodie omnes Liberti sunt cives Romani.	Bona Libertorum ad omnes patronos pertinent, nisi patronus [illegible] ex liberis assignet libertum, ut post mortem [illegible] patronus. Evanescit autem assignatio, si quis filium, cui assignavit, emancipaverit.	Bonorum possessio est jus defuncti bona possidendi, juris veteris emendandi aut impugnandi seu comprobandi gratia à Prætore introductum Unde ad successionem a prætore vocatus, non hæres sed bonorum possessor dicitur Est autem bonorum possessio duplex, ex testamento, & contrà; vel secundum tabulas. Deinde ab intestato, & octo species habet.	Arrogatione acquiruntur patri adoptiva omnia. Rerum dominium in arrogatorem transit per mortem arrogati, nisi aliæ personæ præterantur. Arrogator arrogatum contra creditores defendere potest, sin nolit, datur potestas creditoribus bona arrogati possidere.	Si ii, qui libertatem in testamenti nacti sunt, ex qua nemo hæreditatem adit, libertatis conservandæ causâ, bona sibi addici postulant, tunc & libertatem & omnia defuncti bona, non obstantibus codicillis, acquirunt, etiamsi minor 25 annis abstinens postea pœnitens hæreditatem à servo occupatam repetierit.	Erant & olim bonorum acquisitiones per bonorum propter creditores venditionem, quæ sublata est.	Obligatio est juris vinculum, quo quis [illegible] quod debet, secundum Civitatis Romanæ jura solvere cogitur. Dividitur autem primò in civilem & prætoriam Secundò dividitur in 4 species; aut enim fiunt ex contractu, aut ex delicto, aut quasi delicto.
	Noxales actiones. §§. 7.	*Animalium noxales actiones.* § 1.	*Per quos agere possimus.* §§ 2.	*Satisdationes.* §§. 7.	*Perpetuæ actiones in heredes.* §§. 2.	*Exceptiones.* §§. 11.	*Replicationes.* §§. 4.
LIBER IV.	Noxalis dicitur, ex qua alicui nocumentum provenit: hoc pacto in servum delinquentem tenetur dominus noxali actione; & si liber delinquens servus natus [illegible] noxali actione tenetur. Et si uterque in invicem quidpiam admiserit, neuter neutri tenetur.	Animal pauperiem fecisse dicitur, quando damnum sine injuria datum est, & ad damnum reficiendum tenetur dominus noxali actione, ex lege 12 tabularum, si animal domini naturâ suâ non ferox nocuerit. Si verò ferox fuerit, uti ursus fugiens, nemo tenetur, cum non habeat dominum.	Non solum suo nomine quis agere potest, sed etiam alieno, veluti procurator, curator. Procurator autem esse intelligitur, cuicunque & quibuscunque verbis causam tuam agere & defendere permiseris.	Pro litis æstimatione hodiè satisdatio non datur, sed quod quis in judicio permansurus sit, is satisdat vel jurejurando, vel nudè promittit. Si verò per procuratorem agat, hic nisi aut mandatum habeatur, aut à principali præsens confirmetur, rem ratam dominum habiturum, satisdare tenebitur.	Perpetua actio quæ usque ad finem ex constitutionibus introducta extenditur. Actiones contra hæredes non dantur, si ex maleficio nascuntur; si verò ex contractu provenerint, dantur.	Exceptio est eorum quibuscum agitur, defensio, ut metus causa, est exceptio, quæ ei, qui metu promissorem coëgit, opponitur. Vel doli mali exceptio est, quæ ei, qui dolo promissorem circumvenerit, opponitur Exceptio non numeratæ pecuniæ, quæ ei, qui pecuniam promissori non numeravit, opponitur.	Replicatio est alia adjuvandi actoris gratia allegata; quia exceptionis jus replicatur & resolvitur veluti post pactum de non petendo posterior pacto convenit, ut quis petere possit; dicitur duplicatio, si dupli pactum secutum est; triplicatio, si tertio allegatur.

Tit. XV.	Tit. XVI.	Tit. XVII.	Tit. XVIII.	Tit. XIX.	Tit. XX.	Tit. XXI.	Tit. XXII.	Tit. XXIII.	Tit. XXIV.	Tit. XXV.	Tit. XXVI.	Tit. XXVII.	Tit. XXVIII.	Tit. XXIX.	Tit. XXX.
D[illegible] Cogna[illegible]. 3 [illegible]	*Capitis diminutio, status mutatio.* 7 [illegible]	*De patronorum tutela.* §. 1.	*Parentum tutela legitima.* §. 1.	*Tutela fiduciaria.* §. 1.	*Atiliana, Julia, Titia tutela.* §§. 7.	*Authoritas tutorum.* 3. [illegible]	*Finis tutelæ.* §§. 6.	*Curatores.* §§. 6.	*Satisdatio tutorum.* §§. 4.	*Excusatio tutorum.* §§ 20.	*Suspecti tutores.* §§. 12.				
S[illegible] testamento non sunt dati, succedunt agnati legitimi, frater ex eodem patre, patruus, amita, sed non amitæ filius; impediuntur tamen ne tutores esse possint agnati, capitis diminutione.	Status mutatio maxima, minor, minima. Prior est Civitatis & libertatis amissio. Secunda, Civitatis tantùm. Tertia, Civitate & libertate retenta status tantùm mutatio. Perit autem jus cognationis [illegible] & deportatione.	Legitimi libertorum & libertarum tutores sunt, patroni & eorum liberi; ubi enim successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet	Emancipatorum tutores sunt parentes	Emancipatorum tutores defunctis parentibus [illegible] parentum liberi virilis sexus fiduciarii, & debent esse perfectæ ætatis.	Deficiente tutore Romæ à Prætore dabatur tutor Atiliano, Julius verò & Titianus à præsidibus tutore ab hostibus capto dabat juxta legem Atilianam. Hodie tutores constituuntur à Magistratu; Episcopo, si pupilli facultates ad 500 solidos [illegible] rint, dantur usque ad perfectam ætatem	Authoritate tutoris opus est, quando pupillus promittit, contrahit. Hæreditatem quoque adire non possunt, nisi tutoris authoritate. Lite verò interveniente inter tutorem & pupillum, non valet authoritas tutoris, sed curator datur.	Finit tutela post 14. annum in masculis, 12 in fœminis, 2. Pupillo ab hostibus capto. 3. Conditione in testamento relicto. 3. Morte pupillorum. 5. Tutore ad certum tempus dato. 6. Tutore suspecto. Aut justa de causa se excusante	Dantur & curatores ab iisdem à quibus tutores. Dantur mente captis, cæcis, claudis, morbisque impeditis. Dantur in locum tutorum inhabilium.	Omnes tutores vel curatores satisdare coguntur, præter testamentarios & ex inquisitione datos. Quos inter unus potest administrare, si satisdationem offerat, si electus ad id sit. Si dissen[illegible] testamento ad id delegatus.	Excusantur tutores aut curatores propter liberos, fiscū, absentiam, propter litem inter pupillum, propter paupertatem. Ignorantiam. Ætatem decrepitam. Professionem artium. Propter falsas tamen allegationes non excusantur.	Suspe[illegible] esse possunt Romæ prætor, in Provincia præses, Legatus proconsulis, & quicunque tutelam non ex fide gerit, inde & infamis fit ob dolum, neque etiam postea tutus, administrare potest, donec judicium finiat.				
[illegible] substitutio. §§. 4.	*Pupillaris substitutio.* §§. 9.	*Infirmatio testamentorum.* §§ 8.	*Inofficiosum testamentum.* §§. 6.	*Hæredum qualitas & differentia.* §§. 7.	*Legata.* §§ 36.	*Ademptio legatorum.* §. 1.	*Lex Falcidia.* §§ 4.	*Fideicommissariæ hæreditates.* §§ 22.	*Res per Fideicommissum relictæ.* §§. 3.	*Codicilli.* §§ 3.					
[illegible] hæreditatem excusantibus, potest testator alios & alios substituere. Substitutus verò eandem partem [illegible] substituitur: Substituti [illegible] tertius, partem am[illegible] ambo o[illegible], habitu [illegible] S[illegible] verò substituti servi, dimi[illegible]	Si filius hæres impubes decederet, testator alium, & testamentum [illegible] filio impuberi facere potest, & liberis etiamsi puberibus mente tamen captis certas personas substituere; qui si tamen ad mentem redierint, substitutio cessabit. Masculis substituere potest testator usque ad 14. annum; fœminis ad 12.	Infirmantur testamenta, 1 Adoptione & arrogatione. 2. Irritatur testamentū primū posteriori jure perfecto. 3. Si ex eo nemo hæres extiterit. 4. Capitis diminutione. 5. Irritatur testamentum posterius nondum perfectum, verbis tantùm testatoris, se [illegible] ille superius valere. 6 Contra leges hæres non potest institui.	Inofficiosum testamentum est, in quo parentes sine causa se exhæredant, & sine gravi causa licitum non est, & cognati possunt querelam intentare, si tamen aliqua parenti relicta fuerit, querelam intentare non potest, sed usque ad quartam legitimè [illegible]dam agere potest.	Hæredes triplices sunt: alii necessarii; alii sui; alii extranei. Necessarius hæres est servus, qui liber post mortem domini necessarius fit hæres. Sui sunt & necessarii filius & filia. Extraneus est, qui testatoris juri non subditus hæreditatem quidem adit, si se pro hærede gerat, secus non.	Legatum est donatio a defuncto relicta, unde nulla inter legatum & fideicommissum differentia est. Possunt autem omnes res legari, tam corporales, quam incorporales; uti actiones & jura incertis etiam personis.	Possunt Legata adimi vel transferri in eodem testamento vel in codicillis.	Falcidia lex totum patrimonium legatis exhaurire & erogare prohibuit, sed usque ad quartam partem apud hæredes manere decedebat. Subductis debitis funeris impensis, & si forte plus quis, quam in bonis habebat, legasset.	In fideicommissis [illegible] tur, et fidelitate, non lege cogente hæreditatem totam vel partem il[illegible] etiam lege cogitur, fidei tamen commissi capax esse non potest, nisi hæres fuerit & adeundo [illegible] onera hæreditatis & defuncti actiones	Possunt singulæ res per fideicommissum relinqui ab hærede, à legatario, excepto legato. Verba in fideicommissis usitata sunt. Peto. Rogo. Mando. Fidei tuæ committo.	Codicilli sunt eorum quæ in testamento testatoris voluntati desunt, supplementum, & confirmantur testamento prius facto, & ante testamentum quoque si confirmentur. Codicillis tamen aut hæres institui, aut substitui, aut exhæredari potest. Testes Codicilli.					
[illegible] obligationis. [illegible] 4	*Verborum obligationes.* §§. 7.	*De reis stipulandi & promittendi.* §§ 2.	*Stipulatio servorum.* §§. 3.	*Divisio stipulationum.* §§. 4.	*Inutiles stipulationes.* §§ 27.	*Fidejussores.* §§ 8.	*Literarum Obligationes.* §. 1.	*Obligationes ex consensu.* §. 1.	*Emptio & Venditio.* §§. 5	*Locatio & Conductio.* §§. 6.	*Societas.* §§ 9.	*De Mandato.* §§. 13.	*De Obligationibus quasi ex contractu.* §§. 7.	*Acquisitio obligationis.* §§. 3.	*Sublatio obligationis.* §§. 4.
Contrahitur obligatio Primò. Vel ex mutui datione, quod consistit in rebus quæ numero pondere & mensura constant. 2. Si quis per errorem solvit. 3 Ex commodato. 4. Ex deposito. 5 Ex pignore	Et verborum obligatio, sive stipulatio vel interrogatione vel responsione. Verba solennia hujus olim erant Hodie constituuntur purè aut in diem, aut conditionatè; ut si stipuler quoad vivam, illa pura & perpetua est. Sub conditione, si ob causam aliquam differtur; vel si stipulatio [illegible] verbis, si intra [illegible] moriar hîc; si hoc vel illud fit, me facturum recipio	Duo pluresq; Rei stipulandi fieri possunt, si post omnium interrogationem promissor respondeat, utrique spondeo. Duo pluresque Rei promittendi fiunt, si stipulanti promissores singuli separatim spondeant.	Potest servus stipulari ex persona domini, vel hæres post dominum defunctum, possunt & liberi in rebus parentum, sed cum factum in stipulatione contineatur, servi tantùm, non domini persona spectanda est.	Quatuor genera stipulationum numerant. Judiciales. Prætoriæ. Conventionales. Communes. Judiciales à mero judicis officio pendent. Prætoriæ a prætoris pendent jurisdictione. Conventionales à voluntate contrahentium proficiscuntur. Communes tam prætoris quam judicis officio competunt.	Primò inutilis est stipulatio mortuorū. 2. Si stipulatio rei sacræ aut religiosæ [illegible] aut hominis liberi. 3 Si quis alium daturum facturumque quid, promiserit. 4 Si quis alii, cujus juri non est subjectus. 5. Si quis stipuletur decem; alius promittit quinque; alius pure; alius sub conditione. Mutique, surdi, furiosi, stipulatio inutilis est.	Fidejussores sunt, qui pro eo, qui promittit, obligantur, & adhiberi possunt in omnibus obligationibus & civilibus & naturalibus, ante & post contractum. Hujusmodi fidejussio [illegible] stipulationem præsupponit.	Si quis scripserit debere se, quod sibi datum aut numeratum non est, tunc literis contrahitur obligatio, atque potest ex [illegible] modi obligatione post biennium; intra hoc enim tempus opponit creditori pecuniæ non numeratæ exceptionem, vel ipsum creditorem in litem deducit.	Consensu contrahitur obligatio: Emptione. Venditione. Locatione. Conductione. Societate. Mandato. Quarum quædam solo consensu verbisque fiunt. Quædam verbis literisque & scripturis, quibus alter alteri obligatur.	Contrahitur emptio & venditio [illegible] atque de pretio [illegible] pars consentiat aut scripturis contectis subscripsit. Si quis verò pœnitet dato aliquid arrhæ nomine, tunc emptor [illegible] perdit, quod dedit. Si venditor, duplum præstare cogitur. Potest autem venditio pure & sub conditione contrahi.	Locatio & conductio eodem modo, quo emptio & venditio contrahuntur, si videlicet de mercede utraque pars conveniat. Si quis alicui prædium perpetuo fruendum pro certa annua pensione tradiderit, quodq; conductori hæredique ejus vendere liceat, hic vocatur contractus emphyteuticus, sive emphyteusis.	Inter socios contrahitur societas, aut totorum bonorum, id est, de universo patrimonio, aut unius alicujus negotiationis, quorū lucri & damni partes, si æquales contulerint sint æquales, si non pro rata portione contributæ pecuniæ.	Quinque modis contrahitur mandatum: aut enim mea solius gratia tibi mando; aut mea & tua; aut aliena tantum, aut mea & aliena: aut tua & aliena.	Illæ Obligationes quasi ex contractu sunt, quæ non propriè ex contractu descendunt. Daturque primò inter dominum rei gestæ, eum qui gessit. Secundo. Inter tutorem, & pupillum Tertio. Inter hæredem & Legatarium	Obligatio acquiritur: 1. Per nos ipsos 2. Per eos, qui in nostra potestate sunt 3 Per servos totum. 4. Per liberos usufructus tantum.	Obligatio tollitur: 1. Solutione. 2. Acceptilatione. 3. Novatione. 4. Contrario consensu.
Interdictiones. §§. 5.	*Pœnæ temere litigantium.* §§ 3.	*Officium Judicis.* §§. 7.	*Publica judicia.* §§. 6.												
Interdictorum olim varia erat divisio. Erant enim alia prohibitoria, alia exhibitoria, alia restitutoria. Prohibitoriis Prætor aliquid fieri vetat. Restitutoriis aliquid restitui mandat. Exhibitoriis aliquid exhiberi præcipit, ut rem occultam, [illegible] vim ad [illegible], [illegible] rendo, [illegible] de pe[illegible]	Pœnæ temere litigantium sunt, pecuniaria condemnatio, jurisjurandi religio, infamiæ metus. Jusjurandum defertur & reo & actori ad coercendam calumniam, & advocatis utriusque partis. [illegible] est solvere expensas & damna litis adversario.	Primo Judex debet observare, ne jura dicendo, aliter judicet, quam constitutionibus aut legibus receptum est Secundo, si contra actorem judicet, debet reum absolvere, vel [illegible] condemnare. Tertio Res controversas distribuere.	Publicum judicium est, quod cuivis ex populo plerumq; exequatur; quorum alia sunt capitalia, ut mors, metallum, deportatio. Alia non capitalia ut infamia. Unde natæ leges Lex Julia de ambitu. De repetundis. De annona Lex Cornelia, de sicariis, veneficis. Lex Fabia de plagiariis.												

Dicendum igitur, caſum fuiſſe fortuitum, & neutrum alteri quicquam debere, cùm uterque damnum paſſus ſit, hic aſini, ille naviculæ, merè per accidens, & minimè à cauſa per ſe. Atque hoc pacto omnes Juris caſus ſolves.

Verùm, ut Juris ſtudioſus majorem ex Arte noſtra capiat utilitatem; hîc Tabulam ſubjunximus combinatoriam totius Juris Civilis ſive Juſtinianei; qua unico intuitu, quicquid in eo tractatur, in Libros, Titulos, Paragraphos digeſtum comprehenditur. Si verò ſingulis propoſitionibus hîc propoſitis applicentur Artis noſtræ principia, eum brevi tempore & aſſiduo exercitio in conſummatum Juriſconſultum evaſurum nihil dubito. Ut vel hinc pateat, quantum Ars noſtra Magna, uti in hac facultate, ita in omnibus aliis, utilitatis & emolumenti conferat. Sit itaque

Pinax ſeu Tabula combinatoria, univerſi Juris Civilis Epitomen continens.

[Locus Tabulæ]

Explicatio Tabulæ, & uſus ejuſdem.

In prima Columna Librorum Codicis Juſtinianei ſumma continetur; In fronte Tituli uniuſcujuſque Libri; in Columna verò paragraphi cujuſvis, tituli ordine continentur, quæ univerſam Juris materiam elucidant. Si itaque deſideras ſcire, quid in paragraphis Tituli X. Libri I. contineatur; vide primæ Columnæ primi Libri diviſionem, deinde tranſverſim in eo progredere uſque ad Columnam, cui titulus eſt X. & in angulo communi invenies paragraphos tituli decimi, Libri primi quæſitos; haud ſecus in omnibus aliis procedes.

Uſus Tabulæ Juridicæ.

Eo autem fine à nobis hæc combinatoria Jurium Tabula condita eſt, ut hujus facultatis ſtudioſus ſtatim unico omnem juridicam materiem intuitu comprehenderet, ac qualemcunque ex titulorum ſerie depromptam Quæſtionem, ſtatim ſecundum Artis noſtræ principia reſolvere queat; dummodò ſtatum quæſtionis primò plenè intelligat, quod ex iis in unaquaque Columna titulis, ſubſcriptis argumentis intelliget. Totus itaquè, uti dixi, primus Inſtitutionum Juſtinianearum Liber in 26 titulos diviſus. Secundus verò Liber in 25. Tertius in 30. Quartus denique in 18. quemadmodum in Tabula apparet: Et ſinguli Libri ſuos titulos deſumunt ſecundum ſeriem & numerum titulorum in fronte Tabulæ deſcriptorum. Sed ut totam praxin uno atque altero exemplo explicemus.

PARADIGMA I.

Quæritur itaque: *Quid ſit Teſtamentum?* Reſpondeo, eſſe teſtationem mentis, qua teſtator declarat ultimam ſuam voluntatem circa hæreditatem ſucceſſoribus relinquendam; quam, ex Artis noſtræ 18 principiis, hiſce formulis deſcribimus.

Per { B., M., D., P., S., Vo., Vi., Ve., G. } Teſtamentum eſt

B.	Ultimæ voluntatis Teſtatoris declaratio; quæ fit circa diſpoſitionem *bonorum* in ſucceſſores ſanguine ei proximos hæredes transferendorum. Quæ etiam hac prima deſcriptione inintelligenda ſunt, de Teſtamento ab Inteſtato; in ſequentibus communes.
M.	*Extenſio* bonorum Teſtatoris in hæredes per ultimam voluntatem, ſive ſcripto, ſive dicto factam, & ſeptem teſtibus conſignata & ſubſcripta.
D.	Ultima de bonis diſpoſitiva *perpetuò* valitura voluntas.
P.	Teſtatoris efficax & *potens* irrefragabili lege conſtituta voluntas, quæ niſi aliud intervenerit, irritari non poteſt.
S.	Teſtatoris immutabilis & efficax *intentio*, ſcripto expreſſa, quâ legitimè conſtitutâ & manifeſtatâ hæres jus acquirit ad omnia in teſtamento contenta.
Vo.	*Voluntas* ultima Teſtatoris, qua de bonis ſuis poſt mortem relictis diſponit.
Vi.	*Virtus* legalis, qua bona Teſtatoris poſt mortem transferuntur in filios, qui ſi deſint, in proximos cognatos & affines; vel hiſce deficientibus, in quoſcunque alios.
Ve.	Lex *Veridica*, qua Teſtatoris intellectus fit conformis voluntati de bonis in hæredes, alioſve transferendis.
G.	Voluntas ultima, qua Teſtator curis omnibus ſepoſitis *quieſcit* in diſpoſitione bonorum.

In

Per:
- ☰. In testamento fit *separatio* & translatio bonorum à Testatore in hæredes aliosve; estque testamentum *legale, militare, œconomicum,* &c.
- ♡. Testamentum à Testibus ut plurimum septem *approbantibus* subscribitur & signatur.
- ○●. Testamentum *irritari* potest multis modis, exhæreditatione ob delicta enormia, vel aliis de causis in Tabula contentis.
- α. *Causa* cur Testamentorum ordinatio inter homines instituta sit, fuit voluntas *Principum* & Magistratuum, ad publicam salutem & pacem procurandam per leges & decreta manifestata.
- ⊙. *Media* ad testandum sunt, efficax Testatoris voluntas; testes verò ad approbandum illud.
- ω. *Finis* Testamenti est, ne bona Testatoris post mortem in incertum vagentur, & ad dissidiorum litiumque quæ inde consequerentur, evitationem.

Et sic de cæteris.

Unaquæque harum 18 Propositionum de Testamento adductarum, iterum per eadem principia ampliari potest, & per Quæstiones uberius discuti.

1. *An* testator quemlibet ad hæreditatem assumere possit, an solum sibi agnatione proximos?
2. *Quid* fiat, si decesserit quispiam sine testamento? cujusnam erunt bona? quis hæres futurus, si ab intestato?
3. *Cur* testamentorum ordinatio instituta sit, & in quem finem? juxta quadruplex causarum genus disponenda.
4. *Quantum* debeat esse testamentum; an privatum, an publicum, & qua solennitate? *Quotuplex* testamentum sit; ubi de civili, militari, &c.
5. *Quomodo* debeat institui testamentum; quibus testibus; quænam requirantur, ut legitimum sit? ubi de testibus, de approbationibus, & similibus.
6. *Quale* debeat esse; Quinam possint esse testatores: an furiosus, cæcus, surdus, mutus; an impuberes, mulieres, &c. quinam ad hæreditatem assumi possint & debeant?
7. *Ubi* testamentum confici possit; an locus certus præscribatur? Utrum & quomodo testamentum à milite confici possit, & ab uno in remotis regionibus constituto?
8. *Quando* testamentum & quo tempore condi possit; quando hæredes illud acceptare possint, & jus in illud habeant?
9. *De quibus* testamentum condi debeat; an de solis bonis temporalibus & corporeis, an & de incorporeis rebus, cujusmodi jura & privilegia sunt?
10. *Cum quibus* testamentum condatur? ubi de testibus, subscriptione, subsignatione & similibus fusus dabitur discurrendi campus. Quæ omnia ab Artis nostræ perito per 18 Principia deducta universalem de testamenti materia scientiam parient.

Atque hoc modo non tantùm de testamenti argumento ampliando immensam materiem congeres, sed & de quolibet titulorum in fronte positorum argumento, pari pacto cum immensa amplitudine discurrendi dabitur materia. Sed ne in infinitum opus crescat, hîc tantùm Tabulæ usum, modumque eam practicandi, tironibus Juris, paucis exhibendum duximus; donec quispiam Juris Professor Artis nostræ amator reperiatur, qui dicto modo & methodo omnes Tabulæ titulos & paragraphos fusiùs deducat.

PARADIGMA II.

Sit primus paragraphus Tituli primi Libri primi, *Quid sit Justitia?* resolvendus: sic procede.

Primò per Enneadem Erotematicam, sive novem modos quærendi, formalitatesque eorum, negotium facilè conficies, hoc pacto:

Pone ante te dictos novem modos quærendi cum formalitatibus earum, ut sequitur.

In Regula		Modalitas est
	Utrum	Existentia rei.
	Quid	Essentia.
	Cur	Formalitas.
	Quantum	Quantitas.
	Quomodo	Modus.
	Quale	Qualitas.
	Ubi	Locus, Localitas.
	Quando	Duratio seu temporalitas.
	Quibuscum de Quo	Instrumentalitas.

Juxta

Juxta haſce Modalitates ordine ſe ſequentes divides Juſtitiam, ita ut

Alia Juſtitia ſit
- Per ſe exiſtens, uti in DEO; alia in alio, ut in voluntate hominis.
- Eſſentialis, ut divina; alia accidentalis, ut humana.
- Formalis, eſtque habitus animæ; alia cæterarum *intellectualium* ſubſtantiarum.
- Quanta, comparata ad operationes animæ; alia ad corporeas partes comparata.
- Quæ modificat corpus, alia quæ modificat animam.
- Quoad qualitates facultatum tum intrinſecas, tum extrinſecas conſiderata.
- Localis, in Cœlo præmians bonos; alia inferior reprimens malos.
- Æterna in DEO; alia æviterna, in Angelis; alia temporalis, ut humana.
- Inſtrumentum corporeorum; alia inſtrumentum ſpiritualium.

Quæ omnia denuò per Regulas Quæſtionibus annexas dividi poſſunt; ut:

Alia Juſtitia eſt
- Neceſſaria, alia poſſibilis, alia impoſſibilis, alia contingens.
- Abſoluta & totalis, alia partialis eſſentialiter, alia habitualis, actualis alia.
- Primitiva, alia derivativa, alia poſſeſſiva.
- Formalis, alia finalis.
- Continua, alia diſcreta.

Per Regulam
- An.
- Quid.
- De Quo.
- Quare.
- Quantum.

Et hoc pacto progredieris per omnes Regulas, notando ſingulas diviſiones factas; juxta quas deinde definitiones Juſtitiæ auſpicaberis. V. G.

De Juſtitia exiſtente per ſe, ſeu divina, has dabis definitiones.

Per Regulam — Definies Juſtitiam exiſtentem per ſe, eſſe
- An — Ens neceſſarium exiſtens, tribuenſque unicuique quod ſuum eſt.
- Quid — Eſſentialem & liberam inclinationem tribuendi unicuique quod ſuum eſt.
- De quo — Primam originem & radicem, unde procedit Juſtitia creata.
- Cur — Formam ſimpliciſſimam, quæ unicuique quod debitum ei, tribuit.
- Quantum — Menſuram totius diſtributivæ & commutativæ juſtitiæ creatæ.
- Quale — Propriam inclinationem intrinſecam DEI, per quam unicuique quod ſuum eſt, tribuit.
- Quando — Habitualem & æternam perpetuamque voluntatem tribuendi unicuique quod ſuum eſt, id eſt, proportionatam perfectionem.
- Ubi — Ens, quod ubilibet diſtribuit debitum ſecundum merita & diſpoſitiones rerum.
- Quomodo — Id, quod modificat diſponitque res, ſecundum quod eis convenit.
- Quibuſcum — Inſtrumentum DEI intrinſecum operandi juſtè.

Hoc pacto procedes poſteà ad definitionem Juſtitiæ exiſtentis *in alio*, uti in voluntate hominis; deinde ad *formalis*, *materialis* &c. definitionem; & ſic de cæteris modis Juſtitiæ ſuprà deſcriptis.

Per ſpecies quoque Quæſtionis, *Utrum*; quæ ſunt, neceſſarium, poſſibile, impoſſibile, contingens: has definitiones dabis: De Juſtitia *V. G.* DEI exiſtente per ſe.

Per — Juſtitia DEI per ſe exiſtens, eſt Ens
- Neceſſarium. — Neceſſarium, quod liberè diſponit & judicat de omnibus.
- Poſſibile. — Cui ſoli eſt poſſibile omnia juſtè diſtribuere.
- Impoſſibile. — Cui non eſt impoſſibile etiam futura antequam exiſtant, ordinare.
- Contingens. — Quod omnibus contingentibus legem ponit.

Per ſpecies Regulæ Quid.	Eſſe ens abſolutum, quod liberè judicat & diſponit de omnibus.	
	Eſſe attributum, quod	
	Cum miſericordia miſericorditer Cum ſapientia ſapienter Cum fortitudine fortiter Cum libertate liberè	Concurrit ad judicandum.

Et hoc pacto procedendo per omnes & ſingulas ſpecies Regularum, innumeræ fient de juſtitia definitiones, quæ implicitè in ſe, quicquid in univerſo Juris corpore eſt, continent.

Diviſionibus & Definitionibus peractis, procedes ad modum demonſtrativum, per Quæſtiones examinando ſingulas; habebiſque ingentis libri titulos & capita de ſola Juſtitia exiſtente per ſe, ut interim taceam reliquas modales Juſtitiarum differentias in creatis. *Verb. Grat.* de Juſtitia Dei quæratur:

An in DEO detur Iuſtitia per ſe exiſtens? ℞. affirmativè: quia Juſtitia in Deo eſt ipſe Deus ſubſtantialiter; quod & per 18 principia, & per novem Quæſtiones, Speciesque regularum facilè, praxi ſæpè ſæpiùs tradita, oſtendes. Uti per ſpecies Quæſtionis, Utrum: *An Iuſtitia DEI neceſſaria, poſſibilis, impoſſibilis, contingens ſit?* Per ſpecies Regulæ, Quid; *Quid illa ſit in ſe, quid in alio; quid habeat in ſe, quid in alio?* Per ſpecies Regulæ, de quo; *Quid illa ſit privativè, derivativè, poſſeſſivè;* & ſic de cæteris; quæ omnia in Capite de Regulis tradidimus, habebiſque in ſola harum Regularum adductione 50 loca, per quæ Juſtitia Dei per ſe exiſtens probetur; ut interim, ſicut dixi, taceam reliquos Juſtitiæ modos ſuprà adductos.

Vides itaque Lector, quomodo Argumenta Juridica in præcedenti Tabula tractari queant: Quod enim nos de Juſtitia adduximus exemplum, juxta illud, quodlibet aliud thema ex Tabula depromptum, te facili negotio deſcripturum nihil dubito; atque adeò ſine tanta librorum farragine ſolùm Artis noſtræ præceptis inſiſtendo, omnes Juris difficultates enodare poſſis. Sed hæc paucula de Juriſprudentiæ ſpeciminibus ſufficiant.



ARTIS

ARTIS MAGNÆ SCIENDI, SIVE COMBINATORIÆ, LIBER NONUS,

Paradigmata FACULTATIS ASCETICÆ, *Theologiæ poſitivæ, & moralis exhibens.*

SECTIO I.

De Facultate Aſcetica.

CAPUT I.

De definitione Artis Aſceticæ.



Scetica facultas eſt habitus ſupernaturalis practicus ad ultimi finis conſecutionem ordinatus, ſeque ad Theologiam ſcholaſticam habet, ſicuti Logica ad Metaphyſicam, & paſſim prudentiæ, ſapientiæ, & eminentiſſimæ ſcientiæ nomine gaudet. Prudentia eſt, quia maximè in medijs intento fini neceſſariis ordinandis occupatur: Sapientia, quia circa res cauſaſque altiſſimas, nimirum circa DEUM finem ſupernaturalem omnium verſatur: Scientia, quia ſua principia partim à Theologia ſcholaſtica, partim ab Ethica deſumit & demonſtrat; verè & propriè dicta ſcientia ſcientiarum, juxta illud Sap. 10. dedit illi ſcientiam Sanctorum. Dicitur conſtans & perpetua voluntas operandi convenienter ſuo fini; quam ſic definimus: Facultas Aſcetica eſt ſcientia operandi convenienter ſuo fini ultimo. Cujus *Materiale* objectum eſt omne id, circa quod, ut fini ſupernaturali conveniens actio humana verſari poteſt, ſive in quantum Virtus conſideratur in Voluntate exiſtens: *Formale*, ipſa rei convenientia cum fine: *Finale*, ſummum & ultimatum bonum: *Efficiens* eſt vel Magiſter, vel ſupernus gratiæ divinæ influxus.

Quæ omnia per 18 Artis noſtræ principia ſcitè deduci poſſunt; V. Gr: Si quæratur, *utrum ſit habitus ſupernaturalis practicus, ad finis ultimi conſecutionem ordinatus?* ℞. Affirmativè, & probo id;

Per	B.	Quia	Ad summum *bonum* finaliter consequendum ordinatus est.
	M.		*Extendit* sese ad istud, quod omnium maximum est, & imprimis necessarium.
	D.		Versatur in operationibus ad *æternitatem* conducentibus.
	P.		Supernâ gratiâ adiutus *potest* illud attingere, quod viribus humanis negatum est.
	S.		A principiis & causis supernaturalibus immediatè dependet per *fidem*; & propriè scientiarum scientia est.
	Vo.		Animam avidam & *desideriis* plenam efficit ad summi boni assecutionem.
	Vi.		*Virtus* est omnium & eminentissima & maximè necessaria.
	Ve.		Circa æternæ *veritatis* rationes maximè versatur, ut in praxin deduci possit.
	G.		Hunc *finem* tandem, quem intendit, adipiscetur in gloriâ cum finali gratia decedens ex hâc vitâ.

Et sic de cæteris ordine principiis procedere poteris.

Necessitatem hujus scientiæ probare poteris ex ultimo fini oppositis.

B.	Quia, quicunque finem suum non assequitur,	Eum *miserrimum* esse, in confesso est.
B.		Eum ultimo & summo *bono* privari necesse est.
M.		Quicquid *magnum* & perhonorificum egerit in hoc Mundo, sine hoc frustaneum est.
D.		Ei omnis *tolerantia* & in adversis *duratio* infructuosa est.
P.		Ei omnis *potentia* vertitur in impotentiam.
Vo.		Is omni *spe* bonorum cœlestium excluditur.
Vi.		Si tradiderit corpus suum ita ut ardeat, si *virtutes* omnes exerceat, sine hoc fine nihil ipsi proderit.
Ve.		Si *veritates* omnes, scientias omnes calluerit, sine hoc nihil ipsi conducent.
G.		Si omnem Mundi *gloriam* possederit, miser, infelix, inglorius sine hoc semper manebit.

Si quæris, *Cur*?

☰	℞. Quia	*Separatur* à DEO summo & æterno bono.
♡		Omnem cum DEO *unionem* sine spe ulla perdit.
o-●		Omnia bona eidem in mala *commutantur* æterna.
α		*Principio* suo summo & infinito bono sine finali gratia restitui impossibile est.
⊙		Omnia ad summum bonum amplius consequendum *media* frustranea sunt.
ω		Aberrat à *fine*, ob quem conditus est, æternæque damnationi mancipatur.
M.	Unde	Omnis *majoritas* ei degenerat in minoritatem & infinitorum malorum abyssum.
Min.		Frustra natus est, frustra vixit, frustra pretioso filii DEI sanguine redemptus est, frustra omnia in hoc mundo peregit & operatus est.

Quomodò verò ab hisce omnibus liberari queamus, docet Ascetica. Ergo Scientia est omnium eminentissima, & maximè necessaria, quod erat ostendendum.

Occupatur itaque Ascetica tota circa *principium*, *medium*, & *finem*; quæ consistunt in (S.) Agnitione, (Vo.) Prosecutione, & (G.) Assecutione illius ultimi finis, qui quæritur.

Principium, quo effectivè movetur in finem, est cognitio nobilitatis & præstantiæ finis istius, sine quo nemo beatus esse potest; estque cognitio per fidem in promissis meritisque Christi & Sacra Scriptura fundata, quæ sunt principia supernaturalia, sine quibus illum attingere nemo potest.

Media, omnia, quæ existunt in rerum natura, esse possunt; cùm nihil sit adeò tenue & exiguum, quod non ipsius summi boni, quod quærimus, bonitatis quandam veluti particulam in se contineat; Invisibile enim illud bonum per ea, quæ facta sunt, conspicimus. Quæ omnia per 9 Subjecta universalia amplè & fusè deduci possunt, hoc pacto.

Media

Media ad finem ultimum conſequendum ſunt per	B.	Quicquid *bonitatiis* eſt	in △ ⊙ ☐ ...
	M.	Quicquid *magnum* & excellens eſt	
	D.	Quicquid eſſentiæ ſuæ ratione *durat.*	
	P.	Omnes *potentiæ* & facultates rerum.	
	S.	Omnes *ſcientiæ* & artes.	
	Vo.	Quicquid *appetibile* eſt.	
	Vi.	Omnes *virtutes* naturales, morales & ſupernaturales.	
	Ve.	Omnes *veritates* naturales & ſupernaturales.	
	G.	Omnia *gaudia* & voluptates media eſſe poſſunt ad finem conſequendum.	

Ex his bonis partialibus animus inardeſcit ad illud ſummum omnium bonorum aggregatione perfectum, in quo ſolo, & in nullo alio mens humana quieſcere poteſt; vel enim toto bono, vel nullo frui licet; quia nihil non totum, animum ſatiare poteſt, & perfectè ejus explere appetitum.

Media ad finem ultimum conſequendum ſunt per	☰	Omnia	Quæ nos *ſeparant* ab illicitis.
	♡		Virtutes, quæ nos DEO *uniunt.*
	⊸		*Adverſitates* & *contrarietates* patienter toleratæ.
	α		Quæ *cauſant* in nobis appetitum boni cœleſtis.
	⊙		Incrementa & *virtutum* ſtudia.
	ω		*Fines* ordinati indirecti & partiales.
	M.	Omnes	Quæ *magis* fini conveniunt.
	Æ.		*Proportionata* fini.
	Min.		*Mala*, defectus, miſeriæ, calamitates in hac vita mortali eſſe poſſunt media ad finis ultimi aſſecutionem; dum ex iis, quid ex malis vitandum, quid ex bonis ſeligendum ſit, cognoſcamus.

Dixi *hæc media eſſe ad finem*; Quia ex horum conſideratione mens humana tanquam per ſcalam quandam Jacobæam aſcendit ad ipſum ſummum bonorum omnium apicem, qui DEUS eſt; dum ejus infinitam Bonitatem. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. in omnibus & ſingulis rerum Creatarum ordinibus veluti in totidem ſpeculis reflexa conſiderat, ex quorum intuitu, tanquam ex veterno quodam ſuſcitata, incredibili deſiderio ad illum poſſidendum animatur, ob quem omnia illa condita ſunt; donec tandem vitâ benè & rectè juxta DEI beneplacitum tranſacta in hoc mundo, in altero tantoperè concupitum plenè poſſideat.

Ex quibus luculenter patet, felicitatem in nullo eorum, quæ in hoc Mundo tam anxiè quæruntur, conſiſtere; tametſi, uti paulò ante oſtendimus, omnia media eſſe poſſint ad finem congrua.

Nullum bonum terrenum & creatum nos felicitatis participes facere poſſe, neque felicitatem in iis conſiſtere, ſic probatur ex Artis noſtræ principiis.

Per B. 1. In eo, quod eſt tantùm apparenter & imperfectè *bonum*, felicitas conſiſtere non poteſt.
Omnia *bona* fortunæ, animi, & corporis ſunt tantùm apparenter & imperfectè bona. Ergo in iis non conſiſtit felicitas.
2. Quod hominem non ſimpliciter *perficit*, illa felicitas eſſe non poteſt.
Omnia bona temporalia, terrena, caduca, hominem non ſimpliciter perficiunt. Ergo.
3. Quod illicito modo obtineri poteſt, illud verum *bonum* eſſe non poteſt, & conſequenter nulla in eo felicitas.
Hoc fieri poteſt in omnibus bonis temporalibus & terrenis. Ergo.
4. Quod *bonis* & malis æquè bonum eſt, illud felicitatem adferre non poteſt.
Omnia fortunæ *bona*, bonis & malis æquè bona ſunt. Ergo.
5. Quicquid corpus tantùm interius exteriuſque *perficit* & ornat, per ſe verum bonum non eſt.
Tales ſunt pulchritudo & forma corporea. Ergo. Quia minimo accidente perit.
6. Quicquid modò exiſtit, modò perit, id nec *bonum* nec malum verum eſt.
Hoc præſtant omnia bona temporalia. Ergo.

Quæ & per oppoſita oſtendi poſſunt : *V. Gr.* Quicquid peccatum non eſt, id verum malum eſſe non poteſt. &c.

Per

M. Omnis magnitudo, excellentia & ſublimitas in quocumque genere rerum creatarum, felicitas eſſe non poteſt; quia mutationi obnoxia eſt, neque diu durat.

D. Quicquid non eſt *durabile*, id felicitatem dare non poteſt.
Longa vita cum bonorum temporalium affluentia non eſt durabilis. Ergo.
Quia varijs fortunæ caſibus ſubjecta eſt.

P. Omne quod timoribus, ſuſpicionibus, inquietudinibus animi obnoxium eſt, illud felicitatem conſtituere non poteſt.
Omnis *potentia* humana, dignitas, imperium, talia ſunt. Ergo.
Quia turbant mentem.

S. Omne quod *opinionibus* & difficultatibus implexum inquietat animum, id felicitatem conſtituere non poteſt.
Omnes *artes* & ſcientiæ hoc habent. Ergo.

Vo. Omne quod brutis æquè ac hominibus commune eſt, atque ob perturbationem mentis, indomitaſque paſſiones, quas cauſat, triſtes exitus ſortitur, id felicitatem conſtituere non poteſt.
Omnes Voluptates ſenſuales & Venereæ ſunt tales. Ergo.

Vi. Omne quod citò perit, & plerumque falſitas eſt, *Virtutis* ratione comparatum, id felicitatem non habet.
Talis eſt magnæ famæ acquiſitio. Ergo.
Quia fluxa eſt, & invidiæ obnoxia multorum.

Ve. Omne quod ex ſe & ſua natura fluxum, caducum, periturum eſt, id *veram* felicitatem conſtituere non poteſt.
Talia ſunt omnia bona hucuſque recenſita. Ergo.

G. Omne quod auferri poteſt, & ex ſe *inſtabile* & *inquietum*, mentis perpetua ſollicitudine perplexum, id felicitatem dare non poteſt.
Tales ſunt honores, divitiæ &c. Ergo.

Nulla itaque humana felicitas hominem ſalvare poteſt; Ergo non datur niſi felicitas illa ſupernaturalis, id eſt, ſummi boni fruitio, quam inquirimus.

Quia quodcumque ex bonis opinione hominum felicitatem conſtituentibus, aſſumpſeris, ſemper illa ſummis inquietudinibus, timoribus, inſidiis, vanitatibus obnoxia reperies; non enim dives ſatiatur divitiis, nec Reges regnis, nec Philoſophus appetitu ſciendi, nec ambitioſus honoribus, Venereus homo non ſatiatur libidinibus; quæ omnia uti animum in tranſverſum agunt, ſummiſque inſaniis ſubjiciunt, ita felicitatis nomine gloriari minimè poſſunt.

Sola itaque *beatitudo ſupernaturalis* hominis animum perfectè explere poteſt; ita ut quod deſideret, aut deſiderari amplius poſſit, non ſit. Hic eſt DEUS benedictus, α & ω. principium & finis omnium, interminum eſſentiæ pelagus, ipſum eſſe ſupereſſentiale omnium rerum quæ ſunt, & quæ non ſunt; extenſione immenſum & omni conceptibili magnitudinum, multitudinum, perfectionumque cumulo infinities majus, in ſe ab æterno, ex tempore in omnibus, omnia ſuſtentans, penetrans, comprehendens, excedens; immensâ bonitate ſummum, magnitudine omnem excedens capacitatem, duratione æternum, diffuſiſſimum ſimul & collectiſſimum, ſine principio, ſine limite, ſine menſura & modo; Omnipotens, ſapiens, omniſcium, appetibile ſummum & univerſale, virtus infinita, veritas & regula omnium, gloria æterna; DEUS triunus, Pater Filius & Spiritus Sanctus, primum & ultimum omnis actionis digniſſimum objectum.

Si itaque vis ſalvus & æternùm beatus eſſe, obſerva præcepta, juxta 18 Artis noſtræ principia diſpoſita.

B. Vitam *perfectam* & DEO beneplacitam in hac vita inſtituito.

M. Quicquid in mundo *magnum*, excellens, & apparenter bonum, tanquam caducum & tranſitorium magno animo contemnito.

D. In perfectionis ſtudio *perſeveranter* & continua vigilantia conſiſtito.

P. *Potentias* inordinatas ſenſuum omnium exteriorum interiorumque, quæ finem impediunt, mortificato.

S. *Intentionem* rectam in omnibus operibus tuis, in hunc finem unicè collimantem, indeclinabiliter formato.

Vo. Omnem

Vo. Omnem amorem & *desiderium* tuum in hunc summè expetendum finem conferto, omni mundano & carnali affectu excluso.

Vi. Perpetuo *virtutum* omnium, tam naturalium quàm supernaturalium, uti & orationis exercitio studiosè incumbito.

Ve. *Veritatum* æternarum rationes continuo mentis scrutinio expendito.

G. *Quietem* & tranquillitatem mentis, tam in prosperis quàm adversis perpetuò & imperturbabiliter conservato.

═ Ab omnibus quæ te ab hoc fine *separare* possunt, abstineto.

♡ *Unionem* animæ tuæ cum DEO per ferventes amoris actus & perpetuum orationis studium, sollicitâ mente quærito.

○● Omnia non mortalia tantùm, sed & venialia peccata fini consequendo *contraria*, omnibus viribus vitato.

α *Causas* & occasiones eorum, quæ fini obstant, peccatorum fuge; contra, principia ad finem hunc consequendum necessaria, cumprimis adaptato.

⊙ Omnia quæ in Mundo obvia comperiuntur, non bona tantùm, sed & mala, tibi ceu *media* quædam ad dictum finem applicato.

ω *Fines* non ultimum tantùm, sed & secundarios, & indirectos, uti finem ultimum respiciunt, ita ad illum omnes semper referto.

M. *Majores* te, Superiores & Præsides, omni, quo par est, honore, humiliter & obedienter reverere.

Æ. *Æquales* tibi proximos, uti teipsum amato.

Min. Omnes *defectus*, culpas, peccata, imperfectiones, veluti unicum ad felicitatem consequendam impedimentum fugito.

Atque in hisce consistit perfecta vitæ hominis ratio, qua ad intentam felicitatem eveharis.

Hæc autem tantò perfectiùs obtinebis, quantò ea per novem Subjecta Universalia fusiùs deduxeris.

△ *Sacramenta*, quæ sunt media necessaria ad finem, à Christo instituta, diligenter frequentato, uti unica salutis acquirendæ media, & ex meritis Christi valida.

Angelicam custodiam in hunc finem tibi assignat; unde *angelicas* Virtutes, amorem, puritatem, desiderium gloriæ divinæ, quantò sunt fini propinquiores, tantò eas ardentiùs imitator.

◎ *Cœlestium* corporum Btas. M. D. P. S. Vi. Ve. G. te ducent ad Btem. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. finis ultimi, in quo relucent.

□ Varietas *elementarium* operationum, earumque Btas. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. te docebunt ad quid condita sint, & quomodò iis uti debeas ad finem ultimum, in quo exprimuntur.

Ipsa admirabilis *humani* corporis structura, ex corpore & anima constituta, per mirificas operationes ac facultates te ducet tanquam per scalam ad id, quod quæris, summum bonum.

Ipsorum *animalium* quadruplex genus, quadrupedum, natatilium, volatilium, insectorumque genus, ad quid serviant, ad quid condita sint, & ad quid referri debeant, monstrant.

Vegetabilium quoque, plantarum, arborum, fruticum, herbarum innumerabilis varietas, eorumque intenta mentis consideratio ad ultimum te finem deducent.

Imò vel ipsa *inanimata* natura, uti sunt varia mineralium & metallorum genera, uti propter te condita sunt, ita & ad ultimum finem, qui in eorum B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. veluti in speculis quibusdam exprimitur, summoperè perpetua mentis reflexione considerantibus conferunt.

⁝⁝⁝ *Instrumenta* quoque & materialia, uti & diversitas accidentium tibi ingentem dabunt materiam, qua ad finem tandem perducaris.

Hæc omnia hucusque recensita, si per Quæstiones in propositiones reduxeris, earum nec finem nec numerum reperies. *V. G.* Si quæras: *Quid illa Beatitudo sit?* Respondeo sic:

Per B.

Per { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Est {

- B. Status omnium imaginabilium *bonorum* aggregatione perfectus, omnium malorum expers.
- M. *Cumulus* omnium *perfectionum*, quæ homini competere possunt.
- D. *Interminabilis* beatissimæ vitæ possessio.
- P. Omnium *potentiarum* & facultatum animæ, convenientiumque desiderorum satisfactio.
- S. Clara & ejusdem DEI, omniumque, quibus præditus est, perfectionum *cognitio.*
- Vo. *Amor* DEI ardentissimus, & nunquam interrumpenda summi DEI fruitio.
- Vi. *Virtutum* omnium consummata perfectio.
- Ve. *Veritatum* omnium in essentiali veritatis idea existentium perfecta notitia.
- G. Ineffabilis animi *voluptas* & *gaudium*, quod æternum duraturum ex summi Boni fruitione & possessione oritur.
- Similitudo DEI sive Θεομόρφωσις, qua similes ei erimus, quia eum videbis sicut est.

Post quæstionem *quid*, quæres: *quanta*, *qualis*, *quare*, *quomodo*, *ubi*, *quando*, *de quo*, illa sit beatitudo.

His finitis subjunges affectus admirationis divinæ Bonitatis. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.

Habes itaque paucis hîc totius Asceticæ Disciplinæ summam, Artis nostræ Regulis expressam. Quare nihil restat, nisi ut uno atque altero exemplo in particulari illam applicemus.

PARADIGMA ASCETICUM.

Quomodo Oratio rectè & cum fructu instituenda sit, Artis nostræ præcepta docebunt. Sic age.

Primò, juxta *quadruplex Causarum* genus, finalem, formalem, efficientem & materialem, illam examinabis. Et primò quidem *finalis* causa Orationis est DEUS; *formalis* est modus orandi & supplicandi DEO; *efficiens* est ipse supplicator; *materialis* sunt ipsæ orationes sive mentales, sive vocales.

Cùm itaque DEUS sit *finis* Orationis, facta priùs recta intentione & confidentia finis hujus, qui DEUS est B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. ad quem intentio dirigenda est.

B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. } Per {

- B. *Diffusionem* omnium potentiarum animæ.
- M. *Extensionem* desideriorum.
- D. *Perseverantiam* in Oratione.
- P. Assiduam *potentiarum* animæ applicationem.
- S. *Ordinationem* earum ad DEUM.
- Vo. *Affectus* & impulsus vehementes.
- Vi. *Virtutis* continuum exercitium.
- Ve. *Veritatum* æternarum investigationem.
- G. Conferendo omnia ad honorem & *gloriam* DEI; quæ exsuperant omnem sensum.

Ad causam *formalem* referuntur varii modi orandi, quorum *primus*, *Elevatio* mentis in DEUM dicitur, considerando ejus Bonitatem M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.

Secundus est, *Petitio*, quando petitur aliquid determinatè à DEO, ut fit in *Oratione Dominica* per septem petitiones; quam sic juxta Artis nostræ principia instituеs.

Pater noster, qui es in Cœlis. Quia Pater B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. es.

Sanctificetur nomen tuum. Sanctum. B. M. Æternum. Potens. S. Vo. Vi. Ve. G.

Fiat Voluntas tua. Sancta, excelsa, æterna, potens, sapiens, amabilis, virtuosa, vera, gloriosa.

Sicut in Cœlo & in terra.

Panem nostrum quotidianum {

- B. *Da nobis hodie.*
- M. Nutrimentum animæ & corporis.
- D. Panem vitæ æternæ.
- P. Panem efficacem ad operandum.
- S. Panem vitæ & intellectus.
- Vo. Panem appetibilem.
- Vi. Panem viribus ad nutriendum potentem.
- Ve. Panem verum, carnem tuam sacrosanctam.
- G. Panem arrham gloriæ æternæ.

Et di-

Et dimitte nobis debita noſtra, id eſt, peccata noſtra,	Odium, Puſillanimitatem & diffidentiam, Inconſtantiam in bono, Impotentiam, Incontinentiam, Ignorantiam, in tentationibus conſenſus, Voluntatem depravatam, Vitioſas affectiones, Falſitatem & dolum, Ambitioſam cupiditatem,	Contra	Bonitatem. Magnitudinem. Durationem. Potentiam. S. Vo. Vi. Ve. G.

Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Hæc petitio circa omnia uti verſatur, ita multiplici modo ea principiis noſtris applicari poteſt.

Et ne nos inducas in tentationem, divinæ	B[ti] M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	repugnantem.

Sed libera nos à malo. A malis omnibus B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. contrariis. *Amen.*

Tertius modus orandi eſt *Inſinuatio*, quando miſerias noſtras ipſi aperimus, ut per B. quam *amas*, informetur. Per M. quam tanto pretio *redemiſti*. D. quam continua tuà bonitate *conſervas*. Et ſic de cæteris.

Quartus modus eſt *Adjuratio* DEI; ut dum dicimus:

Per tuam	Bonitatem inexhauſtam, Immenſitatis incompre-henſibilitatem, Æternitatem, Omnipotentiam, Sapientiam,	Da nobis	Perfectionem animæ. Magnitudinem Virtutis. Perſeverantiam in bono. Potentiam ad reſiſtendum Satanæ. Intellectum ut ſciamus, quid deſit nobis.

Et ſic de cæteris.

Quintus modus, eſt *Gratiarum actio*, qua gratias agimus DEO, dicendo:

Gratias ago	Bonitati tuæ, quia infinita mihi beneficia contuliſti. Magnitudini tuæ, quia mihi feciſti magna. Durationi æternæ tuæ, quia me hucuſque conſervaſti in bono.

Et ſic de cæteris.

Simili modo, per cauſam *efficientem*, qui ipſe peccator eſt, Orationem tuam deduces. Examinando teipſum per ſingula principia Artis noſtræ, vel per oppoſita eorum: *V. G.* quam divinæ B[ti]. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. parum reſponderis.

Hoc finito, procedes ad cauſam *materialem* Orationis, quæ ſunt preces, & meditatio divinorum operum, attributorum, meritorumque Chriſti, per paſſionem ejus comparatorum; In harum rerum conſideratione pari modo, quem docuimus, progredere: applicando ſcilic. Attributis DEI & meritis paſſionique Chriſti, ſingula Artis principia: *V. Gr.*

Mors Chriſti in Cruce,	Quanta *bona* cauſaverit. Quanta & quàm *magna* beneficia mundo contulerit. Quomodo per eam à morte æterna *conſervati* ſimus. Quantam *poteſtatem* eâ contulerit hominibus. Quantam in ea *ſapientiam* oſtenderit. Quantum *amorem* per eam ingratis hominibus exhibuerit. Quantâ per eam *virtute* nobis præluxerit. Quantas *veritates* per eam mundum docuerit. Quantam gloriam denique hominibus per eam meruerit.	Per	B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.

Quoniam verò *Pœnitentia* in negotio salutis consequendæ est maximè necessarium medium, juxta illud Christi: *Pœnitentiam agite, quia appropinquavit* &c. Et; *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis:* Hoc loco, quomodo per Artis nostræ principia pœnitentiæ effectus & operationes paraphrasticè describi possint, ostendemus.

PARADIGMA II.

De Pœnitentia, quæ paraphrasticè sic describitur per Artis nostræ principia.

Pœnitentia est dolor de peccatis commissis, & omissis bonis, DEOque inde offenso.

B. *Bona* itaque est pœnitentia, quia excellentia bona in pœnitente operatur; ad DEUM enim lacrymarum effusione convertit illum, qui ab eo per peccatum aversus fuerat.

M. Illius haud dubiè *magna* & insignis bonitas est, cùm pœnitentia faciat Regni Cœlestis hæredem, & ex mancipio peccati filium DEI; ac proinde sequitur,

D. Bonitatem & magnitudinem pœnitentiæ esse *durabilem*; quia ejus effectus *æternùm* in Cœlis duraturi sunt, cum lætitia ineffabili, de pœnitentia pro peccatis in statu viæ peracta.

P. Unde patet, quàm in hoc sæculo peracta *potens* sit, ad tam inæstimabilis boni consecutionem; dum vitiorum impetus cohibet, pravarumque affectionum inclinationes reprimit; atque adeò hisce, coronam sibi in Cœlis pro merito comparat, omni pretio majorem.

S. Quis nescit *sapienter* pœnitentem agere, dum per conversionem ad DEUM, commutat mala æterna, quæ per aversionem à DEO incurrerat, in bona æterna, & nunquam interituram felicitatem.

Vo. Ut proinde vel ex hoc capite ab omnibus peccatoribus veluti sacra quædam anchora *appetenda* & amplexanda sit, cùm per hanc in filiorum Dei consortium admittantur, à malis perpetuis erepti.

Vi. Dum in hoc seculo tempestivè per *virtuosam* hanc perfectionem rectè semper operantur, donec ad præmium & desideratum brabeum pertingant in patria.

Ve. Et quia vias *veritatis* & justitiæ ostendit, hinc fideles semper indefessi sunt, in rebus ad obsequium divinum spectantibus promovendis; & cum lætitia cordis DEUM in Spiritu & veritate adorant, amant, eique serviunt.

G. Unde pœnitentiæ opus est *gloriâ* plenum, confert enim ad DEUM possidendum in gloria æterna; ubi absterget DEUS omnem lacrymam ab oculis eorum, labores exantlatos in ingens gloriæ pondus commutabit.

= *Differt* autem pœnitentia à reliquis virtutibus; in quantum hæc propriè de DEO propter peccata offenso dolet; reliquæ verò singulæ sua differentia objecta habent.

♡ Unde per dolorem illum animique contritionem, quæ divini amoris filia quædam est, strictissimam cum DEO unionem & concordiam efficit.

o● Et omnia, quæ perfectioni quovis modo *contraria* sunt, odit & detestatur, virtutum autem exercitium magno animo amplectitur.

α Ex quo nascitur veluti ex *principio* quodam magna bonorum operum progenies, quibus anima perficitur, Deoque accepta redditur.

⊙ Estque hoc, si quod aliud, potentissimum *medium*, quo fideles ad salutis portum appulsi gaudio perfruuntur æterno; quia animas ita disponit, ut omnibus illecebris deliciisque mundanis repudiatis, ad DEUM unicè dirigantur.

ω Hinc proximè præ cæteris virtutibus in DEUM tanquam ultimum finem tendit, quem sollicita mente & perfecta custodia sui ipsius in omnibus operationibus inquirit.

M. Et sicuti *major* in hoc, quàm in illo, pro majori divini amoriis ntensione reperitur, ita majorem quoque gloriæ coronam in vita æterna promeretur.

Æ. Pœnitentia meritò inde æstimanda, quod relicto mundanæ contagionis consortio; puritatisque animæ studio, *æquales* Angelis faciat.

Min. Dum *defectus*, peccata, culpas commissas, divini amoris flammâ perfectè consumat & destruat.

Videe

Vides itaque, quæ hucuſque de pœnitentia applicata ſunt ad Bonitatem, pari pacto, applicari poſſe reliquis ordine principiis, tam abſolutis quàm reſpectivis; per Magnitudinem exprimes ejus excellentiam; per Durationem, ingens donum perſeverantiæ; per P. magnam ad DEO ſe reconciliandum poteſtatem; per S. ingens intellectus lumen, quod pœnitentibus ex bonorum operum exercitio conſurgit; per Vo. ſummam pœnitentiæ amabilitatem, ob fructuum, qui inde promanant, dulcedinem; & ſic de virtute, veritate, gloria, differentia, concordia, contrarietate, principio, mediis neceſſariis, fine ultimo, majoritate, æqualitate minoritate, procedes; quæ ſi per regulas Artis noſtræ, in prima hujus Libri parte traditas, examines, ita ut ſingulis principiis quæſtiones de pœnitentia adaptes; certum eſt, inde ingentis voluminis argumentum mox emanaturum, ad omnia illa, quæ de pœnitentia concipi poſſunt, proſequenda; quæ ſi per Sacræ Scripturæ loca, Sanctorumque Patrum monumenta confirmentur, tantò majorem quoque tibi operis auſpicandi materiam præbebunt, unicumque promumcondum obtinebis, Aſceticis, concionatoribus, aliiſque verbi divini adminiſtratoribus, ad inexhauſtam materiam apertum. Hoc pacto omnia illa, quæ ad pœnitentiam quovis modo revocari poſſunt, diſtendes; Uti eſt Jejunium, ſive ad privatum virtutis exercitium, ſive ad commune Eccleſiæ præceptum obſervandum, inſtitutum, ingentem comparabis ad illud quam ampliſſime deducendum, materiem; dummodò juxta dati ſpeciminis exemplum veluti cum filo quodam Ariadnæo, progrediaris.

Atque hæc ad uſum Artis noſtræ in Aſcetica diſciplina demonſtrandum ſufficiant. Qui verò plura circa hoc tam laudabile argumentum deſiderat, is R. Patris Chriſtophori Schorreri per Germaniam Societatis noſtræ Aſſiſtentis Theologiam Aſceticam adeat, in quo eximio ſanè opere, quæcunque circa hanc materiam deſiderari poſſunt, piè, eruditè, copioſè & ſubtiliter deſcripta, & methodo omnibus numeris abſoluta, digeſta reperiet.

SECTIO II.

De Controverſiis Fidei.

CAPUT I.

De Fidei Principiis.

On eſt Articulus fidei adeo controverſus, qui non Arte noſtra ſcitè & eruditè contra Neotericos decidi poſſit. Sed demus unum atque alterum paradigma, ut ex iis quomodo in reliquis diſſolvendis procedendum ſit, patefiat.

Cum, Apoſtolo teſte, *ſine fide impoſſibile* ſit, *placere DEO*; Fides autem juxta eundem *una* ſit;

B.	Non	*Diffuſa* in varias ſectas.
M.		*Extenſa* in diverſa Religionum placita.
D.		*Inſtabilis.*
P.		*Potentum* hominum auctoritate nixa.
S.		*Intellectu* privatorum hominum fulta, aut ſupra propriæ conſcientiæ κριτήριον fundata.
Vo.		Pro *libitu* cujuſvis temerarii auſu introducta.
Vi.		*Habitibus* erroneis ſuffulta.
Ve.		*Falſis* opinionibus inſiſtens.

Sed ſuper infallibilem DEI revelantis auctoritatem fundata; quam per Sanctos nobis expoſuit, ejuſque verum & genuinum ſenſum unicæ in terris Eccleſiæ Catholicæ Orthodoxæ, cum infallibili Spiritus Sancti aſſiſtentia, explicandum tradidit.

Quicunque igitur unam Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam, Primatumque Sancti Petri, ejuſque in Sede Apoſtolica ſucceſſionem crediderit, ei nullum amplius de fidei controverſiis dubium, nulla in iis ritè intelligendis perplexitas oborietur, cùm ſemper ſeſe ad Eccleſiæ interpretationem remittat, damnando omnia, quæ ipſa damnat, credat, quæ credenda proponit, ſanctè ſibi perſuadendo, errare ſe non poſſe in eo, quod tam ſolidas & inconcuſſas veritatis & certitudinis radices in verbis & promiſſis Chriſti fundatas habet.

Talem autem Ecclesiam verè existere in terris, ex Artis nostræ Regulis sic deducitur; primò quidem Paraphrasticâ, posteà quoque Syllogisticâ methodo, more nobis usitato.

Primò. Per principia absoluta.

B. Si Ecclesia existit, Ergo DEI *bonitate* & voluntate existit; Dedeceret enim providentiam DEI, relinquere mundum sine illo bono, quo omnes salvare vult homines, quæ est Ecclesia, per quam omnes in viam salutis dirigit.

M. Quoniam verò DEUS *immensus* est, & magnitudinis suæ terminos non habeat, congruum omninò fuit, magnitudinem suam repræsentare, in veritate aliqua pura & perfecta animorum, qualis illa in Ecclesia orthodoxa; juxta illud Christi, *ut sint unum, sicut nos unum sumus*; & hanc durabilem esse, necesse est.

D. Sicuti enim in lege naturæ Ecclesiam esse voluit, eamque in lege scripta *conservavit* in Synagoga; ita & majori jure in lege gratiæ eam conservans, nullis eam voluit erroribus obnoxiam permanere, juxta illud: *Ego autem vobiscum sum, usque ad consummationem seculi*, & illud: *Ego autem pro te rogavi Patrem*, Petre, *ut non deficiat fides tua.*

P. Quoniam verò hæc Ecclesia consistere non poterat, nisi per caput visibile *gubernaretur*; ita in caput ejus Petrum Apostolum assumere sibi complacuit, & in Petro omnes in Sede ejus Successores, Pontifices & Pastores universales, quibus omnem ligandi solvendique potestatem tradidit: juxta illud: *Tu es Petrus:* Et illud Joannis 26. *Petre amas me; pasce oves meas.*

S. Præterea *Sapientiæ* DEI conveniebat, ut quemadmodum in Angelico mundo omnia Angelorum munia in Hierarchias distinxit, tum ad fines supernaturales soli DEO cognitos, tum ad mundi corporei administrationem; ita in mundo Ecclesiastico voluit Hierarchiam & Principatum; in quo divinæ Virtutes à supremo influxu primùm in hoc Caput Ecclesiæ, & ex hoc deinde in reliquos hierarchicos ordinum status, & hinc per universum Ecclesiæ corpus, singulaque membra derivarentur: juxta illud ad Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas; alios autem Pastores & Doctores ad confirmationem Sanctorum in ædificationem corporis Christi.* Quibus quidem diversorum ordinum status in Ecclesia eorumque authoritas luculenter comprobatur.

Vo. Deinde, quod Christus *vult* efficaciter, id necessariò fit, & quod non vult, non fit: Sed Christus voluit sibi Ecclesiam in terris, tanquam sponsam suam, inviolabili amoris nexu ita conjungere, ut ab ea ampliùs separari non posset; unde influxus bonorum omnium unà derivari necesse est, juxta illud ad Ephes. 4. *Ut crescamus in illo, qui est caput, Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam* &c. *in ædificationem sui in charitate.*

Vi. *Virtutes* quoque, quas DEUS seminat & imprimit in cujuscunque fidelis membri anima, non possunt radicari in ea, si non uniretur ei tali unitate Ecclesiæ.

Ve. Cùm Columna sit & firmamentum *veritatis*. 1. Timot. 3. in ea quoque veritatem veræ Religionis conservat puram, à principio usque ad finem.

G. Ut tandem DEI honor & *gloria* conservetur in hominibus, & per tales existentes in Ecclesia, humana natura in DEO, tanquam ultimo fine *conquiescat.*

Secundò. Per principia respectiva.

= Præterea fieri non potest, ut plures unà & *differentes* inter se sint universales Ecclesiæ: Cùm enim Spiritus Sanctus Ecclesiam regat; si plures essent differentesque, fidem quoque differentem esse, necesse foret, adeóque Spiritus Sanctus verum simul & falsum doceret, quod impossibile est; existit itaque Ecclesia DEI in terris una; tum ut differentia inter bonos & malos, quæ semper fuit in mundo, conservetur.

♡ Tum ut mundus ille inferior *uniatur* cum suo authore, sponsa cum sponso suo Christo, qui eam sibi per incarnationem desponsaverat.

○● Tum etiam, ut sint milites & servi DEI, qui pro ejus honore & gloria *contra* visibiles & invisibiles potestates indefectibiliter decertent.

α Est etiam Ecclesia DEI *principium* omnium bonorum, causa & òrigo divinorum charismatum, extra quam nulla salus esse potest.

⊙ Hæc enim est, quæ thesauros meritorum Christi dispensat, *media* ad salutem necessaria, scilicet Sacramenta, subministrat.

ω Qui uti est *finis* omnium, ita tanquam caput virtutem suam influit communitati hominum, & humanæ naturæ; quæ omnia cessarent, si Ecclesia non esset.

M. Neque

M. Neque enim humanæ naturæ *majus* beneficium concedi potuisset, quàm istud Ecclesiæ.

Æ. In hac enim per usum Sacramentorum in Ecclesia præscriptum, virtutum omnium perfectissima documenta, homines Angelis *adæquantur*, dum in eorum locum assumuntur, qui per peccatum felicitate sua exciderant.

Min. Si Ecclesia aut non existeret, aut *deficeret*, nulla foret regula vivendi, nulla conscientiæ dirigendæ ratio, nulla salutis via; atque adeò homo brutis infelicior foret.

Tertiò. Per Subjecta Universalia. Si præterea hunc discursum per 9 Subjecta Universalia deducere libuerit, ita procedes.

△ Si itaque quæras; *Cur Ecclesia* DEI *sit*?

℞. Ut sit unus cœtus, una in mundo fidelium hominum congregatio, DEI propria, in quam DEUS Opt. Max. gratiæ suæ dona influat, invisibili virtute eam gubernando, ut omnia & singula membra ejus per concatenatum influxum Christi in pastorem universalem primò, deinde per hunc in reliquos Ecclesiæ præsules, & tandem per hos in universorum fidelium cœtum aptè in spem vitæ æternæ per fidem disponatur.

Quemadmodum enim in *Angelorum* Hierarchiis, suprema per Chororum ordines illuminat mediam, hæc infimam; ita in Ecclesia esset Hierarchia sive sacer principatus in differentes ordinum status distributus, ut à summo capite per medios in infimos ordines virtutum divinarum influxus aptius distribueretur, atque hoc pacto, unà cum Angelico Mundo, DEO tandem fini omnium uniretur.

◎ Verè itaque Ecclesia DEI *Cœlum* dici potest, virtute sua influxiva animas fidelium fœcundans; Si enim Cœlum non esset, omnia inferiora perire necesse foret. Ita si non esset Ecclesia.

Iterum, sicut ex quatuor *Elementorum* combinatione omnium mixtorum origo emanat; ita sunt in Ecclesia quatuor Euangelia, quatuor virtutes Cardinales, quæ sunt veluti primaria quædam sanctarum operationum principia & instrumenta, cum quibus homines salutem suam operari possunt.

Atque ideò rectè dicitur, fidelium *hominum* congregatio in unitate fidei, per quam ipsi varia salutis media inquirunt, & per sanctas operationes DEO beneplacitas, participes fiunt donorum cœlestium, cum infallibili spe vitæ æternæ.

Quoniam verò DEUS sit invisibilis, & ab omni sensu quàm remotissimus; imprimit tamen quasdam sui veluti spirituales sensationes, per quas in *creaturis* ipsis sentiant Bonitatem M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. & per harum DEI perfectionum contemplationem conserventur in ejusdem obsequio.

Sicuti enim *arbor* aut *planta* attracto per radices alimento nutritur, augetur, & in convenientem tandem naturæ suæ statum deducitur: ita DEUS præter vitam naturalem & *vegetativam* vim, quam corporibus hominum inseruit, per gratiam quoque supernaturalem, Ecclesiæ communicatam, facit, ut continuò ager ejus divino charismatum imbre irrigetur, omnesque plantæ in eo insitæ per hujusmodi radices nutrimentum attrahant, quo vivant; vegetenturque in æternæ vitæ incrementum.

Sicuti iterum in *mixtis inanimatis* varia metallorum genera reperiuntur, quorum unum plus, alterum minus pretiosum est, quædam nullius pretii, venenosa quoque sint, omnia tamen ad divitias gloriæ DEI demonstrandas conspirant; ita in Ecclesia alii aliis sanctiores, alii sapientiores, juxta donorum suorum factam distributionem, mali quoque cum bonis permixti sint; omnes tamen in hoc conspirant, ut misericordia & justitia DEI inde luculentius appareat, essetque bonis malorum persecutio invictæ patientiæ materia, majorque meritorum cumulus.

Sunt enim hæc *instrumenta*, quibus cœlestes portæ aperiuntur, & ad triumphantem Ecclesiam aditus paratur.

Quartò. Per 9 Virtutes. Vides quomodo per paraphrasin, & quàm aptè qualecunque tandem thema assumptum per Artis nostræ principia deduci possit. Per novem quoque virtutes in Alphabeto propositas sic procedes.

Si Ecclesia non esset; non esset, cui DEUS per Justitiam tribueret præmium vitæ æternæ, neque esset, qui coërceret per justitiam vindicativam impetus delinquentium per varias censuras & excommunicationes, neque foret prudentia gubernandi subditos juxta leges à DEO præscriptas; Justitia. Prudentia.

Fortitudo. ſcriptas; neque eluceret fortitudo Martyrum, & conſtantia Confeſſorum; quibus Temperantia. deficientibus non foret temperantia in moribus, unoquoque vitam pro libitu ducente in corporeis voluptatibus.

Fides. Fides quoque ibi incerta foret, ubi nulla fidei regula, nullus controverſiarum exortarum judex; Spes. unde neque ſpes ulla, qua per fidem fideles in DEUM bonorumque promiſſorum beatam exſpectationem elevarentur. Charitas. Et hac deficiente, charitas omnis Patientia. refrigeſceret, nulla patientia, nulla Pietas. in DEUM hominesque pietas reperiretur; Sed contrà

Avaritia, rapina & omnium malorum illuvies Mundum deſtrueret.

Sicuti igitur per gulam protoplaſti Mundum perdiderunt, ita per temperantiam DEUS mundum reparare voluit, quæ non niſi in Eccleſia reperiretur; hoc enim pacto, quos delectationes corporeæ ſive Luxuria, à ſuo principio ſejunxerat, eoſdem delectationes animæ, quas in Eccleſia ſentiunt juſti, ad ſuum reduxerunt principium. Per humilitatem maximè in Eccleſia vigentem ſuperbiam deſtruxit mortalium, Unde cultus DEI veri & vivi emanat; per charitatem quoque, quam ex lege divina Eccleſia præſcribit, cohibet & compeſcit invidiam infidelium, membrorumque demortuorum & ab Eccleſia excluſorum, Hæreticorum, inquam, rabiem, dolos, mendacia & inconſtantiam compeſcit, & inſtar columnæ ferreæ ſeſe iis opponit. Ex quibus omnibus luce meridiana clariùs patet, in Mundo Eccleſiam exiſtere, qua DEUS & Mundum gubernet, ut tandem poſt legitima in Eccleſia peracta certamina, unusquiſque debitum ſibi æternæ vitæ præmium & brabeum conſequatur.

Vides hîc Lector, quot & quantis modis themata, qualiacunque tandem illa ſint, juxta propoſitum thema Paraphraſticæ Artis noſtræ methodo deduci queant; quorum omnium capita, ſi per Quæſtiones, earumque ſpecies ampliarentur, certum eſt, argumentum de Eccleſia propemodum in immenſum excurſurum. Quomodò verò ſub Syllogiſtica forma hæc quoque confirmari poſſit, Paradigma docebit L. 2. C. 8. propoſitum.

Sed jam alio modo, Eccleſiam DEI unam eſſe doceamus.

Per {

B. Eccleſia eſt *una*, ſicuti DEUS unus, unum baptiſma, una lex, una Religio; eſt Sancta, quia ſponſa Chriſti, per fidem & charitatem formata, ad omnis perfectionis & Sanctitatis culmen deducta, quod & innumeri teſtantur Sancti, qui nullo non tempore in Eccleſia floruerunt.

M. Eſt *Catholica* ſive *univerſalis*, per Apoſtolos & Euangelicos prædicatores totum diſtenſa per orbem, juxta illud: *In omnem terram exivit ſonus eorum.*

D. Eſt *firma*, indeficiens, & uſque ad conſummationem Mundi *durans*; juxta illud Chriſti: *Ego autem pro te rogavi Patrem, ut non deficiat fides tua.* Et, *Ego ſemper vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.*

P. Eſt *potens*, valida, inconcuſſa; juxta illud Chriſti: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.*

S. Eſt *Sapientiæ* magiſtra; juxta illud Chriſti: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere adverſarii.*

Vo. Eſt unionis & *amoris* conciliatrix, dum omnes per unitatem fidei in charitate perfecta ligat.

Vi. Eſt *virtutis* Magiſtra, quia in ea ſola veræ perfectionis Schola aperitur.

Ve. Eſt infallibilis *veritatis* Magiſtra; quia ex promiſſis Chriſti & aſſiſtentia Spiritus Sancti perpetuò regitur & gubernatur; juxta illud: *Ego alium paracletum mittam, qui docebit vos omnem veritatem:* &, *quidquid ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* &c.

G. Quæ ſola regiam viam omnibus ad æternæ vitæ *gloriam* aperit.

}

Per =

⥱ Si ergo Eccleſia una eſt, impoſſibile eſt, ut ſint Eccleſiæ *diverſæ*, quod ita oſtendo:

Si Eccleſia uti eſt congregatio fidelium eandem fidem profitentium, diverſa eſt, diverſam quoque fidem eſſe neceſſe eſt; Si non diverſa; Ergo habemus, quod intendimus, unam Eccleſiam, unam fidem. Ergo omnium hæreticorum Eccleſiæ cum Eccleſia concordabunt; ergo eadem omnium fides. Hoc autem dici non poteſt, cùm omne ſchiſma ab Eccleſia apoſtaticum, uti diverſam fidem, ita & Eccleſiam arguat; diverſæ enim formæ diverſum dant eſſe rei. Sed una eſt, ut ſupra oſtenſum; ergo non diverſa.

Per ♡ Eccleſia *unum* corpus eſt, cujus fideles membra ſunt, & Chriſtus caput; Si unum corpus, ergo una forma & anima una; unitas enim totius ab anima eſt, ergo una fides, quæ totum hoc conſtituit; Si ergo diverſa fides, diverſa forma eſt, diverſum igitur eſſe, diverſum corpus arguit, atque adeò diverſam Eccleſiam; ergo ubi eſt diverſa fides, eadem Eccleſia eſſe non poteſt.

⚯ Quare ſicuti ex unitate fidei unitas Eccleſiæ colligitur, ita ex *contrario* ejus, videlicet ex diverſitate fidei, diverſitatem Eccleſiæ reſultare neceſſe eſt; Si enim eadem fides non eſt, neque erit mutua charitas; ſi non eſt mutua charitas, neque erit conſenſio voluntatum, quam charitas conciliat; ſi non eſt voluntatum conſenſus, neque unitas; cum quiſquis veram fidem non habet, cum DEO, à cujus veritate diſſentit, neque conjungi, neque uniri poſſit. Sed eſt in Eccleſia unitas, conſenſus voluntatum, mutua charitas, eadem fides, ergo una & eadem Eccleſia.

α *Cauſa* Schiſmatis ab Eccleſia eſt error intellectûs, quo quiſpiam ex propria mentis obſtinatione & pertinacia proprium judicium præfert Eccleſiæ, & conſequenter plus ſibi quàm DEO per Eccleſiam credit. Quæ quidem fides ab Ethnicorum fide non differt, juxta illud Chriſti: *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Unde deducitur, omnem aliam Eccleſiam à vera Eccleſia per ſchiſma & apoſtaſiam derivatam, omninò erroneam eſſe. Quare ſic argumentor.

Ubi error eſt, ibi vera Eccleſia eſſe non poteſt.

In omni Eccleſia (præterquam Catholica & Apoſtolica) manifeſti & diſcrepantes errores ſunt.

Ergo talis Eccleſia, qualiſcunque tandem illa ſit, vera eſſe non poteſt.

Major probatur. Ubicunque eſt manifeſta opinionum diſcrepantia, ibi errores reperiri neceſſe eſt.

Hoc fit in omni Eccleſia à vera Eccleſia Catholica abſciſſa. Ergo.

Quæ per inductionem facilè probari poterunt.

Fieri enim non poteſt, ut quod diſcrepat, non diſcrepet ratione veri & falſi; Ubi itaque diſcrepantia eſt, ibi vera fides eſſe non poteſt; Cùm fides ſit vera, certa, & infallibilis, de quâ ſi vel minimum dubites, non jam fidem ſed opinionem paries, cujusmodi eſt fides Acatholicorum; Sola ergo Eccleſia Catholica & Apoſtolica, uti infallibili Spiritus Sancti aſſiſtentiâ perpetuò regitur, ita errare quoque non poteſt.

Si enim Eccleſia erraret, dùm fidei quæſtiones decidit, totius iſtiuſmodi erroris vitium Chriſto imputandum foret, quod impium eſſet aſſerere. Dicit Chriſtus ad Petrum: *Tu es Petra, & ſupra hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, quis de promiſſionis Chriſti defectu dubitabit? Petrus dominicum gregem, & in Petro omnes ejus ſucceſſores, paſcere jubentur; non paſcere autem oves, ſed interimere dici poſſet, ſi ſub promiſſis Chriſti dolus aut error ſubeſſet. Eccleſia itaque Catholica errare non poteſt. Unde

Per ⊙ Sola Eccleſia Catholica, media ad vitam æternam conſequendam per *Caput* ejus inviſibile in cœlo, & in terris per viſibile, vicarium ejus, ſubminiſtrat.

ω Et ad finem illum ultimum, quæ eſt hominum glorificatio, dirigit.

M. Æ. Min. Ita quidem, ut *majora* merita, majorem gloriam, æqualia *æqualem*, *minora* minorem gloriam conferant.

Reſtat, ut ad controverſias magis particulares deſcendamus, ut quomodo eæ ex Artis noſtræ præceptis decidi valeant, pateſiat.

CAPUT II.

De Purgatorio.

Quæritur: *Utrum Purgatorium verè existat?* ℞. Affirmat. idque juxta Artis noſtræ regulas per contextum Scripturæ ſic oſtendo.

B. A convenientia ſic argumentor.

Si ultra Regnum cœlorum & infernum datur aliquis tertius locus, receptaculum animarum purgandarum, is erit purgatorium.

Sed datur tertius aliquis locus. Ergo datur purgatorium.

M. A *magnitudine* rationum convincentium ſic argumentor.

Si datur locus purgandis à peccatis poſt mortem animabus deſtinatus, is erit haud dubiè purgatorium.

Sed datur talis locus. Ergo.

Minor probatur ex Iſaia c. 4. *Abluet Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Jeruſalem levabit de medio ejus in Spiritu judicii & in Spiritu ardoris.* Ubi per *(in Spiritu ardoris)* ignem purgatorii ſcitè exponit S.Aug. l.20. de Civ. c.25. Quod & confirmari poteſt ex illo Malachiæ c. 3. *Sedebit conflans & emundans argentum & purgabit filios Levi.* Ubi citato loco expreſsè dicit S.Aug. intelligi purgatorium.

D. A continuata & ſucceſſiva traditione, quæ à primordiis Eccleſiæ ad hoc uſq; tempus *durat* & perſeverat. Eſt autem traditio Verbum DEI non ſcriptum, ſed oretenus ſucceſſivè traditum: cujus tanta in Eccleſia nullo non tempore fuit authoritas, ut D. Aug. rectè aſſerat, ejuſdem cum Verbo DEI ſcripto veritatis eſſe, ſufficereque ſolam traditionem de aliquo Articulo fidei, quod in Sacris Literis explicitè is non contineatur; eſtque communis Sanctorum Patrum doctrina; Nam ut rectè D. Joannes dicit, *multa eſſe ſcripta, quæ in Euangelio non continentur*; & multa accepiſſe Apoſtolos ex privata inſtructione Chriſti, quæ uti in Verbo DEI ſcripto non continentur, ita eadem approbare ſolius eſt Eccleſiæ. Purgatorium itaque eſſe, ex continuata traditione conciliorumque decretis approbata conſtat.

P. A *poteſtate* & efficacia verborum Chriſti: *Quicunque dixerit malum contra filium hominis, remittetur ei, qui verò contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro ſæculo.* Unde ſic argumentor.

Si datur peccatum aliquod adeò grave, ut ejus remiſſio in futuro ſæculo obtineri non poſſit, dabitur ergo peccatum aliquod minus grave, cujus in futuro ſæculo remiſſio detur; unde illud jure merito D. Aug. l. 21. de Civit. c.24. S.Gregorius quoque & Bernardus per illud, Purgatorium intelligi debere, enunciant: Si enim ſenſu dicto id non intelligendum ſit, cur hoc Chriſtus dixit?

S. Ex ſenſu & *intelligentia* Sacræ Scripturæ: Uti habetur Machab. 2. c. 12. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis ſolvantur.* Unde ſic arguo:

Si ſalubris & ſancta ſit cogitatio orare pro defunctis, ut à peccatis ſolvantur, dabitur ergo locus aliquis poſt mortem, in quo detentæ animæ à peccatis per vivorum ſuffragia purgari poſſint, & expurgatæ ſalutem æternam conſequi. Sed is certè alius eſſe non poteſt, niſi purgatorius ignis; non cœlum, cùm animæ beatæ jam à peccatis abſolutæ finem ſuum conſecutæ ſint; non infernus; quia ex inferno nulla eſt redemptio: Ergo dabitur tertius ille locus, quem diximus, purgatorius videlicet ignis, in quo piorum ſuffragiis adjutæ animæ à peccatis ſolvi poſſint.

Hæretici dum huic loco contradicere non poſſunt, tanquam perverſæ eorum opinioni prorſus contrario; potius univerſum Machabæorum Librum tanquam non Canonicum expungendum cenſuerunt, quàm ex tam claro teſtimonio ſuæ opinionis detrimentum ſuſtinere. Liber Machabæorum Canonicus eſt & ſemper fuit. Quare? Quia authoritate Eccleſiæ inter Canonicos fuit annumeratus & tanquam Canonicus approbatus; neque enim ulli Sacræ Scripturæ Libro fides habenda eſſet, niſi fides in eâ contenta ab Eccleſia fuiſſet approbata.

Vo. A *conſenſu* omnium Sanctorum Patrum & quatuor Conciliorum, qui id unanimi conſpiratione aſſeruerunt, & inter articulos fidei annumerarunt.

Ve. A *veritate*, qua Eccleſia in definiendis articulis fidei utitur infallibili; quod enim illa definit, illud falſum eſſe non poteſt. Sed purgatorium definit. Ergo veriſſimum eſt.

G. Ex *fine*, quo id à DEO conſtitutum eſt. His itaque deductis, procedo ad principia reſpectiva, ex quibus purgatorii veritatem facilè concludo, hoc pacto.

Si

⚌. Si datur in ſcriptura diſtinctio inter peccatum mortale & veniale, purgatorium dari neceſſe eſt. Sed hæc datur in Sacra Scriptura. Ergo.

Minor probatur. Quia tribus modis aliquis è vita diſcedere poteſt: vel ſine peccato mortali & veniali; & hic ſtatim finem ſuum aſſequitur ad gloriam admiſſus; vel utroque gravatus; & hic jam judicatus eſt, utpotè æternæ damnationi traditus, ſine ulla ſpe remiſſionis peccati; vel denique ſine peccato quidem mortali, quoad culpam, non tamen veniali, vel mortali quoad pœnam; atque huic debetur purgatorium, ut à peccatis purgatus gloriam obtineat. Cùm enim teſte Divo Joanne, Apoc. 21. *Nil coinquinatum in cœleſtem illam Hieruſalem ingredi poſſit.* Ubi hic ergo purgabitur? non in inferno, in quo nulla eſt redemptio; neque iniquitas gloriam ingredi poteſt; Ergo tertius aliquis locus aſſignari debet, in quo tantiſper detentus morabitur, quouſque plenè purgatus, conſpectûs divini particeps fieri poſſit. Veniale autem peccatum dari, ex illo Chriſti colligitur, Luc. 6. *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?* Ubi per trabem intelligitur peccatum mortale, veniale verò per feſtucam; Quod & oſtendi poteſt ex illo Matth. 5. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio; qui dixerit raca, reus erit conſilio, qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ubi Chriſtus diſtinguit peccata quædam, quæ, uti venialia, non ſunt digna gehennâ ignis; ſed judicio tantum & conſilio. Quædam vero, uti mortalia, digna ſunt gehennâ ignis, quia in Chriſti dicto tantum expendendum eſt, qua pœnâ peccata digna ſint, ſi enim venialia forent mortalia, ea fruſtra adducerentur in judicium, cum jam ea protulit rea eſſe gehennæ ignis. Si verò venialia, jam pœna remiſſibilis & proportionata illis infligenda præſcribitur, quod non fieret, ſi mortalia eſſent. Ergo non omnia peccata ſunt mortalia; ſed quædam tantùm venialia quæ remitti poſſunt poſt ſatisfactionem temporalem. Ergo datur purgatorium.

Iterum. Si inter pœnam temporalem, & culpam diſtinctio datur in Sacra Scriptura, purgatorium dari neceſſe eſt.

Sed datur in Scriptura diſtinctio inter pœnam temporalem & culpam. Ergo.

Major probatur. Quia hoc pacto tribus modis homines poſſunt è vita migrare: vel ſine culpa, & pœna temporalis debiti, & his debetur Cœlum; vel & cum debito pœnæ, & culpa mortali, & his debetur infernus; Vel denique ſine culpa, ſed cum debito pœnæ temporalis, & his quinam debetur locus? Certe nullus, niſi purgatorium.

Si enim dicas, tales ſtatim ſine ulla ſatisfactione prævia cœlum ſubire, læditur divina juſtitia, idem tribuens his, qui cum ſatisfactione, & iis, qui ſine ſatisfactione debita ultimum diem obierunt.

Si verò dicas, eos detrudi in infernum, DEUS crudelitatis arguetur, quod eodem ſupplicio tam dignos, quàm non dignos inferno puniat. Dabitur igitur tertius aliquis locus, quem nos purgatorium dicimus. Patet autem vel ex ipſis Sacris literis; quia etiamſi culpa remiſſa ſit, pœnam tamen non remitti, ſine debita ſatisfactione; uti patet in pœnâ temporali Adamo & Evæ inflicta: *In ſudore vultus* &c. &, *in dolore paries filios*: DEUS quoque caſtigavit quidem peccatum Davidis; pœnam tamen temporalem illi inflixit, morte pueri, & graviſſima peſtilentia urbem devaſtante, uti habetur *l. 4. Reg. c.* 12.

Plura hoc loco adduci poſſent argumenta ex ♡. ɔ. ⊙. ω. M. Æ. Min. deſumenda, quia tamen hæc in dictis continentur, ea omittenda duxi.

Reſtant *Hæreticorum objectiones* nonnullæ, quas tamen *una diſtinctione* ad unam omnes diſſolves.

Sic autem *objiciunt*: Dantur poſt mortem ſolum aut cœlum, aut infernus. Ergo nullus intermedius locus, qui purgatorium dicitur. Probatur Antecedens ex illo S. Pauli ad Corinth. 5. *Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra diſſolvatur, quod ædificationem habeamus à* DEO *domum non manufactam, ſed æternam in cœlis.* Ergo Juſti poſt mortem ſtatim ſine ulla alia mora cœlum intrabunt. Ergo non datur purgatorium.

Secundò, Ex illo Eccleſiaſtici cap. 11. *Quocunque ceciderit lignum, ſive ad Auſtrum, ſive ad Aquilonem ceciderit, ibi erit.* Per Auſtrum hîc intelligitur cœlum; per Aquilonem infernus; Ergo nullus locus tertius hic datur; ergo nullum purgatorium.

Tertiò ex illo Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*; ubi beati jubentur ire in cœlum, reprobi in ignem æternum. Sed hic non datur tertius locus. Ergo nullum purgatorium.

Omnes haſce objectiones nulla difficultate ſolves vel unica diſtinctione. Ad *primum* Divi Pauli: poſt diſſolutionem corporis habemus domum non manufactam, ſed æternam in cœlis: in iis qui ſine culpa & pœnæ debito diſceſſerunt, concedo. In iis, qui culpâ dimiſsâ pœnam adhuc

temporalem debent, ſtatim & immediatè habebitur domus in Cœlis; Nego.

Ad *Secundum*: Quocunque lignum ceciderit, ſive ad Auſtrum, ſive ad Aquilonem ceciderit; in Juſtis ſine culpa & pœnæ debito diſcedentibus, concedo; in iis qui pœnæ debitum adhuc habent, Cœlum ſubeuntibus immediatè, nego.

Ad *Tertium*. Ite maledicti in ignem æternum; & venite benedicti Patris mei, poſſidete &c. hîc dantur duo tantùm loca, Cœlum & infernus; ergo nullum purgatorium. ℞. duo tantùm dari loca poſt Judicium & pronunciatam ſententiam, concedo. Ante Judicium, nego.

Atque hoc pacto, omnes quovis modo ab Hæreticis propoſitæ objectiones diſſolvi poſſunt. Sed hæc de Controverſiis per Artem noſtram dirimendis ſufficiant; Quare ad alia.

SECTIO III.

Rhetorica.

CAPUT I.

De Arte Rhetorica principiis noſtris applicanda.

RHetorica eſt Ars ſeu Doctrina aptè, diſtinctè & ornatè de quacunque re propoſita dicendi.

Dividitur in *Principia*, *Quæſtiones* & *Subjecta* & applicationem; & ſic eſt Ars univerſalis, quæ verſatur circa omnia, *teſte Ariſtotele* 1. *Rhet. & Cic. ad Herenn.* Cujus eximiam dignitatem utilitatemque juxta principia noſtra ita deſcribimus.

B. Quid enim *pulchrius* eſſe poteſt, quàm mentes hominum per ornatam concinnatamque orationem, verbiſque ad perſuadendum aptis, ad honeſti *bonique* amorem incitare?

M. Quid excellentiùs *grandiuſque* eſſe poteſt, quàm Auditores ad arduarum magnarumque rerum ſuſceptionem, verborum vi adigere?

D. Quid efficacius illâ, quæ tam altas *firmaſque* radices in animis hominum conſervat?

P. Quid *potentius*, quàm hominum animos ſapientibus ſententiis gravibuſque verbis ornata oratione & perpolita permovere?

S. Oratoris eſt in dando *Conſilio* de maximis rebus cum dignitate explicata ſententia differere.

Vo. Quis verò *cupiditates* vehementius frangere accuſando poteſt, mœroremque levare mitius conſolando?

Vi. Quid ad *virtutem* cohortari ardentiùs? quis à vitiis acriùs revocare; vituperare improbos aſperiùs, bonos laudare ornatiùs poteſt?

Ve. Quis *veritatem* aſſumptorum thematum exactiùs tuetur?

G. Unde Oratores eximii nullo non tempore ingentem ſibi *gloriam* nominiſque exiſtimationem pepererunt.

Verſatur autem Rhetorica circa triplex genus;	*Demonſtrativum*,	Et continet in ſe	Laudem & vituperationem.
	Deliberativum,		Suaſionem & diſſuaſionem.
	Judiciale,		Accuſationem & defenſionem.

Sunt autem quinque partes Eloquentiæ: *Inventio*, *Diſpoſitio*, *Elocutio*, *Memoria*, *Pronunciatio*.

Oportet enim primùm invenire quid dicas, inventa diſponere, deinde ornare verbis, poſt memoriæ mandare, tunc ad extremum agere.

Inventio eſt excogitatio rerum verarum aut veriſimilium, quæ quæſtionem probabilem reddunt.

Diſpoſitio eſt rerum inventarum in ordinem diſtributio.

Elocutio idoneorum verborum & ſententiarum ad inventionem accommodatio.

Memoria eſt firma orationis perceptio.

Pronunciatio eſt rerum & verborum dignitate corporis & vocis moderatio.

Partes

Partes Orationis ſunt quinque: *Exordium*, *Narratio*, *Propoſitio*, *Argumentatio*, *Concluſio*.

Exordium eſt principium Orationis, quo animus Auditoris paratur ad audiendum; quove homines attenti, dociles & benevoli redduntur.
Narratio debet eſſe lucida, veriſimilis, & brevis.
Propoſitio fit per expoſitionem vel enarrationem partium Orationis.
Argumentatio confirmat & reprehendit.
Concluſio debet efficaciores Orationis locos repetere, & paucis ſub quodam veluti Epilogo dicta revocare.

Hiſce præmiſſis jam ad praxin accedamus; Et primò quidem, ſi circa Demonſtrativum genus verſeris, cujus finis vel laus eſt, vel vituperium.

Quæ tribus rebus comparantur, videlicet:

Ex rebus	*Animi.*	Animi bona ſunt, uſus mentis, acumen ingenii, memoriæ, virtutes.
	Corporis.	Corporis bona ſunt, pulchritudo, ſanitas, robur, dexteritas, mundities &c.
	Externis.	Quæ ſunt, divitiæ, honores, dignitates, potentia &c.

Ex quibus magna laudandi materia reſultat; ſicuti econtra ex contrariis oppoſitiſque hiſce bonis, vituperandi occaſio. Demonſtrativum itaque genus deduci poteſt juxta ſeriem principiorum noſtrorum; unde triplex bonorum genus: *Animi*, *Corporis*, *Externorum*.

B. *Bonitas* animi, Virtus. Bonitas corporis, pulchritudo; & bonitas externa, divitiarum atque opum poſſeſſio.
M. *Magnitudo* animi, Magnanimitas, & audacia. Corporis, ſtatura procera & proportionata, robur & vires. Externa, latifundia & magnæ poſſeſſiones.
D. *Duratio* animi, conſtantia, fortitudo, patientia in adverſis. Corporis, vitæ longævitas cum emolumento multorum. Pax externa cum fruitione bonorum.
P. *Poteſtas* animi eſt, *Cic. teſte*, poteſtas vivendi, ut velis. Corporis eſt, continenter vivere. Externa verò, uti benè imperio; aut contra tyrannicè.
S. In omnibus animi mediocritatem tenere. Corporis ſenſum rationi ſubmittere. *Prudenter* uti bonis externis fortunæ.
Vo. Animi eſt *deſiderium* boni in lege Domini. Corporis, eſt libido, & corruptus animi affectus. Externa, obedientia & morigeratio.
Vi. Eſt *fortitudo* animi imperturbabilis. Si totus illabatur orbis &c. Corporis robur & vires. Externa, copiæ claſſes, exercitus.
G. Animi pax & *tranquillitas*. Corporis, eſt requies, virtutis præmium. Externa, fama, honor, gloria.

Cùm oppoſitorum eadem ſit diſciplina, convertes tantummodò laudis terminos in vituperii, & paratam habebis materiam ad vituperandum aptam. Per principia quoque reſpectiva, innumera tibi laudis & vituperii argumenta ſuggerentur. Sed oſtendamus id exemplo.

⚌. *Differentia* inter homines eſt multiplex; nam quot homines, tot ſenſus. Corporis eſt ex harmonia compoſitio. Externa, dum comparamus divitias, nominis famam, gloriam cum aliis ſimilibus fortunæ bonis inſtructam.
♡. Uti per differentiam laudare & vituperare poſſumus, ita per *concordantiam* & ſimilitudinem.
o●. Et per *contrarietatem* & diſſimilitudinem id præſtare poſſumus; primò pulchrum cum pulchro, ſimile cum ſimili; deindè pulchrum cum turpi, ſimile cum diſſimili commutando, uti poſtea videbitur.
α. Inſtitui poteſt laudatio de *principiis* bonis & malis, de felici vel infelici Regnorum, Imperiorum, Urbium, Populorum ortu aut interitu. Sic in laudatione divitis origo divitiarum vel ab hæreditate, vel virtutis ſtudio, ſcientiarumque excellentia.

☉ *Medium* animi ſunt præceptores boni aut mali; Converſatio proba vel improba. Corporis ingluvies eſt medium, quo devenitur ad craſſitudinem, jejunium ad gracilitatem medium eſt, exercitium ad agitationem. Externarum rerum medium ſunt: *V. Gr.* pecunia, quæ medium eſt ad honores & dignitates & divitias.

ω *Finis* animi, videlicet computatus inter Sanctos. Corporis, an dignus ſepultura? an rota vel laqueo periit? Externorum finis; an bona ludo aut infortunio perdiderit?

M. Æ. Min. Animi, inter virtutes, ſcilicet comparando eas cum aliorum Heroum virtutibus. Corporis, comparando pulchritudinem cum Paridis; robur, & vires cum Milone Crotoniate, Alexandro, ſimilibuſque. Externorum, comparando divitias, nobilitatem, favores, vel ex *majoritate*, vel *æqualitate*, vel *minoritate*.

Poteris & hæc omnia deducere per Quæſtiones & 9 prædicamenta; Ut, ſi de Platone Encomiaſtica Oratio inſtituenda ſit.

Per	Quantitatem.	Laudamus eum ab humeris altis, præcordiiſque magnis; argumentis ex Phyſionomia deductis.
	Qualitatem.	Ab eximia ejus ſapientia & moderatione animi, nec non ex artium & ſcientiarum, quas poſſidebat, multitudine.
	Relationem.	Dum laudamus diſcipulos ex præceptoris ſive Socratis excellentia, conſtantia, fortitudine, ſcientia, ſimilibuſque.
	Actionem.	Recenſemus ejus actiones, rerumque geſtarum gloriam.
	Paſſionem.	Laudabitur à patientia laborumque tolerantia, & à conſtantia in perſecutionibus & adverſitatibus.
	Situm.	Laudabitur à ſymmetria corporis, & optima membrorum conſtitutione.
	Ubi.	Natus vixit in nobiliſſima Græciæ Civitate Athenienſi, Heroum incomparabiliumque hominum genitrice; & de peregrinatione ejus in Sicilia.
	Quando.	Quo tempore claruit, qua Mundi ætate, qualis tunc in Orbe fuerit ſtatus; quæ omnia exemplis confirmabis.
	Habitum.	Notabitur in veſtibus, pallio philoſophico & ſimilibus, quæ ex ejus vita colliguntur.

Exemplum quod de Platone dedimus, cuilibet alteri ſcitè applicare poterit quiſpiam ad filum Ariadnæ operaturus.

TABULA I.

Generis Deliberativi argumenta continens.

Quæcunque in Deliberationem cadere poſſunt, ſunt hæc, quæ ſequuntur.

Objecta ſeu Materia & argumenta generis Deliberativi.	*Suaſio.*	*Diſſuaſio.*	Probanda *Suaſio.*	Probanda *Diſſuaſio.*
1. Bellum, pax, induciæ, fœdus.	Iniri debet bellum, pax, &c.	Iniri non debet.	A neceſſario.	A non neceſſario.
2. Dux exercitus, claſſis præfectus.	Creandus eſt Dux.	Non creandus.	A poſſibili.	A non poſſibili.
3. Civitates & arces.	Quod muniendæ urbes.	Quod non muniendæ.	A facili. Ab utili.	A difficili. Ab inutili.
4. Trajectio, commeatus.	Concedenda trajectio.	Non concedenda.	Ab honeſto.	Ab inhoneſto.
5. Conſuetudo.	Introducenda vel ferenda conſuetudo.	Non introducenda aut ferenda.	A delectabili.	A non delectabili.
6. Lex.	Ferenda lex & uſu firmanda.	Non ferenda nec uſu firmanda.	A dignitate rei.	A nulla dignitate rei.
7. Meritum.	Præmium conferendum,	Non conferendum.	A decoro.	Ab indecoro
8. Cenſus, onera, tributum.	Imponenda onera.	Non imponenda.	A ſimili.	A diſſimili.

TABULA II.

Generis Judicialis argumenta continens.

Genus Judiciale in ſe continet Accuſationem & Defenſionem, ejuſque ſunt quatuor potiſſimum quæſtiones ſeu conſtitutiones.

Quæſtiones quatuor.	*Accuſatio.*	*Defenſio.*	Probanda *Accuſatio.*	Probanda *Defenſio.*
Conjecturalis.	Quod accuſatio vera. Quod reus cauſam habuerit. Quod reus voluntatem habuerit. Quod reo fuerit poteſtas. Quod contra reum ſint aperta indicia.	Quod accuſatio falſa. Quod cauſam non habuerit. Quod non habuerit voluntatem. Quod non fuerit ei poteſtas. Quod in reo nulla ſint indicia.	A teſtibus. Ab inſtrumentis.	Contra teſtes. Contra inſtrumenta.
Qualitatis.	Quod factum ſit contra æquitatem naturalem. Quod factum contra uſum & conſuetudinem. Quod factum ſit contra leges.	Quod factum juxta æquitatem naturalem. Quod non ſit contra uſum. Quod non ſit contra leges.	A tormentis. A jurejurando.	Contra tormenta. Contra jusjurandum.
Definitiva.	Quod res nomen mereatur. Quod res in definitione & deſcriptione eſt comprehenſa. Quod rei nomen uſu communi reſpondeat.	Quod nomen non meretur. Quod non eſt in deſcriptione comprehenſa. Quod non reſpondeat.	A diſpoſitione aliqua juris civilis.	Contra diſpoſitionem juris civilis.
Quantitatis.	Quod res ſit magni momenti.	Quod res non ſit magni momenti.		
Amplianda.	Per comparationem minorum injuriarum. Per amplificationem injuriarum.	A comparatione majorum injuriarum. Per exclamationem injuriarum.		

§. I.

De modis quibus Rhetor aut concionator quodcunque aſſumptum thema in infinitum multiplicare poſſit.

Nemo hoc loco Regulas me de Arte Rhetorica, de ſtyli cultu, de orationum artificioſa compoſitione; de troporum figurarumque applicatione traditurum ſibi perſuadeat. Sed hæc omnia in Tirone Rhetoricis jam abundè inſtructo, & in ſtylo exercitato Artiſta præſupponimus.

Propoſitum itaque mihi hoc loco eſt, Rhetoribus & Concionatoribus, iiſque omnibus, qui circa ſermocinatrices facultates verſantur, nonnullos modos ex Artis noſtræ diſpoſitione, quibus de quacunque propoſita materia & argumento ingentem rerum verborumque copiam ſibi acquirant, ſuggerere. Quod ut fiat, ſit

MODUS I.

Primus modus eſt, & docet 18 Artis noſtræ principia ad novem Subjecta Univerſalia applicare, quæ ſunt △ ☁ ◎ □ 🚶 🐎 🌳 ⬠ ⁝⁝; & ad omnia quæ ad ea quovis modo revocari poſſunt. Qualia autem illa ſint, jam ordo poſtulat, ut oſtendam.

Ad:

△ Revocantur omnia ista, quæ quovis modo DEUM concernunt: ut sunt primò, DEUS trinus & unus; Attributa divina, B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G; Actus notionales; Christus DEUS homo, Incarnatio, Vita & opera Christi; Institutio Sacramentorum; Miracula, Merita, Passio, Mors Christi; Beata Virgo; Omnes Sancti, qui per vitam DEO beneplacitam jam terminum beatitudinis attigerunt; Creatio, Conservatio, Justificatio, Glorificatio, omnis Cultus divinus, Religio, Fides, Spes, Charitas.

Revocantur novem Chori Angelorum in tres Hierarchias divisi. Et sunt Seraphin, Cherubin, Throni, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Archangeli, Angeli, & oppositi iis Dæmones.

◎ Ad Cœlos revocantur omnes Orbes à Cœlo Empyreo usque ad Terram: ut sunt, Firmamentum, Cœli ♄, ♃, ♂, ☉, ☿, ♀, ☽, cum eorum influxibus & motibus, virtutibus, operationibus, quicquid denique ad consensum Cœli & Terræ pertinet.

□ Elementa sunt quatuor: Ignis, Aër, Aqua, Terra, ad quæ revocantur omnia illa, quæ quovis modo eorundem naturam sapiunt: uti omnia Mixta, tam perfecta quàm imperfecta; Omnis motus fluminum, diversitas aëris, Oceanus, Maria, flumina, lacus, stagna, fontes, terra.

Cùm homo sit Microcosmus, & in confinio spiritualis & corporeæ naturæ constitutus; ab omnibus quoque eum participare necesse est, uti in Arte Analogica deduximus.

Ad hominem itaque revocantur, si quidem animi bona spectes, omnes Scientiæ, Theologia, Metaphysica, Physica, Mathematica, Ethica, Politica, Jurisprudentia, cæteræque Artes, tam liberales, quàm illiberales, omnes inventiones rerum; omnia opera admiranda, quæ in Mundo unquam exhibita sunt; Omnis politica administratio, fundatio Imperiorum, Rerumpub. Urbium, omnes tam interiorum quàm exteriorum potentiarum actus; omnis elementativa, vegetativa & sensitiva facultas; Generatio, Corruptio, Augmentatio, Locomotiva facultas, quæ fusè alibi tradita sunt; Omnia quæ ad dignitatem, dominium, potestatem, subjectionemque tam in politico quàm Ecclesiastico statu pertinent; ut sunt, Pontifex, Cæsar, Rex, Princeps, Nobilis, privatus, servus, subditus.

Ad hoc subjectum revocantur omnia animalia juxta quadruplex genus; uti quadrupedia, volatilia, natatilia, insecta, quorum unaquæque species subjectum esse potest Rhetoris aut Concionatoris, in quo eloquentiam suam exerceant; Cum nihil adeò vile sit, in quo virtutes summæ & facultates, proprietatesque miræ & pænè incredibiles non reperiantur; quæ omnia inexhaustam suppeditabunt materiam.

Ad hoc Subjectum revocantur omnes plantæ juxta triplex genus: Arbores, frutices, herbæ; in quarum singulis, natura, vires, propietates, indoles quoad interiora, exterioraque; Item radices, cortices, rami, folia, flores, fructus, semina considerari possunt.

Ad hoc subjectum revocari poterunt omnia mineralia, quæ sunt succi, liquores, pulveres, terræ differentes, & solubilia & coagulata; uti sunt omnia salina corpora, vitriolum, alumen & salia communia. Difficulter solubilia; uti arsenicum, antimonium; & insolubilia, uti lapides pretiosi omnes, & communes seu ordinarii.

∴∴ Ad hoc subjectum revocantur omnia, quæ instrumentorum rationem habent. Item aggregata per accidens, & novem prædicamenta accidentalia; Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Situs, Ubi, Quando, Habitus.

Atque hæc est Anatomia novem Subjectorum Universalium, ad quæ omnia Entia, omnes substantiæ, nominaque substantiva, omnia corporea, viventia, sensitiva, rationalia, intellectus divinus & angelicus, & quicquid tandem in natura rerum sub considerationem venit, revocantur, iisque implicitè insunt, ut dato proinde themate, ad quod illud subjectum revocari possit, videas.

Recensuimus ea omnia, quæ subjectorum rationem habent; jam prædicata pariter recenseamus, suntque 18 Artis nostræ principia, de quibus omnia paulò ante recensita subjecta prædicari possunt; quorum omnium applicationem per nonnullos Canones Artis directores, jam tandem exponamus.

CANON

CANON I.

Sciendum est, quodcunque, sive ex absolutis, sive ex recensitis ad Subjecta universalia revocabilibus terminis assumptum thema, novem diversis modis considerari posse; Quod arcanum quicunque rectè penetraverit, ei nihil in quacunque proposita materia in infinitum amplianda denegatum videri posse sanctè assevero, & ex subjecta Tabula Combinatoria luculenter patet.

Subjecta Universalia, & ad ea quilibet termini revocabiles,



Possunt novem modis considerari.

1. Theologicè.
2. Metaphysicè.
3. Physicè.
4. Medicè.
5. Mathematicè.
6. Ethicè.
7. Juridicè.
8. Politicè.
9. Analogicè, ut omnibus applicabilia.

Demus Exemplum:

Homo considerari potest,

Theologicè. 1. Uti ad supernaturalem finem conditus à DEO, & uti subjectum divinorum influxuum, per Theologicas virtutes beatificabile.

Metaphysicè. 2. Methaphysicè, in quantum ens est verum, unum, bonum, ex actu & potentia, ex genere & differentia constitutus.

Physicè. 3. Physicè, uti ex materia & forma compositus, uti ens mobile & naturale est.

Medicè. 4. In quantum ens est sanabile, medicinæ operationibus subjectum.

Mathematicè. 5. Mathematicè, uti ens quantum, mensurabile.

Ethicè. 6. In quantum virtutum capax esse potest.

Juridicè. 7. In quantum substat legi positivæ & humanæ per eas dirigibilis.

Politicè. 8. In quantum pars est Societatis Civilis.

Analogicè. 9. In quantum per analogicam artem omnia ei, quæ in Mundo sunt, applicari possunt.

Atque de hoc intelligendus est Canon ille Logicorum; *Quod in una Arte est homogeneum, in altera hereterogeneum est.* Ubi intelligitur semper Canon non de re considerata, sed de modo considerandi; nam res considerata in variis disciplinis tradi potest, & modus considerandi in aliis disciplinis est alius.

2. *Exemplum:* sit propositum pro themate, elementum Aquæ. Hoc novem modis pariter considerari potest.

1. Theologicè, ut cùm aqua in baptismi materia una cum forma, ad gratiam conferendam elevatur.

2. Metaphysicè, in genere entis consideratur multipliciter.

3. Physicè, quoad vires, virtutes, proprietates cæterosque usus in natura rerum.

4. Medicè, quoad virtutes & proprietates, quas in se ad infirmitates omnis generis curandas continet.

5. Quoad usum in mechanicis, hydraulicis, aliisque emolumentis, quæ in suum forum trahit Mathematicus.

6. Ethicè, per metaphoram; uti flumen sapientiæ, & facundiæ; mare sive Oceanus virtutum, artium & scientiarum. Potest quoque tam in laudem quàm vituperium assumi per comparationem, atque per allegoricas locutiones in usum trahi; uti aqua sapientiæ potavit eum, hydrope vitiorum laborat.

7. Juridicè considerari potest, in quantum Juris-consultus decidit omnia illa, quæ circa inundationem fluminum, insularumque natarum augmentum controversiæ occurrere possunt. Uti habetur *ff.* de alluvione fluviorum.

8. Politicè, in quantum optimè constituta Respublica præ omnibus tanquam maximè necessariis rebus providet urbibus de fontibus, de aquæductibus, sine quibus subsistere non posset.

9. Analogicè, quam Ars nostra Analogica docet: videlicet nihil esse in tota hac terminorum recensita congerie, quod non juxta analogiam quandam aut metaphoram troposve unicuique applicari possit: Sic homo dici potest habere divinum ingenium, virtutes & opera-

operationes divinas; eademque de causa Angelus dici potest; juxta illud Act. 7. *Et intuebantur faciem Stephani, tanquam vultum Angeli stantis inter illos.* Sic homo & dici potest leo, ob fortitudinem, lepus ob timiditatem; sic homo syncerus crystallo, durus lapidi comparatur; quæ omnia fusè in Primo Libro, & in Secundo de Arte Analogica tradita sunt, ad quem Lectorem remittimus; & ex Sacris literis innumera exempla habentur, in quibus vel ipse DEUS & Christus, ovi, agno, leoni, viti, lilio, lapidi, petræ comparatur.

Alio quoque modo hæc deducere poteris: *Ex.Gr.* Quispiam tractaturus de Bonitate M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. hominis, describit eum;

1.	A magnitudine bonitatis,	Potentiæ, sapientiæ, virtutis, gloriæ, transcendentaliter.
2.		Physicæ; videlicet à bonis corporis, pulchritudine, robore, sanitate.
3.		Moralis, à justitia, temperantia, fortitudine, continentia, pietate, similibusque.
4.		Oeconomicæ, à cura & providentia domus, à parsimonia & similibus.
5.		Politicæ, ut à consiliis, à prudentia, dexteritate gubernandi.
6.		Theologicæ, à fide, & charitate in DEUM & proximum, à religione & cultus Divini promotione.
7.		Medicæ, conservandi se in optimo sanitatis statu, à sobrietate, diæta, & similibus.

Exemplum secundi est: Si homini bono & probo plures applices proprietates; ut columbæ simplicitatem; candorem cygni; fortitudinem leonis; prudentiam serpentis; agni mansuetudinem, & similia; contrà improbo, rapacitatem lupi; porci spurcitiem; canis voracitatem, hirci lasciviam, applices. Et sic de cæteris.

CANON II.

Hinc patet, secundum Artem nostram quodlibet dici posse de quolibet, affirmativè scilicet, & negativè, propriè & impropriè: Si enim homo quispiam laudandus sit, scitè ex re nata eum vel animalibus, vel herbæ, flori, fructibus, vel denique pretiosis lapidibus eximiis rarisque virtutibus præditis comparare poteris. Atque hic dicendi modus, quem Rhetores artificialem dicunt, nos Proteum appellamus Rhetoricum in omnes formas convertibilem, verbo παντόμορφον.

Estque hæc admiranda illa similitudinum catena, qua res ita ad invicem connectuntur, ut nullum sit ens, quod non cum aliquo similitudinis rationem habeat; Nam entia suprema & incorporea in inferioribus corporeis rebus, miris quibusdam similitudinum typis sigillisque elucescunt, & econtrà hæc in illis; quod non tantùm verificatur in substantiis mundanis, sed etiam in omni accidentium consideratione.

CANON III.

In applicatione 18 principiorum non tantùm ad novem Subjecta universalia procedendum est, sed & ad novem prædicamenta, quæ omnia dictis novem modis exponi possunt; ut si dicendum sit,

De	Bonitate	△	Comparatio instituetur à singulis principiis absolutis per principia respectiva;	☰.
	Magnitudine			♡.
	Duratione	◎		○●.
	Potentia	⊡		α.
	Sapientia			⊙.
	Voluntate			ω.
	Virtute			M.
	Veritate	⬠		Æ.
	Gloria	⁞⁞⁞		Min.

Exem-

Exemplum. Dicturus de bonitate hominis Theologicè conſiderati, ordieris à bonitate, & deinde juxta ordinem ſequentium principiorum tam abſolutorum, quàm reſpectivorum proſequêris; ut dum homo à DEO ad finem ſupernaturalem eſt conditus, quàm Bonus; quàm Magnus; quàm (D) perennis; quàm Potens & efficax ſit finis ille; quanta Sapientia DEUS hominem dirigat & diſponat; quanta ſit (Vo.) liberi arbitrii vis in homine accipiente DEI circa ſe providentiam; quantis Virtutibus ea de cauſa hominem imbuerit; quot ſubſidia ad Veritatem rationeſque arcanas cognoſcendas per Sacram Scripturam & Sanctos Patres, per Sacramenta Eccleſiæ documenta præſtiterit; quantam denique Gloriam mandata ejus ſervantibus pollicitus ſit. Quæ ſi per Quæſtiones ultra examinentur, ingentem præſtabunt dicendi materiam.

Item ſi de bonitate hominis ut phyſicè conſiderati differere velis, eodem prorſus modo, procedendum tibi eſſe ſcias; oſtendes, quanta ſit hominis bonitas in genere naturæ; quanta excellentia; quanta perpetuitas; quanta potentia; ubi de potentia Regum & Principum; eorumque memorabilibus geſtis; quanta ſapientia in inventione rerum; quantus appetitus ad ſciendum, & ad boni fruitionem; quantis virtutibus tam phyſicis, quàm moralibus ſit præditus; quantum ad veritates cognoſcendas deſiderium; quæ omnia variis illuſtrabuntur exemplis, de peregrinatione philoſophorum; periculis, &c. Qualis quantaque homini ſoli, inter corporeas creaturas gloria competat.

Si verò eadam ulterius extendere deſideres per principia reſpectiva.

Per:
- ⚌. Quomodo differat hominis bonitas. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. comparata ad △. ☺. 🚶. 🌳. ⬠. quanta differentia reſpectu temperamentorum.
- ♡. Quod nullum ſubjectum ſit ex novem univerſalibus, cum quo homo non communicet & concordet in aliquo; ut intellectu cum △ & ☺. cum 🐂. 🌳. ⬠. ſenſatione, vegetatione, entitate.
- ○●. Quàm varius homo ſit diverſuſque in ſtudiis, actionibus, finibus conſtituendis; quanta contrarietate appetitus implicetur.
- α. Quanta per ingenii vim efficiat tum in ſupernaturali, tum in Phyſica, Morali & Politica diſciplina.
- ⊙. Quàm variis mediis, quà legitimis, quà illegitimis, utatur ad finem conſequendum.
- ω. De varietate finiùm, quam ſibi in omnibus actionibus præfigit.
- M. In Mundo corporeo majus quid homine non eſſe.
- Æ. Æqualem eſſe Angelis.
- Min. Solo DEO minorem.

§. II.

De Inſtrumentalitate, nono Subjecto univerſali.

Ultimum novem Subjectorum univerſalium tractat de Inſtrumentalitate, qua comprehendimus omnia rerum inſtrumenta, ſine quibus res nec eſſe nec operari poſſunt; ac conſiderari debent juxta triplicem ordinem materialium, moralium, intellectualium. Quæ ut luculentius pateſiant;

Sciendum eſt, *Inſtrumentum* generaliter dici illud, per quod aliquid effici poteſt ab aliquo agente conjuncto aut disjuncto. Unde triplicem inſtrumenti rationem conſiderare oportet, in *Naturalibus* primò & materialibus, ſecundò in *Moralibus*; tertiò in *Intellectualibus*. De Naturalibus primò, ultimò de Materialibus dicam. In Naturalibus invenitur, in quantum hæc operantur mediantibus qualitatibus; hoc pacto Elementa quaſi intrinſeca inſtrumenta habere dicuntur ad operandum: ut Ignis agit calore ſibi intrinſeco & naturali, veluti inſtrumento quodam; Terra cum ſiccitate; Aqua cum frigiditate, & Aër cum humiditate; quibus ad invicem operantibus efficitur mixtum, & componitur ex quatuor elementis; In quo mixto calor, ſiccitas, humiditas, frigiditas ſunt veluti inſtrumenta quædam, quibus mixtum juxta diverſitatem operationum unicuique propriarum conſervatur. Undè variæ juxta Artis noſtræ Regulas Quæſtiones formari poſſunt. *V. Gr.*

Per B. de *communicatione* inſtrumentali caloris in igne & Mixtis. Per M. de *Magnitudine* talis caloris. Per D. de *Duratione*, *Poteſtate* &c. Quæ eadem de terræ, aquæ, aëris inſtrumentalibus qualitatibus ſimili pacto deduci poſſunt.

Deinde ad inſtrumentativam *potentiam* in vegetabili natura procedes, cujus inſtru-

inſtrumenta ad ſe conſervandum ſunt facultates, nutritiva, attractiva, retentiva, concoctiva, expulſiva, augmentativa, in qua calor naturalis diſponit alimentum ad id in aliti ſubſtantiam convertendum; Sequitur deinde vis generativa, cujus vis eſt, generare ſibi ſimile mediante calore aliorumque alimentorum concurſu; & ex his naſcuntur novi quæſtionum tituli: de Communicatione, Extenſione, Duratione, Poteſtate, Inſtinctu, Appetitu, Virtute, Gloria, virtutis nutritivæ, ſenſitivæ; Deinde per Quæſtiones ſingulæ examinandæ.

Ex hiſce aſcenſio fit ad potentias ſenſitivæ naturæ, quæ ſunt quinque ſenſus externi: *Viſiva*, *Auditiva*, *Olfactiva*, *Guſtativa*, *Tactiva*, quæ ſunt animalis inſtrumenta, quorum ope omnes operationes perficit. Atque ex hoc conſideratio fit ad potentias interiores in rationali creatura, ad ſenſum communem, phantaſiam, æſtimativam, intellectivam, memorativam, quibus veluti inſtrumentis quibuſdam homo operatur: dividit, componit, judicat, æſtimat, memorat, intelligit, quorum unumquodque per 18 principia deductum, & per Regulas Quæſtionum examinatum magnam dat diſcurrendi materiam.

Habet & voluntas ſua inſtrumenta, quibus operetur, tum interna tum externa: Interna ſunt motus appetibilitatis, queîs attingit vel boni proſecutionem, vel mali fugam. Externa ſunt actus interni in actum externum prorumpentes, quibus extrinſeca membra, pedes, manus, ſenſus omnes ad bonum vel conſequendum, vel malum fugiendum incitantur.

Ad voluntatis itaque appetibilitatem explendam, varia excogitata ſunt inſtrumenta materialia, quibus ad id quod deſiderat, conſequendum, pertingere valeat. Alia enim

1. Sunt ea, quæ hominis ſerviunt conſervationi, reſpectu nutrimenti; videlicet inſtrumenta piſtorum ad panes coquendos: inſtrumenta agricolarum, vinitorum.
2. Alia ſunt, quæ ad conſervationem vitæ conducunt; qualia ſunt veſtes, & ea quæ hominem protegunt & liberant ab inclementia aëris; uti ſunt inſtrumenta ſartorum, eorumque qui pannum & carbaſa conficiunt.
3. Alia inſtrumenta ſunt, quæ ad externam hominis quietem, ſuique contra violentiam defenſionem conducunt; ut ſunt arma bellica &c.
4. Alia ſunt, quæ delectationi & commoditati ſerviunt, ut commoda ſupellex domeſtica, habitatio.
5. Quæ recreationi animæ ſerviunt; uti omnia ingenioſa ab hominibus excogitata; cujuſmodi ſunt, machinæ, inſtrumenta muſica &c.
6. Quæ ſerviunt recreationi corporis, uti ſunt inſtrumenta venatoriæ artis; feris, avibus, piſcibus, capiendis apta, exercitia gymnaſtica.
7. Habet & intellectus ſua inſtrumenta quibus operetur; cujuſmodi ſunt: diviſiones, definitiones, argumentationes, & ſunt inſtrumenta notionalia. Hæc habent & ſingulæ artes & ſcientiæ. Hoc pacto Logica eſt inſtrumentum ſciendi, uti & hæc Ars noſtra.

Ad hæc omnium Artium inſtrumenta revocantur, cùm nulla ſit tam vel exigua ars, quæ non habeat ſua inſtrumenta artificialia ad ſuum finem determinata, qui eſt vel conſervatio vel recreatio hominis. Quæ res cùm in infinitum propemodum progrediatur, illa curioſo Lectori expendenda relinquo.

8. Habent & Spirituales operationes ſua inſtrumenta, quæ ſunt chariſmata ſpiritualia, quibus anima operatur ad æternam conſequendam ſalutem per media ſive inſtrumenta, quæ ſunt ſeptem Sacramenta à Chriſto in Eccleſia inſtituta.
9. Poſſunt & inſtrumenta animæ dici; fides, ſpes, charitas, quibus DEO unita ſalutem conſequitur.
10. Eſt tandem Chriſtus, humani generis Redemptor, & finis ultimus, quoad humanitatem divinæ naturæ inſtrumentum, quo omnia in omnibus operatur.

Vide Lector immenſam inſtrumentalitatis fœturam ad quantumvis diſcurrendum expoſitam.

Quod verò ultimum novem Subjectorum, per novem prædicamenta accidentalia expoſuerimus, ideò factum eſt, quòd omnia accidentia ſint quædam veluti ſubſtantiæ corporeæ inſtrumenta, ſine quibus conſiſtere non poſſet; cùm omne corporeum neceſſariò ſit quantum, quale, reſpectum dicat ad aliud, agat, patiatur, in loco ſit, tempori ſubdatur, ſitum aliquem habeat, habitumque quovis modo conſideratum. Sed ut, quæcunque hactenus de methodo artis noſtræ Rethori neceſſaria copioſè diximus, unica Synopſi comprehendat Lector; hic Tabulam apponendam cenſuimus.

Locus Tabulæ

I. Genus Exornativum sive Demonstrativum.

Objecta seu Argumenta Oratoris.		*Loca A bonis animi.*	*Loca A bonis corporis externis.*	*Hæc omnia confirmanda per 9 prædicamenta.*
	B.	A diffusione magnorum bonorum in Rempubl.	A bona corporis qualitate.	Quantus sit B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve G.
Pontifex.	M.	A magnitudine & excellentia officii.	A majestate in externis operationibus.	Qualis sit aut debeat esse.
	D.	A firma consistentia status.	A sanitate stabili.	Quam relationem habeat ad DEUM, & ad homines.
	P	A potestate in omnes sibi subditos.	A potentiis tam internis quàm externis rectè constitutis.	Quænam actiones ei propriè conveniant.
	S.	A sapientia, prudentia. legumque constitutione.	A publica administratione rerum.	Quantum in tolerando statu rerum imperturbabilis.
Cæsar.	Vo.	A desiderio & sollicitudine boni communis.	Voluptas & gaudium populorum.	Quis locus ei potissimum competat. Quando jurisdictionis actus exercere.
	Vi.	A virtutibus moralibus: Justitia, fortitudine, temperantia &c.	Ab exercitio virtutum.	Situs in dando audientiam, aliisque publicis processibus.
Princeps.	Ve.	A decretis infallibilibus.	A severitate in subditos.	Habitus qui ei potissimè conveniat, & quid mysticè sit.
	G.	A Gloria summa & beatitudine.	Ab honore & dignitate, divitiis.	
		Per =. ♡. ○●. α. ⊙. ω. M. Æ. Min.		
Sit Ex quadrupedibus.	B.	A perfectione naturæ.	A forma corporis.	Quantum sit tum intensivè tum extensivè.
	M.	A magnitudine virium.	Ab interna indole.	Quale sit quoad facultates naturales.
	D.	A permanentia perpetua in esse suo.	A perfectione sensuum.	Quam similitudinem habeat ad alia.
Ex Volatilibus.	P.	A viribus mirificis ei à natura inditis.	A sympathia & antipathia, quibus agitantur.	Quænam sint propriæ ejus actiones.
	S.	Ab instinctu naturali, quo se tuetur contra adversa.	A remediis, quibus à morbis se liberant.	à quibus patiatur, ubi de antipathia & sympathia
Ex natatilibus.	Vo.	Ab appetitu naturali generationis, conservationis.	Ab industria architectonica qua nidos construunt	Ubi potissimum degat, & mansiones suas habeat.
	Vi.	A facultatibus naturalibus, sensitiva, vegetativa.	A viribus medicis, quibus unaquæque pars eorum pollet.	Quando ad generationis officium incitetur, & quando oportunè operationes suas obeat.
Ex insectis.	Ve.	A certo & infallibili modo operandi.	Ab aliqua virtute morali, quæ in ipsis elucet	Situs, quis modus in compositione corporis.
Quidpiam assumendum.	G.	A fine quo gloriatur in esse suo.	A nutrimento, quo nos alunt.	
Sit ex	B.	A perfectione naturæ suæ, in qua non deficit.	A pulchritudine, quæ elucescit in extensione ramorum, foliorum, florum, fructuum	Quantitas, num magna, parva, mediocris.
Arboribus.	M.	A magnitudine virium in agendo.		Qualis sit, an B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.
Fruticibus.	D.	Ab industriâ conservandi se in esse suo.	A floris excellentia & dignitate, & de miro opificis in eo ludentis ingenio.	Quam similitudinem habeat ad alia.
Herbis.	P.	A potentiis & facultatibus, quibus instruitur.	A colorum varietate.	De facultatibus, vegetativa, augmentativa.
	S.	Ab instinctu naturali ei indito.	Ab odoris fragrantia.	Quibus potissimum inimica sit. Ubi de antipathia & sympathia herbarum.
Floribus.	Vo.	Ab appetitu propagandi se per semen.	A potentiis & facultatibus, viribus, proprietatibus. Antipathiæ, sympathiæ mirificis effectibus	Ubi & quo loco potissimùm gaudeat, an montibus, vallibus, paludibus, alpestribus locis
	Vi.	A viribus & mirificis proprietatibus.		
Fructibus.	Ve.	A veritate essentiæ suæ.	Ab appetitu, quo semper locum congruum petit.	Quando colligenda sit ad usum humanum.
Seminibus.	G.	A fine propter quem operatur, qui est, esse perfectum in suo esse.	A medicis facultatibus	De situ naturali plantæ; an repens, an surgens, &c.
Quidpiam assumendum.		=. ♡. ○●. α. ⊙. ω. M. Æ. Min.	A similitudinibus, quæ inde desumi possunt, admirabilibus.	
Sit ex	B.	A bonitate naturæ, ab utilitate & emolumentis.	A communicatione sui ad omnem humanæ vitæ usum.	De quantitate mineralium, quoad substantiam.
Mineralibus.	M.	A magnitudine virium, & præstantia usus.	A magnitudine utilitatis inde emanantis.	De qualitatate, an B. M. D. P. &c.
	D.	A loco in quibus conservantur.	A forma, figura, loco, situ.	De similitudine unius ad aliud.
Metallis.			A facultatibus naturalibus iis insitis.	De operationibus & effectibus.
	P.	A viribus & facultatibus, quibus prædita sunt.	Ab ingeniosa industria, qua reperiuntur.	à quibus patiantur, ubi de sympathia & antipathia eorum.
Lapidibus pretiosis.	S.	Ab instinctu naturali.	Ab appetitu intra suam matricem se continendi.	Ubi sit proprius illorum locus.
	Vo.	Ab appetitu quo unum certum locum amant.	A proprietatibus mirificis, & medicis viribus.	Quanto tempore ad perfectionem perveniant.
Quidpiam assumendum.	Vi.	A proprietatibus admirandis.	A modo ea expurgandi, & ad perfectionem deducendi.	Situs in matricibus qualis sit.
	Ve.	A veritate essentiæ.		
	G.	A fine, qui est utilitas hominum.	A fine, qui est necessitas hominis.	
		=. ♡. ○●. α. ω. ⊙. M. Æ. Min.		
Artificialia.	B.	Ab utilitate & necessitate.	Quàm necessaria sint hominibus.	Quàm multos & præclaros effectus præstent.
Instrumenta.	M.	Ab extensione utilitatis eorum ad omnia.	Quod sine illis periret humanæ vitæ ratio.	Quales usus habeant. inductione.
Sphæra.	D.	Sine quibus durare vita humana non potest.	Conservatur & durat per ea consortium humanum.	Quid potissimùm respiciant.
⁝⁝ Astrolabia.	P.	Ab efficacia qua cooperantur nobis ad omnia.	Quanta in omni genere facultatum præstent.	Usus & emolumentum. Ubi eorum praxis & vis locum habeat.
Horologia.	S.	A notitia rerum, quam nobis ingerunt.	Ab inductione artium omnium mechanicarum.	Quo tempore eorum usus sit exhibendus.
Ex	Vo.	Ab expetibilitate eorum.	Ab emolumentis, quæ conferunt.	Situatio seu recta constitutio eorum.
Accidentibus,	Vi.	A viribus queis effectus mirificos præstant.	Quid agant; quid nos doceant; quantis viribus polleant.	Quam mirifici effectus inde eliciantur.
Color. Lux.	Ve.	A veritate, quam nobis ingerunt.	A beneficiis humanæ vitæ per ea collatis.	
	G.	A gloria, quam eorum ope acquirimus.	A fine, qui est vita hominis felix.	
◎ □ Cal. hum. Frig. sicc.	B.	Ab utilitate, necessitate, perfectione.	A figura, motu, fabrica, constitutione Cœli.	Quantitates Cœlorum & Elementorum.
* Ignis. Nubes. Vapores.	M.	Ab extensione, qua se extendunt ad omnia.	Ab harmonia motuum, qua mundum gubernant.	Qualitas in Elementis. calidum. humidum. frig sicc.
♄ Aër. Flumina. Fontes.	D.	A necessitate eorum, sine quibus durare & vivere nihil posset.	A duratione perenni, qua influxibus suis mundum servant.	Differentia ◎ & □
♃ Aqua. Mare. Oceanus.	P.	A motuum efficacia, diversitate, uniformitate, difformitate.	Ab influentiis, sine quibus mundus conservari non posset	Operationes quoad influxus & communicationes.
♂ Terra. Lacus. Urbes.	S.	Ab inclinatione & instinctu uniuscujusque.	A notitia rerum altissimarum, qua homines instruunt.	Quomodò unum ab altero patiatur. Quis uniuscujusque locus proprius sit.
⊙ Montes	Vo.	Ab appetitu ad influendum.	Ab appetitu naturali uniuscujusque ad locum suum.	Quanto tempore motus suos conficiant Cœlum & elementa ad mixtorum constitutionem.
♀ Valles.	Vi.	A viribus, proprietatibus & mirificis influxibus.	A sympathia & antipathia unius ad alterũ.	Situs sive ordo tum Cœlorum tum elementorum.
☿ Navis.	Ve.	A veritate quam nobis ingenerant.	Ab excellentia naturæ, quibus omnia subsistunt.	
☽ Sylvæ.	G.	A fine, ob quem sunt.	A commixtione, generatione, corruptione rerum, quæ ab ipsis emanat.	

II. Genus Deliberativum.

Objecta seu Argumenta.		*Suasio Quod facienda sint.*	*Confirmatio.*	*Dissuasio quod non facienda sint.*
		Pax iniri debet.		
	B.	Ob emolumenta grandia quæ hinc emanant.	à necessariis.	
Pax	M.	Quia confert ad magnam tranquillitatem.	à possibili.	
	D.	Quia prodest Reip. conservandæ.	à facili.	
	P.	Quia Resp. majorem hinc potentiam habet contra hostes.	ab utili.	Omnia contraria suadet.
Fœdus	S.	Quia bonarum artium studia magis florebunt.	ab honesto.	
	Vo.	Quia per se expetibile & desiderabile est.	à delectabili.	
Induciæ	V.	Quia pax & concordia civium inde.	ab historiis.	
	G.	Quia quietem & tranquillitatem Reip. conciliat.	ab Exemplis. à contrariis.	
		Creandus est.		
an Dux creandus	B.	Quia B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.	à necessariis.	
	M.	Quia magnorum talentorum est.	à possibili.	
	D.	Quia durat in adversis.	à facili.	
	P.	Quia potens & efficax in operando	ab utili.	
Dux Exercitus	S.	Quia consiliis & scientia pollet.	ab honesto.	Omnia contraria suadet.
	Vo.	Quia naturali inclinatione in ea fertur.	à delectabili.	
Classis Præfectus	Vi.	Quia fortitudine, prudentia, justitia pollet.	ab historiis.	
	Ve.	Quia fidelis est & verax.	ab exemplis.	
	G.	Quia gloriosum ducit pro bono communi mori.	à contrariis.	
		Sunt muniendæ.		
an Urbes muniendæ	B	Quia munitio bona est Reip.	à necessariis.	
	M	Quia magna inde detentio.	à possibili.	
	D.	Quia hostes absterret à perseverantia.	à facili.	
	P.	Quia potentes facit cives.	ab utili.	
Civitates	S.	Quia recta ratio dictat.	ab honesto.	Omnia contraria suadet.
	Vo.	Quia per se expetibile est.	à delectabili.	
	Vi.	Quia firmat cives in se defendendo.	ab historiis.	
	Ve.	Quia robur addit urbibus	ab exemplis	
Arces	G.	Quia tutè & tranquillè habitant.	à contrariis.	
		Concedendus.		
	B.	Quia odium tollit hostium.	à necessariis.	
	M.	Quia beneficia extendi debent.	à possibili.	
	D.	Quia securior manet Resp.	à facili.	
Commeatus Trajectio	P.	Quia potest multum in hostibus demulcendis.	ab utili.	Omnia contraria suadet.
	S.	Quia non repugnat legibus.	ab honesto.	
	Vo	Quia deficientibus subveniendum.	à delectabili.	
	Vi.	Quia virtus charitatis id suadet.	ab historiis.	
	Ve	Quia veritati divinæ est conforme	ab exemplis.	
	G.	Quia hostes inde quiescent ab insultibus.	à contrariis.	
		Introducenda.		
Consuetudo	B.	Quia usus id approbavit.	à necessariis.	
	M.	Quia magna beneficia confert.	à possibili.	
	D.	Quia multo tempore duravit.	à facili.	
Lex	P.	Quia potest multum ad dissidia tollenda.	ab utili.	Omnia contraria suadet.
	S.	Quia legibus & decretis confirmata.	ab honesto.	
	Vo	Quia hoc est commune desiderium.	à delectabili.	
Meritum	Vi.	Quia virtutes auget.	ab historiis.	
	Ve.	Quia veritatem introducit.	ab exemplis.	
	G.	Quia quietem causat.	à contrariis.	
		Imponendus.		
	B	Ob necessitatem.	à necessariis.	
	M.	Ob magnas rationes.	à possibili.	
	D.	Ob continuationem salutis Reip.	à facili.	
	P.	Ad potentiam.	ab utili.	
Census tributum	S.	Quia in necessitate id leges permittunt.	ab honesto.	Omnia contraria suadet.
	Vo.	Quia bonum commune id postulat.	à delectabili.	
	Vi.	Quia virtus fit ex necessitate.	ab historiis.	
	Ve.	Quia legibus non repugnat.	ab exemplis.	
	G.	Quia finis est honestus, quies civium.	à contrariis.	

III. Genus Judiciale.

Objecta seu Argumenta.		*Accusatio.*	*Confirmatio.*	*Defensio.*
	B.	Quod accusationem meritus sit.	à testibus.	
Quæstio Conjecturalis.	M.	Ob magnum & enorme delictum.	ab instrumentis.	Quod nihil horum commiserit.
	D.	Ob pertinaciam & obstinationem, quia non potuit hoc facere.		
	P.	Ob impotentiam excusationis.	à tormentis.	
	S.	Ob ruptas leges & constitutiones civiles.	à Jure jurando.	
	Vo.	Ob civilis amoris violationem. Ob involuntatis contumaciam.		Quod nihil horum commiserit.
	Vi.	Quia contra justitiam, pietatem, peccavit.	à dispositione aliqua Juris civilis.	
Quæstio de Qualitate.	Ve.	Quia falsus inventus est in actionibus.		
	G.	Quia quietem & tranquillitatem interturbavit.	à conjecturis.	
	=	Quia litibus & dissidiis intentus semper fuit.	à probatione.	Quod nihil horum commiserit.
	♡	Quia concordiam, pacem, & tranquillitatem turbavit.	ab exemplis similibus.	
	○●	Quia Reip. contrariis usus est artibus.		
	α	Quia causam apertam dedit.		
Definitiva.			ab historiis hanc rem concernentibus.	Quod nihil horum commiserit.
	⊙	Quia indicia manifesta dedit conjurationis, per media illegitima.		
	ω	Quia finem intendit, seditionem publicam.		
	M.	à Comparatione majorum injuriarum. Majori pœna dignus est, quàm ut ei quicquam remittatur.	à comparatione à majori.	Quod nihil horum commiserit.
Quantitate.	Æ.	Æqualitati demeritorum respondere debet proportionata punitio & pœna.	à comparatione ab æquali.	
	Min.	à Comparatione minorum delictorum, quibus alii puniti sunt.	à comparatione à minori.	Quod nihil horum commiserit.

De Uſu Tabulæ.

Sit, *verbi gratiâ*, inſtituenda Oratio in genere Exornativo, de Perſona in magna dignitate conſtituta. Vide in prima Columna ſignata ✝, & in ea quære argumentum, *Verb. Gr.* Pontifex, Cæſar, Princeps; deinde procede ad proximum ſecundæ Columnæ receptaculum, ubi reperies innumera huic encomiaſtico generi oportuna argumenta, de bonis videlicet animi & corporis, aliiſque externis, quæ omnia juxta ordinem[1] novem principiorum abſolutorum ita diſpoſita ſunt, ut quæcunque de bonis animi & corporis adduci poſſunt, in iis contineantur. Si verò hanc materiam quiſpiam ex profeſſo tractare voluerit, is per 9 Principia reſpectiva ordine juxta differentias, concordantias, contrarietates, cauſas, media, fines, majoritates, æqualitates, minoritates, ope Quæſtionum examinabit, & materiam prorſus inexhauſtam reperiet; præſertim ſi ad ea confirmanda quoque per novem prædicamenta, quem modum in tertia Columna præſcripſimus, ampliaverit. Confirmari quoque poterat per varia exempla, hiſtorias, tam ex ſacra, quàm profana doctrina deſumptas.

2. Si verò animal quodpiam tibi oratione quadam laudandum ſit; recurre ad ſecundum loculamentum primæ Columnæ, & in ſecundo loculamento ſecundæ Columnæ, reperies ordine deſcripta omnia loca, quæ laudando dicto animali, ſive id ex quadrupedum, ſive volatilium, ſive natatilium inſectorumve familia fuerit, apta ſunt.

3. Si porrò Oratio inſtituenda ſit de aliqua arbore, frutice, herba, flore, fructu, recurre ad tertium loculamentum primæ Columnæ, & in ſecundæ Columnæ tertio loculamento reperies loca aſſumpto themati exornando oportuna.

4. Si deinde Oratio inſtituenda ſit de aliquo metallo, puta, auro, argento, ferro &c. aut de lapide quopiam pretioſo; argumenta tibi ſuppeditabunt tum quartum primæ, tum quartum ſecundæ Columnæ.

5. Si denique Oratio inſtituenda ſit de aliquo inſtrumento nobili, uti Sphæra, Aſtrolabio, tormento bellico, luce, colore ſimilibuſque; tunc quære quintum loculamentum primæ & ſecundæ Columnæ, & in ea, quæcunque ad tuum inſtitutum deſiderari poſſe videbuntur, reperies.

6. Si denique de cœlo, aut de uno ex Planetis aut ſtellis; vel etiam ex quatuor elementis qualicunque tandem oratio inſtituenda ſit, recurre ad ultimum primæ & ſecundæ Columnæ loculamentum, in quo innumera loca ad tuum inſtitutum probandum, invenies.

Et quoniam oppoſitorum eadem eſt ratio; Exornativum verò Genus, & laudem & vituperium comprehendit, poteris omnes laudes in vituperia convertere, ſola terminorum oppoſitorum poſitione.

In ipſa verò Oratione dicta eleganter deſcribere poteris per varias ſententias, apophtegmata, exempla, hiſtorias ſacras & profanas; per artem topicorum, per analogicam artem, figuraſque in Arte Rhetorica tradi ſolitas. Et ſunt:

Metaphora.	Ut: De cœlo, riſus cœli, pro ſerenitate.
Synecdoche.	Pro navi puppis.
Metonymia.	De morte, pallida mors, ab effectu demortui.
Antonomaſia.	Pro Philoſopho, intelligitur Ariſtoteles.
Catachreſis.	Parricida, pro interfectore matris, filii.
Metalepſis.	Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas.
Onomatopœia.	Mugitus ventorum & aquarum, pro ſibilo & ſuſurro.
Allegoria.	Euripus animi, pro perturbatione mentis.

Et ſic de cæteris tropis & figuris, quas vide apud Rhetores & Logicos; quibus omnibus adhibitis, miram Orationi elegantiam conciliabis.

De Secundo genere, Deliberativo.

Si porrò instituenda sit Oratio juxta genus Deliberativum; vide titulum hujus generis in Tabulæ fronte; deinde vide subjecta seu argumenta eorum, de quibus oratio instituenda est, quæ habentur in prima Columna; cui in secunda Columna respondent loca, à quibus suasio aut dissuasio initium ducat. Verùm cùm ipsius Tabulæ dispositio omnia clarè doceat, supervacaneum esse ratus sum iis explicandis longiùs inhærere.

Rationes verò seu loca, è quibus aliquid faciendum, vel non faciendum suades, habentur in secunda Columna, per 9 attributa essentialia ordinata.

Quas per loca in tertia Columna probabis à contrariis, à possibili, facili, utili &c.

De Tertio genere, Judiciali.

Si denique instituenda sit Oratio in genere Judiciali; vide titulum hujus generis in fronte Tabulæ; deinde ex Columna secunda & tertia deduces rationes, quibus in Accusatione vel Defensione uteris. Verùm ipsa Tabula omnia luculentiùs te docebit, quàm ego vel multis verbis non exposuero.



ARTIS MAGNÆ SCIENDI, *SIVE* COMBINATORIÆ,

LIBER DECIMUS,

Paradigma ex Jure Canonico, Theologia positiva & morali exhibet.

SECTIO I.

Jus Canonicum applicatum.

Expositis Juridicis & Ethico-politicis Paradigmatis, superest modò, ut & unum exemplum apponamus ex Jure Canonico deductum, estque id, quod sequitur.

CAPUT I.

STATUS QUÆSTIONIS.

Utrum in Republica necessarii sint Ministri & Sacerdotes, ad serviendum DEO, & orandum pro populo.

IN hac quæstione, singula membra priùs ordinanda, & ad principia Artis nostræ tanquam ad lapidem lydium probanda; si sententia videlicet affirmativa, si negativa verior videatur, comparatione status Ecclesiastici cum Politico ad B. P. S. V. V. G. Et quoniam Sacerdotes sint Ministri Ecclesiæ, sine Ecclesia autem nullus salutem, nullus ultimum finem, ob quem à Christo instituta est, consequi possit; vel ex hoc primo capite, luce meridiana clariùs patet, Ministros Ecclesiæ esse maxime necessarios in Republica aliqua, quorum ope ignorantes corrigantur; devii in viam salutis reducantur, tum per legitimam Sacramentorum administrationem, tum per continuum orationis exercitium pro populo ab iis factum, quo mala à DEO peccatoribus intenta avertantur; quod & per Artis nostræ principia ita ostendimus.

Per { Illæ personæ in Republica sunt necessariæ,

B.	Quæ eidem *communicant* doctrinam, tum ad Reipubl. administrationem, tum ad summi boni consecutionem opportunam & necessariam. Hoc fit per Sacerdotes. Ergo.
M.	Quæ *magna* illi bona communicant; Hoc faciunt Sacerdotes, tum precibus & orationibus, tum Sacramentorum administratione. Ergo.
D.	Quarum doctrina & salutari instructione Respub. *permanet* & *conservatur* in timore DEI, & recessu à peccatis. Hoc fit per Sacerdotes. Ergo.
P.	Quarum ope *potestas* regiminis & gubernationis suum habet vigorem, dum justitiam, pietatemque perpetuò inculcant. Hoc fit per Sacerdotes. Ergo.
S.	Quarum ope *Sacra Scriptura* & per eam *leges divinæ*, sine quibus Respub. subsistere non potest, exponuntur. Hoc fit per Sacerdotes & Theologos. Ergo.
Vo.	Quarum ope accenditur *desiderium* & *amor* erga justitiam, pietatem, & ultimum finem. Hoc fit per exhortationes & Conciones Sacerdotum. Ergo.
Vi.	Quarum ope *virtutes* implantantur animis hominum, vitia & omnia perniciosa Reipub. destruuntur. Hoc fit per instructionem Sacerdotum. Ergo.
Ve.	Quarum ope augetur *veritas fidei* & Religionis, traditionumque Ecclesiasticarum à Christo & Apostolis constitutarum. Hoc fit per Sacerdotes. Ergo.
G.	Quarum ope major *divinæ gloriæ* intentio in Republica excitatur, omnes actiones in finem ultimum diriguntur. Hoc fit per Sacerdotes. Ergo.
Ξ.	Quarum ope probi ab improbis perniciosisque hominibus *separantur*. Hoc fit per Sacerdotes. Ergo.
♡.	Quarum ope *unitas*, *concordia* & *pax* fundatur in Republica. Hoc fit per Sacerdotes. Ergo.
o●.	Quarum ope vitia *virtutibus opposita* & Reipublicæ nociva extirpantur. Hoc fit per admonitiones, conciones, Sacerdotum. Ergo.
α.	Quarum ope *causantur* omnia bona Reipub. timor DEI, justitia, pietas, & omnia illa, quæ DEI iram quovis modo avertere possunt. Hoc fit per Sacerdotes. Ergo.
⊙.	Quæ uberrima ad vitam homine Christiano dignam suscipiendam, *media* administrant. Hoc fit per Sacerdotes. Ergo.
ω.	Quæ *finem rectum* in omnibus suadent, & ad ultimum finem omnes actiones dirigere docent. Hoc fit per Sacerdotes. Ergo.
M.	Quæ à DEO ad altiorem *majoremque* dignitatis statum vocatæ sunt, utpote animarum Doctores. Tales sunt Sacerdotes. Ergo.
Æ.	Quæ mala bonis ita temperant, ut inde Respublica sine *excessu* & *defectu* in mediocritate quadam constituatur. Hoc fit per Sacerdotes. Ergo.
Min.	Quæ nullum adeò *vilis* & *miserabilis* conditionis hominem negligunt, quem non ad viam salutis dirigant. Hoc faciunt per Conciones Sacerdotes. Ergo.

Hoc

Hoc idem probare poteris per Tabulam noſtram univerſalem, & per rotam panſopham innumeris modis & mediis, multiplicando terminum unum aut plures cum aliis. Poteris & hæc per Quæſtiones, ſpecieſque earum fuſiſſimè deducere. *Verb. Gr.*

Per ſpecies Quæſtionis

- *Quid?* Miniſtri Eccleſiæ ſunt neceſſarii, ad ſtatum Reipubl. ad partes Reipubl. temporales, ſpirituales, Eccleſiaſticas, ſeu ſeculares conſervandas.
  Secundò ſunt neceſſarii ad bonorum directionem, correctionemque impiorum.
- *De quo?* Miniſtri Eccleſiæ neceſſarii ſunt in Republ. ad Religionem conſervandam; quod fit per doctos & zelantes honoris DEI Sacerdotes.
  Iterum; Neceſſarii ſunt, quia ab ipſis veluti à fontibus derivatur in mentes hominum notitia DEI, & recta prudentia.
- *Quare?* Miniſtri Eccleſiæ neceſſarii ſunt, quia ipſi ſunt forma & norma rectè vivendi ſecularibus; unde dicuntur, *lux Mundi*, *ſal terræ*.
- *Quantum?* Neceſſarii ſunt Miniſtri Eccleſiæ ad unitatem & continuitatem partium in ea conſervandam, & ad diviſas uniendas.
- *Quale?* Quia conſiliis boniſque directionibus, uti & doctrina & experientia Rempublicam talem conſtituunt, qualem eſſe decet.

Et ſic de cæteris ſpeciebus Regularum, de quibus fusè alibi dictum.

Hæc etiam denuò ampliantur per octodecim principia *V. Gr.* Miniſtri Eccleſiæ neceſſarii ſunt in Republ.

B.	Bonis & malis.	=.	Differentibus inter ſe.
M.	Magnis & parvis.	♡.	Concordantibus.
D.	Senibus & juvenibus.	o●.	Contrariantibus.
P.	Dominis & ſervis,	α.	Incipientibus.
S.	Sapientibus & ignorantibus.	⊙.	Proficientibus.
Vo.	Amatoribus DEI & negligentibus cultum DEI.	ω.	Perfectis.
Vi.	Virtutem ſectantibus & vitia amplexantibus.	M.	Majoribus.
Ve.	Fidelibus veris & falſis.	Æ.	Æqualibus.
G.	Honeſtis & Inhoneſtis.	Min.	Minoribus.

CONSECTARIA.

Ex his emanantia juxta 18 Principia diſpoſita, ſunt:

Per

1. B. Hinc patet, *bona temporalia*, uti ſunt decimæ ad ſuſtentationem Sacerdotum & Miniſtrorum Eccleſiæ, rectè inſtituta eſſe; quia labores Sacerdotum altioris finis ſunt, quàm Status Politici; quia majora inde bona proveniunt; probatur ex multis variiſque modis ex Sacra Scriptura.
2. M. *Majorem* eſſe *authoritatem* Miniſtrorum Eccleſiæ, quàm ſit temporalis & Politica; quia hi præſident regimini bonorum ſpiritualium, illi temporalium; ſunt autem majora bona ſpiritualia, quàm ſæcularia, ſicut anima majus bonum eſt corpore.
3. D. *Priorem* natura & ordine eſſe ſtatum Eccleſiaſticum, quàm ſecularem, quia ſpiritualia excellentiora ſunt temporalibus.
4. P. Altioris quoque ordinis eſſe *poteſtatem* & authoritatem & juriſdictionem Eccleſiaſticam in Eccleſiaſtico ſtatu, quàm in Politico, tum ob poteſtatem ſolvendi & ligandi, tum ob adminiſtrationem Sacramentorum, confectionemque Euchariſtiæ.
5. S. Ad hos ſolos recurrendum eſſe in *legum* controverſiis dirimendis, eorumque judicio & determinationi ſtandum Politicis.

6. Per Vo,

Per:

6. Vo. *Libertatem* Ecclesiasticam ob eximiam præeminentiam non posse à sæculari statu impediri; sicuti enim inferior persona non habet jus in superiorem, ita & status politicus non habet jus in Ecclesiasticum; neque ille huic contradicere potest, neque judicio ejus subjacere; neque Judex sæcularis potest sententiam ferre in Ecclesiasticum. Quæ omnia intelligi velim, in iis quæ ad forum Ecclesiasticum spectant.

7. Vi. Majorem esse *Virtutem* ad operandum, munusque suum explendum in statu Ecclesiastico, quàm Politico, uti patet in excommunicatione & censuris.

8. Ve. Majorem quoque esse *Veritatem* in statu Ecclesiastico, quàm politico, quia ille altiori doctrina & lege est instructus, solasque fidei veritates docet & exponit. Hinc Pontifex omnibus supereminet, tum ob leges infallibiles, quibus Ecclesiam DEI gubernat, tum ob infallibilem Spiritus Sancti assistentiam in definiendo.

9. G. Majorem deberi honorem & reverentiam Ecclesiastico statui quàm politico, ob rationes supradictas.

Poteris & hæc per novem Subjecta Universalia fusius ampliare.

△ Quia Ecclesiasticus status DEO magis appropinquat, ob potestatem, quam habet in conficiendis & administrandis Sacramentis, tum ob Orationis in officiis publicis, tum in sacrificiis continuatum exercitium.

Quia *Angelis* ob virtutum sacrarumque operationum studium, & ob hierarchicam dignitatem similes efficiuntur.

◎ Ob influxum donorum *Cælestium*, quorum ipsi dispensatores sunt.

□ Ob potestatem in ipsa *Elementa*, quæ ad gratiam conferendam, ad Sacramentum conficiendum assumuntur.

Ob *dignitatem* graduum, officiorum, quibus distinguuntur à gradibus sæcularis dignitatis; sicuti enim status politicus in res temporales jus habet & exercet in subditos, per varios gradus Regum, Principum, Nobilium, Jurisconsultorum, Consiliariorum, militum; mercatorum, agricolarum &c. ita Ecclesiasticus status per gradus varios dignitatis, uti Pontificis, Episcoporum, Curatorum, variarumque Religionum institutis ad res æternas & bona Cœlestia animas disponunt; ut hoc pacto humanum genus ad ultimi finis consecutionem deducatur.

Sacerdotes & Ministri Ecclesiæ sunt, qui Ecclesiam (quæ est veluti Linteum quoddam S. Petri, plenum omni *animalium* tam mundorum quàm immundorum sorte; in quo reprobi cum probis, justi cum peccatoribus, rudes & ignari cum doctis & sapientibus permisti sunt,) dirigunt.

Sacerdotes sunt, qui vineam Domini *plantant* coluntque, *arbores*, *frutices*, *herbas* ei inserunt, id est, Verbi divini sementem, ad desideratam animarum messem spargunt.

Ecclesiasticus status, ob differentem graduum perfectionem, Ecclesiam DEI velut *lapidibus* pretiosis substruit, suffulcit, exornat.

Hæc per novem prædicamenta postea fusiùs deduci possunt.

Per	De
Quantitatem.	Variis & *multiplicibus* status Ecclesiastici officiis & muneribus.
Qualitatem.	*Qualitate* personarum, ad magna in Ecclesia DEI præstanda, requisita.
Relationem.	Ecclesia militante *comparata* ad triumphantem.
Actionem.	*Operantibus* Ecclesiastici status in particulari.
Passionem.	*Persecutionibus* & adversitatibus, quas causâ honoris DEI sufferunt, uti de Martyribus.
Ubi.	Dignitate Ecclesiastica per totum terrarum *Orbem* dispersa.
Quando.	*Festorum* institutione, celebratione ac *tempore* frequentandi sacramenta.
Situm.	*Ritibus* & Cerimoniis in Ecclesia celebrari solitis.
Habitum.	*Habitibus*, singulis gradibus Ecclesiastici ordinis competentibus; ubi de mystico habitu summi Pontificis, Episcoporum, cæterorumque in publicis functionibus.

Innumera alia hoc loco adduci possunt, sed ne longior sim, aliis ea evolvenda relinquo.

PARA-

CAPUT II.

PARADIGMA POLITICUM I.

Revocantur omnia Politica ad Bonitatem Poteſtatis; Unde quæritur:

An Regimen & Principatus neceſſarius ſit inter homines?

Hoc per Artis noſtræ principia hoc pacto oſtendo.

Per

B. P. Ubicunque datur *privatum bonum*, ibi neceſſariò datur à bono communi, id eſt à *præſide* de bono communi diſponente dependentia.
In omni politico ſtatu dantur quædam bona privata.
Ergo illorum à bono communi & præſide dependentia, ſine quo de iis diſponi nequit. Ergo regimen neceſſarium.

M. P. Ubicunque ſuſque deque feruntur omnia, viviturque *arbitrio*, cum impuni quadam faciendi quælibet, licentia, ibi neceſſarium eſt *Regimen* & Principatus.
Hoc fit in politico ſtatu ſine capite.
Ergo in omni politico ſtatu neceſſarium eſt regimen.

D. P. Ubi non eſt *lex* nec ordo, ibi non *poteſt* eſſe boni communis *durabilis conſervatio*.
Hoc fit in ſtatu politico ſine capite. Ergo.

P. P. Si non eſſet *regimen* & *principatus* neceſſarius, omnibus juribus confuſis, impuni peccandi licentia pro arbitrio viveretur.
Sed hoc magnam perturbationem confuſionemque cauſaret in Republica. Ergo.

S. P. Ubicunque non eſt *ratio* architectonica boni communis, quæ rerum faciendarum dictamina præſcribat, ibi non *poteſt* eſſe bonum regimen.
Hoc fieret in ſtatu politico ſine capite. Ergo.

Vo. P. Ubicunque non eſt *amor*, *bonum* commune promovens, ibi conſequens ſalus populi eſſe non poteſt, neque bonum *regimen*.
Hoc fieret in ſtatu politico ſine capite.
Ergo conſequens ſalus populi eſſe non poteſt, neque bonum regimen. Ergo hoc neceſſarium.

Vi. P. Ubicunque ſumma poteſtas eſt *virtutibus* ſtatui convenientibus fulta, ibi mala inundare non *poſſunt*.
Hoc fit ſub capite. Ergo.

Ve. P. Ubicunque dominatur *veritas* & Juſtitia, ibi optimum *Regimen* eſſe neceſſe eſt.
Hoc fit ſub principe vero & juſto. Ergo.

G. P. Ibi eſt vera *ſtatus* politici *gloria*, ubi omnia in bonum finem diriguntur, id eſt, ad ſalutem populi, DEIque cultum.
Hoc fit ſub principie boni publici Religioniſque amatore. Ergo.

⚌. P. Ibi *Regimen* bonum eſſe non poteſt, ubi non eſt, qui *diſcordes conciliet*, *lites* dirimat, *diſſidia* componat.
Hoc fit in Republica ſine capite. Ergo.

♡. P. Ibi bonum *regimen* eſſe non *poteſt*, ubi nullus datur, qui animos in bonum commune *uniat* & *concordet*.
Hoc fit in Repub. ſine capite. Ergo.

○●. P. *Bella*, *odia*, *diſſidia*, omnia deſtruerent, ſi non eſſet, qui contrariantium animos quà *legibus*, quà *pœnis compeſceret*.
Hoc fieret in Repub. ſine capite. Ergo.

α. P. Illud Regimen ſolùm eſt bonum & neceſſarium, quod omnem ſuum à primo *principio* DEO Opt. Maximo, influxum accipit.
Hoc fit ſub Principe DEI honoris zelante.

⊙. P. Illud ſine quo non *obtinetur* finis, illud eſt *medium* ad finem obtinendum neceſſarium.
Beneficiorum collatio à principe in ſubditos facta, eſt medium tale. Ergo.

ω. P. Illud eſt bonum & neceſſarium *regimen*, ſine quo Reſpub. deſideratam *felicitatem* conſequi non poteſt.
Sed in regimine ſine capite non poteſt eam conſequi. Ergo.

Per
- M. P. Quantò *regimen* eſt *majus* & rectius, tantò majora bona confert.
  Tale regimen eſt principis recti, juſti & ſapientis. Ergo.
- Æ. P. Ubi omnes prætendunt conditione eſſe *æquales*, ibi non poteſt eſſe perfectum *regimen*.
  Hoc fit in Repub. ſine capite. Ergo.
- Min. P. In omni ſtatu politico datur major & *minor* gradus, ſine quibus conſervari non *poteſt*.
  Sed in Repub. ſine capite non daretur major & minor gradus.
  Ergo conſervari non poſſet ; ergo neceſſarium eſt caput in Republica.

Argumenta à Subjectis Univerſalibus.

A △ Mundus ſubſiſtere non poſſet, niſi & providentia DEI, & Angelorum miniſterio gubernaretur.

Ab Mundus *Angelicus* ſubſiſtere non poſſet, niſi à DEO Opt. Max. conſervaretur; neque ſubſiſtere poſſet, ſi non eſſent diverſi Angelorum ordines, quibus unus illuminans alterum perficeret; omnes autem tres Hierarchiarum Chori ab uno DEO.

A ◎ *Cæleſtia* corpora ſubſiſtere non poſſent, niſi unum alterum, ſuperius inferiora virtute ſua influxiva foveret & conſervaret.

Ab *Elementa* ſubſiſtere non poſſent, ſine activo omnium principio, igne, & veluti elementorum principe.

Ab De *homine* jam dictum eſt.

Ab Docent nos hanc neceſſitatem regiminis nonnulla ſocialia *animalia*, uti oves, & grues, aliæque nonnullæ volucres ſociales, in quarum volatu unum ſemper ducem exercitus præire natura docet.

Ab Quod in *vegetabili* natura arbor ſine radice, hoc in politico ſtatu Reſpub. ſine capite.

Sicut enim arbor per radicem nutrimentum ſuum aſſumit, quo aluntur omnia, ramos expandit arbor, in flores enitefcit, in fructus protuberat, ſeminibus fœcundatur, ſine qua totam arborem exſiccari neceſſe eſt : Pari pacto caput Reipublicæ eſt Princeps; eſt enim homo, teſte Platone, arbor inverſa, à quo omnia membra nutrimentum hauriunt, & emolumentum percipiunt, cujus ope in varios conditionum ſtatus diſponitur, & tandem exoptatis fructibus fruitur. Sed hæc juxta Artem analogicam fuſiùs tibi deducenda relinquo.

Hæc eadem extendere poteris per Alphabeti Columnas. *V. Gr.*

B. Ubi *bonum* regimen eſſe non poteſt, ubi non eſt boni communis participatio.
In Repub. ſine capite non eſt talis participatio. Ergo.

=. Ubi perpetuæ *differentiæ* & *diſſidia* inter ſubditos, ibi bonum regimen eſſe non poteſt.
Hoc fit in Repub. ſine capite. Ergo.

Utrum. An Regimen ſaltem aliquod ſine capite eſſe poſſit?
Reſpond. negat. Et probatur inductione per omnes ſtatus Politicos, Eccleſiaſticum, Oeconomicum, Monaſticum.

△. Quod ad feliciùs gubernandum, omnis principatus à DEO ſit inſtitutus.

Juſtitia. Ubi non eſt *Juſtitia* neque Lex, neque Legiſlator, ibi regimen bonum eſſe non poteſt.
Hoc fit in Repub. ſine capite. Ergo.

Avaritia. Ubi unusquiſque ex *Avaritia* inſtimulatus, quærit quæ ſua ſunt, ibi bonum regimen eſſe non poteſt.
Hoc fit in Republica ſine capite. Ergo.

Hæc eadem per reliquas ordine Columnas tam rectas quam tranſverſas innumeris modis oſtendere poteris.

CAPUT

CAPUT III.

PARADIGMA II.

Principem decet eſſe munificum & liberalem, ita deducitur.

Per

B. QUod ſeſe *diffundit* in omnes, ſumma bona inde conſequi neceſſe eſt.
Princeps munificus & liberalis ſe diffundit in omnes.
Ergo ſumma inde bona conſequi neceſſe eſt.

M. *Magnæ* poteſtatis collatio non fit, niſi ſpe magni auxilii.
In Principem magnæ poteſtatis collatio facta fuit.
Ergo non niſi ſpe auxilii magni, quæ eſt munificentia & liberalitas principis.

D. Illud Imperium ſummum eſſe neceſſe eſt, quod liberalitate & clementia *ſtabilitur*.
Tale imperium eſt Principis munifici & liberalis. Ergo.

P. Quod augetur beneficiorum collatione, id omne cedit in ipſius *poteſtatis* dominatricis incrementum.
Per Principem munificum & liberalem augetur beneficiorum collatione Reſpubl. Ergo.

S. Poteſtas Principis *Sapientis* eſt ſtabilimentum Regni.
Talis eſt poteſtas Principis munifici & liberalis. Ergo.

Vo. Ubi non eſt *amor* principis erga populum, ibi regimen bonum eſſe non poteſt.
In principe illiberali & avaro hoc fit. Ergo.

Vi. Ubi quatuor *virtutes* morales dominantur in principe, ibi non poteſt non eſſe deſiderata felicitas.
Sed ubi eſt munificentia & liberalitas, ibi implicitè continentur 4 virtutes morales. Ergo.

G. Ubi eſt *glorioſum* regimen, ibi pax, quies, tranquillitas & felix Reipub. ſtatus floret.
Hoc fit ſub principe munifico & liberali. Ergo.

=. Ubi non *diſtrahuntur* bona ſubditorum, neque injuſta exactione onerantur, ibi ſeditiones dominari non poſſunt.
Munificus & liberalis princeps non diſtrahit bona ſubditorum, neque injuſtè illos onerat.
Ergo ſub tali ſeditiones dominari non poſſunt.

♡. Liberalitas & Munificentia principis cauſat *concordiam* & *unionem* inter ſubditos.

o●. Liberalitas & Munificentia principis omnia Reip. *contraria* avertit, dum quiſque cavet principem offendere, à quo multa emolumenta exſpectat.

α. Liberalitas & Munificentia principis *cauſat* omnem felicitatem alicujus Reipublicæ.

⊙. Liberalitas principis *medium* eſt ad ſubditos in officio continendos.

ω. Liberalitas principis pro *fine* habet ſubditorum felicitatem.

M. Liberalitas principis *Majoribus* majora beneficia confert.

Æ. *Æqualibus* æqualia.

Min. *Minòribus* Minora, juxta Juſtitiam diſtributivam.

SECTIO II.

Theologia poſitiva.

PARADIGMATA.

CAPUT I.

Quomodo Artis noſtræ induſtriâ, quodlibet ex Sacris Literis aſſumptum thema exponi poſſit, & expoſitum innumeris modis ampliari.

Sit Locus ex 1. Pſalmo, verſu 1. aſſumptus.

Beatus Vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, &c.

HAnc ſententiam primùm per Artis noſtræ principia paraphraſticè deduces, hoc pacto: primo quidem ſingula membra, deinde totam reſolves ſententiam. Primum verbum eſt *Beatus*. Quoniam verò beatitudo multipliciter conſiderari poteſt, eam ſic deduco:

B.		*Summi boni* aſſequendi ſpe fertur.
M.		Magnâ fiduciâ in *magnarum* promiſſionum à Chriſto factarum ſpem fertur.
D.		*Æternam* felicitatem ſe ſperat aſſecuturum.
P.		Omnes potentias & *facultates* applicat ad ſummi boni conſecutionem.
S.		In *lege* Domini meditatur die ac nocte.
Vo.		Totum *amorem* & *deſiderium* ſuum convertit ad bonorum cœleſtium divitias.
Vi.		Animam neceſſario *virtutum* cultu imbuit.
Ve.		*Veritates* æternas ſemper meditatur.
G.	Beatus Vir, qui	Ad æternæ vitæ *gloriam* perpetuò anhelat.
=.		Eam ob cauſam *ſeparat* ſe ab omnibus Mundi voluptatibus.
♡.		*Unionem* cum DEO & Chriſto ſemper appetit.
⚬●.		Æternæ felicitati *contraria* vitat, ut ſunt Mundi gaudia, divitiæ & voluptates.
α.		Cujus mens perpetuò adhæret uni rerum omnium *principio*.
⊙.		Totus eſt in *mediis* ad felicitatem æternam conſequendam, eligendis.
ω.		Unicè intendit *fini ultimo* rerum.
M.		Cui nihil majus videtur, quàm ultimi finis attactus.
Æ.		In perfecta quadam vitæ *mediocritate* conſiſtit.
Min.		Omnia tanquam *ſtercora ducit*, ut Chriſtum lucrifaciat.

Secundum, qui non abiit. *Per contrarietatem* B. M D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.

B.		In commercium *impiorum*.
M.		Poſt ea, quæ viam ad *omnem iniquitatem* aperiunt, dilatantque.
D.		In converſationem reproborum, ibique animam ſuam *figit firmatque*.
P.	Qui non abiit	In *poteſtatem* Tyrannidis Satanicæ.
S.		In *legis doctrinæque* divinæ violationem.
Vo.		In *appetitus* pernicioſos, & deſideria carnis.
Vi.		In *virtutum* omnium contemptum.
Ve.		Poſt *falſitatum* ſecularium mundanarumq; fallacias & vanitates.
G.		Poſt mundanæ *gloriæ*, honoris, dignitatis, ambitionem.

=. Qui

Qui non abiit:

⚌.	In *differentes* poteſtatis diabolicæ laqueos.
♡.	Poſt carnales hominum *amicitias*.
o●.	Poſt ea, quæ divinæ *voluntati contrariantur*.
α.	Poſt *principia* & occaſiones malorum tam animæ, quàm corporis.
⊙.	In electionem *mediorum*, ad finem ultimum non conducentium.
ω.	In *finem* temporalis felicitatis.
M.	Poſt *dignitates*, honores, divitias.
Æ.	Poſt vitam, qua ſimilis *æqualiſque* fiat jumentis inſipientibus.
Min.	In *defectus* & peccata, quæ gratiam DEI tollunt.

Tertium, in conſilio impiorum. *Utrumque per oppoſita principiis univerſalibus.*

In conſilio non abiit … Impiorum.

	In conſilio non abiit		Impiorum.
B.	Peſſimo.	B.	Hominum omnis *bonitatis* moralis expertium.
M.	Parvi momenti.	M.	Omni *extenſione ad magna* peragenda carentium.
D.	Inſtabili.	D.	Nullam in bonis *perſeverantiam* habentium.
P.	Impotenti.	P.	Quorum tota *poteſtas* eſt in vitiorum propagatione.
S.	Ignaro, Inexperto.	S.	*Mente* & *intellectu* vacuorum, vitiiſque excæcatorum.
Vo.	Senſualium voluptatum.	Vo.	Carnalium deſideriorum *amori* inſervientium.
Vi.	Vitioſo.	Vi.	*Vitiis* & voluptátibus ſervientium.
Ve.	Falſo.		
G.	Inglorio.	G.	*Gloriam* in turpitudine quærentium.
⚌.	Litibus & diſſidiis implicato.	⚌.	A gratia DEI *ſeparatorum*.
♡.	Diſcordi & pacis experte.	♡.	*Diſcordiis* & intranquillitate mentis à DEO *disjunctorum*.
o●.	*Contrariis* vitiis expoſito.	o●.	Peccatis & iniquitatibus *oppoſitis* virtutibus refertorum.
α.	*Cauſa* malorum omnium.	α.	Quorum *finis* eſt *cauſare* mala, & DEO *origini* bonorum omnium ſeſe opponere.
⊙.	Sine *mediis* ad finem.	⊙.	Illegitimis *mediis* beatitudinem quærentium.
ω.	Cujus *finis* eſt interitus.	ω.	Quorum pro *fine*, Deus venter eſt.

Et ſic de cæteris.

Unde ſic argumentor.

Per:

B.	Quicunque poſſidet *communicationem bonorum* omnium,	Beatus eſt.	Sed talis eſt, qui exiſtens in gratia DEI, non abiit in conſilio impiorum, neque in via peccatorum ſtetit. Ergo.
M.	Qui intendit ſolam *magnitudinem* præmiorum cœleſtium,		
D.	Qui *æternis* theſauris inquirendis ſolùm incumbit,		
P.	Qui *potentiam* humanam, dominium, divitias ſpernit,		
S.	Qui *ſapientiæ* diuinæ perpetuò inhiat,		
Vo.	Qui id, quod *amabile* & *deſiderabile* animæ eſſe poteſt, poſſidet,		
Vi.	Qui omnium *virtutum* perfectionem & cumulum obtinet,		
Ve.	Qui omnis *doli* & *fallaciæ* expers, unicam veritatem amplectitur,		
G.	Qui poſſidet omne *gaudium* & *gloriam*.		

Per 4 Species Quæst. *Utrum?* & ſunt:

Neceſſarium. Contingens. Impoſſibile. Poſſibile.	Qui poſſidet ens	Neceſſarium & per ſe, id eſt DEUM, Cui nunquam contingit in aliquo variari, Cui impoſſibile eſt differre, Cui poſſibile eſt totum quod eſt factibile,	Beatus eſt.	Talis eſt qui exiſtens in gratia DEI, non abiit: &c. Ergo.

Per Species Quæſt. *Quid?*

Qui poſſidet	Ens totale & abſolutum, Correlativa totius bonitatis, Inclinationes & propenſiones attributorum DEI, Influxum perfectionum DEI,	Beatus eſt.	Talis eſt, qui exiſtens in gratia DEI, non abiit in conſilio impiorum, neque in via peccatorum ſtetit. Ergo.

Et ſic de cæteris ſpeciebus Regularum.

Per novem Subjecta Univerſalia.

Ille beatus eſt, qui

△ Se obligat ad ſerviendum *DEO* totis viribus.
Virtutum ſtudio *Angelicis mentibus* ſe ſimilem facit.
Donorum *Cœleſtium*, per DEO beneplacitam diſpoſitionem ſe capacem reddit.
□ *Elementis* Mundi renunciat, deſpicitque omnia Mundum redolentia.
Sapienter & prudenter juxta *legem* divinam omnes actiones humanas diſponit.
Appetitum *ſenſitivum* & animalem ſpiritui perfectè ſubjicit.
Virtutum *ſementem* per bonæ vitæ exempla in animos proximorum ſpargit.
Pretioſis virtutum *lapidibus* in Cœlo ſibi domum exſtruit.

Deinde per 9 prædicamenta: Quantus talis ſit? qualis ſit? quid reſpiciat? quales actiones, paſſiones &c.

Quæ omnia per Quæſtiones denuò ampliari poſſunt, ad innumerarum propoſitionum congeriem.

CONSECTARIA.

Cùm itaque tales, quales deſcripſimus per propoſitiones, ſint verè beati; ergo contrà infelices & minimè beati, cujuſmodi ſunt, Qui

1. B. Soli acquiſitioni *bonorum* temporalium nimia cura incumbunt, & divitias per fas & nefas congerere deſiderant; hæc enim impediunt cœleſtium bonorum deſiderium.
2. M. Quicquid in Mundo *magnum* eſt, uti dignitates, honores, famam, nimia anxietate quærunt; quia diſtrahunt à DEO, & à verâ beatitudine.
3. D. Voluptatibus mundanis inſiſtentes, palatia, domos, hortos, ſimiliaque, neglecto DEI cultu, quaſi ſemper hîc *duraturi*, ædificant.
4. P. *Poteſtate* & gloria mundana ineſcati à divinæ poteſtatis juriſdictione, quam habet in omnia, ſtultè ſe ſubtrahunt; quia odium DEI generant.
5. S. Regnorum & dominiorum curis perplexi, ambitioſè & contra DEI *legem*, omni abacta juſtitia, tyrannicè omnia ſibi vendicant.
6. Vo. *Voluntatem* ſuam totaliter applicant ad bona temporalia & viſibilia, ea nimis *amando*; quia talis amor eſt contrarius divino.

7. Vi.

7. Vi. Repudiatis *virtutibus*, ſe vitiis & voluptatibus mundanis mancipant; quia hæc omnia divertunt à DEO, & ab æterna beatitudine.

8. Ve. Soli *veritati*, quam ex ſcientiis hauriunt, intendunt, omnibus neglectis Religionis & legum divinarum, operumque bonorum exercitiis.

9. G. Soli proprii *honoris* & *gloriæ* vanitati ſtudent, laudeſque temporales unicè quærunt; quia hi acceperunt mercedem ſuam, DEO inviſi.

10. ⵌ. *Deſpectu* humilium, ſanctorumque *conſortio*, ſolo magnorum potentiumque commercio gaudent & ſtultè gloriantur.

11. ♡. Nulla habita ratione *unionis* cum DEO, in noxiis & animæ perniciosis negotiationibus verſantur.

12. o●. Animi perturbationibus veluti Euripus quidam, perpetuo magna *contrarietate* agitantur.

13. α. Cum *cauſa* poſſunt eſſe magnorum bonorum, per oppoſitos operationum effectus, inſtrumenta Satanæ fiunt ad multorum perditionem.

14. ⊙. Per *media* ſaluti prorſus contraria quærunt felicitatem ſuam.

15. ω. *Fines* ſuos ponunt in divitiis, honoribus, gloria terrena, aliiſque mundanis voluptatibus.

16. M. *Majorem* DEI gloriam nunquam & nullibi quærunt; ſed intentione perverſa magis quæ ſua, quàm quæ DEI ſunt, ambiunt.

17. Æ. Dæmonibus ſe ſcelerata vita *æquales* reddunt.

18. Min. *Humilitatem* Chriſtianam contemptui habent, & ſuperbiâ elati evaneſcunt in cogitationibus ſuis.

Tales ſunt omnes, qui abeunt in conſilio impiorum, & in via peccatorum morantur, omnis felicitatis expertes.

Hos terminos ſi invertas, habebis felicem beatorum hominum ſortem.

Quorum ſingula ex Sacris literis, variis modis comprobari poterunt. *V. Gr.* Ex ſolis Proverbiis Salomonis, habebis innumeros

Locos:
1. *Theologicos.* De timore DEI, de fide, ſpe, charitate, oratione &c. de impiorum, piorumque differenti exitu.
2. *Politicos.* Uti ſunt, ſupplicia de facinoroſis ſumpta; conſervatio Regnorum; conſilia ex corruptela morum; veri & falſi teſtes contractuum.
3. *Oeconomicos.* De uxore, de mulieris bonæ encomio; de obedientia parentibus præſtanda; conſervatione & everſione domus.
4. *Ethicos.* De ſapientia, prudentia, conſilio, ſtultitia, juſtitia, fortitudine, temperantia, continentia, patientia, amore, odio, invidia, cæteriſque virtutibus & vitiis.
5. *Miſcellaneos.* De conjunctione cum bonis & malis; de felicitate bonorum impiorumque infelicitate; de divitiis juſtis, & injuſtis, & innumeris aliis.

Qui omnes termini juxta ordinem & ſeriem principiorum noſtrorum facilè diſponi poſſunt. Videlicet:

		Ex Lib. Eccleſiaſtici.
B.	De *Bonitate* juſtorum, & malitia impiorum.	C.14. v.2. c.11. v.23. c.16. v.17.
M.	De *Magnitudine* præmiorum pro juſtis, & pœnarum pro impiis.	C. 6. v. 18. c. 13. v. 2.
D.	De *Conſtantia* juſtorum in bonis operibus; de inſtabilitate impiorum in iiſdem.	C. 24. v. 10. c. 25. v. 28.
P.	De *Potentia* juſtorum in exequendis divinis præceptis; de impotentia reproborum in iis amplexandis.	C. 16. v. 30. c. 21. v. 10.
S.	De *Sapientia* juſtorũ; de inſipientia impiorum.	C. 17. v. 24. c. 14. v. 33.
Vo.	De *Amore* juſtorum erga DEUM; de odio impiorum erga eundem.	C. 25. v. 21. c. 26. v. 26.
Vi.	De *Virtutum* exercitio in juſtis; de vitiorum exercitio in improbis.	C. 25. v. 16. c. 4. v. 27.
Ve.	De *Veritate* actionum juſtorum; de falſitate actionum improborum.	C. 12. v. 19. c. 26. v. 28.
G.	De *Gloria* juſtorum, quam exſpectant; de infamia impiorum quam incurrunt.	C. 16. v. 4.

Et ſic de cæteris; quæ finem non habent.

Innu-

Innumera hoc loco adduci possent, ex aliis Artis nostræ Regulis & præceptis, ad argumentum ampliandum deprompta; Sed quia specimen hoc tale est, ut juxta id, qualecunque alterum pari methodo, quis variare possit; consultò sisto calamum, ad alia progressurus.

SECTIO III.

Ex Morali Theologia,

SIVE

Ex Casibus Conscientiæ, Paradigmata.

Per hanc Artem nostram Casus quoque Conscientiæ facillimè solvi posse, unico exemplo demonstrandum duxi. Sit itaque Casus talis.

CAPUT I.

Quæst. *Utrum votum à puero septenni aut octenni factum, necdum plenum rationis usum habente, sit validum?*

Primo examinabis casum juxta quadruplex causarum genus.

Causa	Finalis	est	Votum ingrediendi Religionem.
	Formalis		Consensus rationis non plenus.
	Efficiens		Puer sub potestate patris constitutus.
	Materialis		De re licita.

Hunc itaque casum per Artis nostræ principia ita resolve.

Per

B. Ubi non est *perfectio* rationis, ibi votum factum validum esse non potest.
Hoc fit in puero septenni aut octenni. Ergo.
Quia talis non habet plenum usum rationis.

M. Quicunque vovet rem *magnam* & arduam, sine pleno rationis usu, illud votum validum esse non potest.
Hoc fit in puero octenni. Ergo.

D. Ubi *durat* adhuc infantilis ætas, ibi votum factum validum esse non potest.
Hoc fit in puero octenni. Ergo.

P. Qui non *potest* uti adhuc libertate disponendi de se, hic non *potest* validum votum facere.
Hoc contingit in puero octenni. Ergo.

S. Ubi nondum est *judicium*, nec maturitas ad ratiocinandum & discurrendum, ibi votum validum statui non potest.
Hoc fit in puero octenni. Ergo.

Vo. Quando *voluntas* sive libertas filii ob immaturitatem judicii dependet à voluntate patris, ibi votum validum constitui non potest.
Hoc fit in puero septenni aut octenni. Ergo.

Vi. Quando necdum sese *vis* ratiocinativa exerere potest, tunc votum quoque factum validum esse non potest.
Hoc fit in puero septenni aut octenni. Ergo.

Ve. Ubi nondum maturuit vis apprehensiva *veritatis*, ibi votum constitui non potest.
Hoc fit in puero octenni. Ergo.

G. Quando *finis* non percipitur, nisi valdè obscurè & imperfectè, ibi votum validum constitui non potest.
Hoc fit in puero octenni. Ergo.

=. Quando

Per

=. Quando nondum cognoſcitur plenè *differentia* inter bonum & malum, ibi votum irritum eſt.

♡. Quando voluntas necdum *concordat* cum appetibili ob immaturitatem ætatis, tunc votum factum irritum eſt. Hoc fit. Ergo.

o●.. Quando in re appetenda nondum prævidentur *oppoſitæ* difficultates, tunc votum invalidum eſſe, neceſſe eſt.
Hoc fit in puero octenni. Ergo.

α. Quandocunque puer, *cauſa efficiens* voti, *v. gr.* ingrediendi Religionem, eſt adhuc ſub poteſtate patris, tunc votum à patre irritari poteſt; quia nullum fuit. Sed hoc fit. Ergo.

Quando *cauſa formalis*, id eſt, conſenſus nondum plenus & deliberatus fuit, neque actus propriè humanus cenſeri poteſt, tunc votum nullum eſt. Hoc fit. Ergo.

Etiamſi *cauſa materialis* voti facti à puero octenni fuerit de re licita, id tamen nullum eſt; quia à patris poteſtate & voluntate dependet. Ergo.

Etiamſi quoque *cauſa finalis* movens puerum ad ingrediendam Religionem fuerit Bona, M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. quia tamen non habuit plenum conſenſum, id nullum erit.

⊙.ω. Ubi necdum conſtitui poteſt de *electione mediorum* ad *finem*, conſilium, ibi votum quoque validum eſſe non poteſt.
Hoc fit in puero octenni. Ergo.

M. Ubi non eſt adhuc *majoritas* ſufficiens ad deliberandum, ibi votum conſtitui non poteſt.
Hoc fit in puero octenni.

Æ. Ubi non eſt *proportionata* voluntas ad eligenda media, ibi votum conſtitui non poteſt.
Hoc fit in puero octenni. Ergo.

Min. Ubi judicium *minus* eſt, quàm ut de ſtatu eligendo deliberare poſſit, ibi quoque de ſtatu eligendo votum conſtitui non poteſt.
Hoc fit in puero octenni. Ergo.

Habes hîc 24 rationibus reſolutam propoſitam quæſtionem, quam ſi ulteriùs ampliare volueris, id nullo negotio per Quæſtiones, earumque ſpecies modo in antecedentibus inſinuato præſtabis. Quare unum hîc exemplum, ad innumera alia, parallela ratione, formanda, ſufficiat.



ARTIS MAGNÆ SCIENDI, SIVE COMBINATORIÆ, LIBER UNDECIMUS,

IN QUO

Doctrinæ variæ variis modis ampliandæ methodus traditur.

Caput I.

De modo procedendi in Themate quodam quocumque tandem assumpto, præsertim in rebus Physicis.



ESt hoc admirandum Artis nostræ specimen, quod qui rectè penetraverit, eum jam finem suum in acquisitione omnium scientiarum aliquo modo consecutum esse affirmo. Verùm ut cum methodo Artis nostræ propria progrediamur, pro specimine assumemus hominem, in quo universam non Physicæ tantùm scientiam, sed & Medicinæ, Ethicæ, Politicæ, Theologiæ, comprehendi, paucis declarandum duximus; ut inexhaustas Artis nostræ divitias propiùs curiosus intueatur Lector.

Sit assumptum thema, *Homo*; qui cùm partim Physicè & Medicè, partim Ethicè & Theologicè consideretur; omnes hujusmodi facultates in eo exhauriuntur; cùm nihil in dictis, quod non pro objecto hominem statuat, comprehendatur. Et primò quidem si juxta Physicæ præcepta eum tibi dilucidandi sit animus; sic age.

§. I.

De gradu elementari in homine.

Homo considerari potest vel quoad *corpus*, vel quoad *animam*, ex quibus compositus est; adeóque homo nihil aliud sit, quàm compositum physicum ex anima rationali & corpore. Et primò quidem, quæ de corpore humano fieri possunt propositiones, hoc pacto in titulos & capita disponere potes.

B. De perfectione corporis humani, quod omnes naturæ gradus continet.
M. De compositione corporis humani ex quatuor elementis.
D. De duratione corporis humani, sive de ætate hominis.
P. De potentiis & facultatibus hominis quoad corpus.
S. De potentiis exterioribus & interioribus hominis.
Vo. De appetitiva facultate hominis.
Vi. De viribus hominis quoad vitales & animales operationes.
Ve. De veritate constitutionis hominis, qua fit ex omnibus.
G. De fine hominis.
☰. De differentia partium in humano corpore.
♡. De concordantia & harmonia singularum partium ad unum.
o●. De contrariis ex quibus homo constat.
α. De causis & principiis, id est, de generatione hominis.
⊙. De mediis ad eum conservandum.
ω. De finibus hominis.
M. De majoritate & præeminentia hominis.
Æ. De æqualitate ad angelos comparata.
Min. De minoritate sive de defectibus hominis; ubi de monstris.

Compa-

Comparatio ad Subjecta univerſalia.

△ De illo, quod Divinum eſt in homine.
De illo quod eſt in eo Angelicum.
◎ Quomodo ſubdatur cœleſtibus influxibus.
□ De compoſitione hominis ex elementis.
De generatione hominis.
De natura ſenſitiva in homine.
De natura vegetabili in homine.
De elementari natura in homine.
⁙ De inſtrumentis, quibus homo opus habet ad operandum & ad ſe conſervandum.

Per novem Prædicamenta.

1. De Quantitate hominis.
2. De Qualitate ſive de proprietatibus hominis.
3. De Relatione hominis ad △. . alios homines, . . &c.
4. 5. De Actionibus & paſſionibus hominis.
6. De ubi hominis, ſive de localitate.
7. De Quando hominis, ſive de temporalitate.
8. De Sitûs hominis vera ratione.
9. De Habitu hominis.

Habes hîc Lector 36 Capita de Homine, in quibus quidquid in univerſa Phyſica, Ethica, Medicina, continetur, implicitum latet. Quomodo autem illa evolvi debeant, dicendum eſt.

Primò utêris novem Artis noſtræ de Quæſtionibus Regulis. Secundò, applicabis ſpecies ſingularum Regularum. Species Regulæ de Quæſtione *Utrum*, ſunt, neceſſarium, poſſibile, impoſſibile, contingens.

Secunda ſpecies de Quæſtione *Quid*, ſeu de Definitione rerum, ut quid ſit in ſe eſſentialiter, quid in alio; Secundò, quæ ſint ejus coëſſentialia; tertiò, de propenſione extrinſeca rei; quartò de actibus, ut quid intellectus in intellectu ſit, cognoſcamus.

Tertia ſpecies Regulæ de — *Cur*, ſunt quatuor genera cauſarum: Cauſa formalis & finalis, cauſa efficiens, materialis.

Quarta ſpecies Regulæ de — *Quantum*, continet in ſe, quantitatem rei tam continuam, quàm diſcretam; ubi de diviſione rerum.

Quinta ſpecies Regulæ de — *Quale*, Qualitates rerum exprimit; ubi de habitu, diſpoſitione, forma, figura, agitur.

Sexta ſpecies Regulæ de — *Quomodo*, Modalitatem continet: quomodo ſit aliquod totum in parte, quomodo pars in toto; quomodo totum tranſmittat ſimilitudinem ſuam extra ſe.

Septima ſpecies Regulæ de — *Quando*, Durationem rerum continet quoad tempus & quinque habet, quas ſupra in §. de ſpeciebus in Quando, vide.

Octava ſpecies Regulæ de — *Ubi*, ſive, de loco, habet uti prior 5 ſpecies, quas ſuo loco traditas vide.

Nona ſpecies Regulæ de — *Quocum*, *de quo*, primitivè, derivativè, & poſſeſſivè.

Ex his Regulis Quæſtiones formabis hoc modo:

1. *An humanum corpus ita perfectum ſit, ut quid perfectius fieri non potuerit?* ℞. Quod ſic. Quia ſpecies rerum ſunt contracta maxima, quæ ſub ſtatu iis conveniente magis perfici non poſſunt.
2. *Quid. In quo conſiſtat illa perfectio?* ℞. Conſiſtit in anima rationali, nobiliori parte hominis; intellectu enim homo DEO & Angelis aſſimilatur.
3. *Quanta ſit illa perfectio?* ℞. Eſt tanta, ut homo ſolus omnia, quæ in ſenſibili & inſenſibili Mundo exiſtunt, intellectu omnia factus, comprehendat.
4. *Qualis ſit illa perfectio?* ℞. Illam conſiderari quoad corpus, & quoad animam: quoad corpus, nihil ipſi deeſt potentiarum ad rectè operandum in omnibus.
5. *Cur* DEUS *tam nobilem creaturam fecerit?* ℞. Quia bonitas DEI diffuſiva ſui hominem creavit, ad gloriam ſuam, ut eum cognoſceret, amaret, & tandem eo perpetuò frueretur.
6. *Quomodo perfectionem illam conſtituerit?* ℞. Innumeris modis, operationibus humanis exequendis neceſſariis.
7. *Ubinam perfectionem illam acquiſiverit?* ℞. Originaliter in paradiſo, per propagationem verò ex ſeminali virtute patris in utero matris.
8. *Quando illam acquirat, quo tempore?* ℞. Originaliter à rerum primordiis, Adam, & deinde per ſucceſſivam propagationem in hunc uſque diem.
9. *Quibus inſtrumentis operetur?* ℞. Facultatibus tam interioribus quàm exterioribus; de quibus poſtea.
10. *Unde ſit illa perfectio?* ℞. A DEO, qui ad ſimilitudinem & imaginem ſuam formavit hominem.

His finitis, procedes ad ſecundam quæſtionem, de *compoſitione* hominis; de qua quæritur:

Quidnam ſit illa compoſitio hominis? ℞. Hominem eſſe compoſitum ex corpore & anima; Deinde, quoad corpus, eſſe compoſitum ex quatuor elementis, mixtum perfectum.

Ignis enim maxime apparet ex calore quo abundat.

Aër in humiditate sanguinis & halituum.

Aqua in sputo, aliisque humoribus aqueis.

Terra, in sordibus & excrementis.

Ignis enim agit cum igne seu calore innato sibi intrinseco & naturali.

Aër cum humiditare sibi intrinseca & naturali.

Aqua cum frigiditate sibi intrinseca & naturali.

Terra cum siccitate. Quibus ad invicem operantibus nascitur mixtum.

De quibus totidem novi tituli confici possunt, progrediendo juxta seriem principiorum; uti:

1. } Per { B. De *communicatione* caloris innati in homine. An, & quid; quomodo; cur; quantum; quale; ubi; quando, communicet.
2. M. De *extensione* talis caloris in homine. An ad omnia corporis membra se extendat; quomodo; cur; quando, &c.
3. D. De *conservatione* talis caloris. An videlicet conservetur per nutrimenti assumptionem, an per nutritionem. Quid sit ista; quomodo; qualis; quando; ubi, &c.
4. P. De *potentia* & efficacia talis caloris. An in eo consistat vita hominis; quid sit, quantus, qualis, cur, &c.

t sic de *instinctu*, *appetitu*, *virtute*, *veritate*, *gloria*, pari pacto procedes.

Deinde procedes ad Aëris, Aquæ, Terræ, propositos effectus; quorum unumquemque denuò per novem aut octodecim principia dicta methodo resolves; *V. Gr.*

B. De *diffusione* aëris interni, seu spirituum halituumque diffusione in universum corpus. An; quid; cur; quanta; qualis; ubi, &c. illa sit communicatio.

M. De *extensione*; de duratione; potentia; instinctu; appetitu, &c. talis interni aëris & innati nobis.

Iterum, similia propones de Aquæ, sive humorum in corpore humano, dominio; ubi copiosa se aperit de quatuor humoribus disputandi materia. Et de Terræ siccitate, sive terrestri in hominibus substantia ad subsistendum ordinata.

De Temperamento hominum.

His quoque discussis, excurres ad naturalem hominum constitutionem, complexionem, seu temperamentum: quodnam illud sit? quomodo cognoscendum? &c. quæ per 18 Artis principia hoc modo dispones.

B. Ex quonam temperamento resultet *perfectior* & melior hominum complexio?

M. Ex quo; unde; quomodo; quibusnam de causis, corporum *magnitudo* aut parvitas proveniat.

D. Unde fiat, ut nonnulli homines *longioris vitæ*, alii *brevioris*, alii *mediocris* vitæ sint; & ex quo temperamento singula provenerint.

P. Unde robur, fortitudo & *potentia* in nonnullis hominibus; & contrà imbecillitas, impotentia, &c.

S. Unde fiat, homines nonnullos esse *sapientissimos*, nonnullos *stolidissimos*, quosdam *mediam* rationem tenere.

Vo. Unde contingat, ut nonnulli ad *amores*, *amicitiam*, & venerea tantoperè inclinentur, alii verò contrà.

Vi. Unde fiat; quod homines nonnulli naturaliter ad *virtutum* exercitium inclinent, alii contra ad *vitia*.

Ve. Unde fiat, quod nonnulli *veritatis* amantissimi, fideles, sinceri, candidi; nonnulli falsi, infideles, dolosi, versipelles & mordaces reperiantur.

G. Unde, quod nonnulli tantopere *gloria* & *laude* humana afficiantur; contra alii infamiæ potiùs ex vitiorum quæstu sibi comparent laudem.

☰. Unde tanta *differentia* hominum, quoad ingenia, mores, inclinationes; ubi de virtutibus & vitiis Nationum diversarum ingens discurrendi datur copia.

♡. Cur homines tantopere felicitatem quærant, & per diversa media in unum aliquem finem *concordent*.

○●. De *contrarietate* hominum, de ingeniis, moribus, vita, inclinatione, sympathia & antipathia.

α. De *causis* proximis hujus varietatis.

⊙. De

⊙. De diversissimis *mediis*, quibus omnes homines in *unum finem collimant*; ubi de diversitate institutorum, artium, professionum, &c.

ω. De diversitate *finium*, qua homines ad operandum moventur & incitantur.

M. Cur aliqui homines *majores* aliis, ingenio, capacitate, ubi de diversitate talentorum.

Æ. Cur æquales *æqualibus*, similes similibus tantopere afficiantur.

Min. Cur nonnulli, ad *infima*, *vilissima*, & abjectissima opera facienda animum adjiciant.

Hæc omnia ex Physiognomica arte, ex temperamentorum videlicet varia constitutione solvi possunt; De quibus nos in particulari tractatu.

Per D. De duratione quatuor dictorum humorum in homine;

An videlicet semper sit eadem eorundem constitutio? ubi dictorum humorum cum quatuor ætatibus, temporumque anni stationibus fiet comparatio; videlicet de infantia, pueritia, seu adolescentia, statu virili, & duplici senectute; prima, & secunda, quæ est decrepita; quæ correspondent verno tempori, æstati, autumno, hyemi. Ex quibus juxta Artis nostræ principiorum seriem fiet talis titulorum dispositio.

Per {
- B. An temporum ætatisque mutatio *bonitatem* temperamenti mutet?
- M. Ad quantum tempus se humana vita *extendere* posset juxta naturale temperamentum hominis?
- D. Quantum *durare* possit, sublato omni excessu & intemperantia vitæ?
- P. Quantum *possit* diæta in homine ad producendam vitam?
- S. Cur viri *sapientes* & *philosophi* utplurimum longius vivant, quàm cæteri, passionibus & perturbationibus dediti?
- Vo. Unde proveniat tantus ad vitam conservandam *appetitus?*
- Vi. Quales *vires* requirantur ad vitam in longum tempus protrahendum?
- Ve. An *verum* sit, hominem, calidum innatum per medicamenta instaurare posse?
- G. Cur senes depositis spebus humanis, quiete tantoperè *delectentur*.

Quæ eodem modo per principia respectiva deducere poteris.

Ut autem de his omnibus ratiocinari possis, sic age.

Per {
- B. Ubicunque est *perfecta* & adæquata humorum temperies, ibi necesse est, dari optimam & perfectam hominis temperiem.
  Hoc fit in hominibus optimis & ad magna peragenda aptis. Ergo.
- M. Ubicunque est *excessus* alicujus humoris, ibi excessum quoque virtutis aut vitii consequi probabile est.
  Hoc fit in homine sanguineo, phlegmatico, melancholico, cholerico. Ergo.
- D. Ubicunque non est *duratio* quatuor humorum in eodem statu consistentiæ, ibi temperamentum mutari necesse est.
  Hoc fit in quatuor ætatibus hominum. Ergo.

Et hoc pacto per 18 principia idem argumentum urgere poteris; de quibus nos fusè in nostra Physiognomia Combinata.

Per P. De *potentia* & efficacia quatuor humorum in homine; an possint aliquid in animam? Quid sit illa? Cur tantas mutationes faciat successu temporis?

Et sic de cæteris ordine principiis progrediendo universam Physiognomicam artem exhauries; Cùm nihil proponi possit, quod non in dictis principiis per Quæstiones examinatis contineatur. Sed hæc pauca de quatuor elementis, hominisque per ea constitutione sufficiant.

§. II.

De gradu naturæ Vegetabilis in homine.

Examinato primo naturæ gradu in homine, videlicet elementari, procedes ad alterum naturæ gradum, quæ est vegetativa.

Quæcunque itaque de anima vegetante dici possunt, hoc pacto juxta Artis nostræ principia in titulos & capita dispones.

Per

B. De *perfectione* animæ vegetativæ in homine; in quo illa consistat? An rectè definiatur, forma sive actus corporis organici in potentia vitam habentis?

M. De *extensione* animæ vegetativæ; An divisibilis sit, an indivisibilis; an substantialis, an accidentalis? Quomodo moveat & operetur? & sic de cæteris.

D. De *duratione* animæ vegetativæ in homine; an semper duret; & ad quantum se tempus illa extendat?

P. De *facultatibus* animæ vegetativæ in homine; uti de nutritiva, augmentativa, generativa, alterativa, retentiva, digestiva, expulsiva; quid sit nutritiva facultas; quomodo homo nutriatur?

S. De *instinctu* animæ vegetantis ad hominem per nutritionem conservandum. Quid sit ille instinctus? Cur, quantum, quomodo &c. nutriat?

Vo. De *appetitu* animæ vegetantis, quò ad individui conservationem concurrit per nutritionem; Quid sit ille appetitus? quantus, qualis, quando fiat?

Vi. De *facultatibus* animæ nutritivæ; quæ sunt: attractiva, retentiva, digestiva, expulsiva; de quibus per Quæstiones innumeræ propositiones formari possunt.

An nutritiva ab augmentativa sit distincta, & quomodò? quid sit augmentativa facultas; in quo consistat?

Ve. De *veritate* animæ vegetantis in homine; an verè ea substantialis, an accidentalis sit? & quomodò illa cum sentiente & rationali in homine coexistat?

G. De *fine* animæ vegetantis in homine; an homo sine illâ consistere possit; quid operetur; cur à natura collata; quantum se extendat, qualis sit, quanta sit, ubi sit, quando primùm incipiat?

=. De *differentia* animæ vegetativæ in homine; quomodo differat illa à vegetativa plantarum; an distinguatur ab anima rationali?

♡. De *concordia* animæ vegetativæ, sensitivæ, & rationalis in homine; an una numero sit, an differentes, an forma substantialis; an accidentalis, quomodo distinguatur?

○●. De *contrarietate* animæ vegetantis in homine; quænam illa sit; quænam mala causet?

α. De *causa* animæ vegetantis; quos effectus præstet in homine?

⊙. De *mediis* animæ vegetantis, quibus mediis ad finem consequendum utatur;

ω. ubi de varietate nutrimentorum, tam salubrium, quàm noxiorum.

M. De *majoritate* animæ vegetantis in homine; an major sit illâ, quæ est in plantis?

Æ. An *æqualis?*

Min. An *minor?*

Omnes hæ de anima vegetante propositiones possunt ampliari per 18 Artis nostræ principia, quemadmodum in præcedenti specimine factum est. Sed exemplum omnia luculenter ostendet.

Quæritur itaque primò; *An anima vegetans in homine sit distincta ab anima sentiente & intelligente?* ℞. quod non realiter, sed ratione tantùm distinguatur. Quod ita per 18 principia demonstrabis.

Per B. Illa non distinguuntur realiter, quæ uti unum & idem sunt in composito, ita essentialiter ab invicem separari non possunt.
Hoc fit in dicto casu. Ergo.

Per M. Illa non distinguuntur realiter, quæ non sumuntur tanquam peculiares formæ in composito.
Sed hoc fit in proposito casu. Ergo.

Ratio. Si enim distingueretur realiter, in homine plures essent formæ substantiales, & homo non unus homo, sed præterea planta, quod absurdum est; inest itaque anima vegetans in homine, sicuti trigonus in tetragono, teste philosopho; id est ratione tantùm distinguitur, non essentialiter sive realiter.

Per D. Illa non distinguuntur realiter, quæ simul totâ vitâ *durant*; neque enim homo sine vegetatione aut sensu vivere potest.
Sed vegetatio sive nutritio toto vitæ tempore durat in homine.
Ergo non distinguitur realiter.

Ratio. Quia vita hominis consistit in calido & humido, quod consumptum reparari non potest, nisi per alimentum introsumptum, quo, quod consumptum est, restau-

reſtauratur, nutrimentumque in ſubſtantiam aliti convertitur; cùm autem hæc reſtauratio toto vitæ tempore duret, patet propoſitum.

Per P. Illæ facultates non diſtinguuntur ab anima rationali, ſine quibus anima rationalis operari non poteſt.

Sed ſine vegetativa, nutritiva, attractiva, retentiva, digeſtivâ, expulſiva, anima operari non poteſt. Ergo.

Ratio. Quia attractiva, calido & humido deficiente, natura per attractionem nutrimenti ſe reparat; & ne hæc defluant, per frigidum & ſiccum illa continet; & perfectè digeſta per calidum & humidum concoquit; ne denique à fæcibus, quod ſalubre eſt, inquinetur, per calidum & humidum ſeparando purgat & expellit.

Hoc pacto procedes per ſingula principia.

Si verò jam quiſpiam quærat; *An & quomodò diſtinguatur nutritiva & augmentativa?* ℞. per ⚌. D. quod nutritiva toto vitæ tempore duret, augmentativa, non niſi ad vigeſimum quintum annum, juxta placita Medicorum; quem ſi attigerit, deficit tota, relictâ potentiæ nutritivæ juriſdictione; nam teſte philoſopho: omnia viventia, quouſque vivunt, nutriuntur. *Quodnam autem nutrimentum ſit ipſum ad prolongandam vitam*, per 18 Artis noſtræ principia facilè deduces.

Per { B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. } Debet eſſe {
- *Bonum* quoad ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem.
- *Proportionatum* calori naturali.
- *Continuatum.*
- *Potens* & efficax ad contraria calori naturali ſuperanda.
- Habens *inſtinctum* & *appetitum* ad ſe diſtribuendum in membra vitalia.
- *Virtute* propria facilè digeſtibile.
- *Conforme* calori naturali.

Hæc eadem deduces per principia reſpectiva fuſiùs.

⚌. Non debet eſſe ex *differentibus* cibis; quia ob contrariarum qualitatum confluxum noceret.

♡. Debet facilè poſſe *uniri* & concordari cum calore naturali.

⊙. *Contraria* & malignæ qualitatis nutrimenta fugienda ſunt.

α. Debet *cauſare* bonam digeſtionem, ſine magnis fæcum reliquiis.

⊙. ω. Debet *eligi* ex melioribus ſubſtantiis, pane, carne, piſcibus, fructibus, &c. ad finem propoſitum.

M. *Major* nutrimenti copia uti gravat, ita vehementer nocet.

Æ. Debet *adæquari* virtuti digeſtivæ.

Min. *Abſtinentia* moderata ſemper prodeſt; quia perfectè digerit, omni ſuperfluitate conſumpta.

§. IV.

De gradu naturæ Senſitivæ in homine in communi.

Senſitiva natura omnibus competit animalibus; & hac animal diſtinguitur à non animali; de qua ſequentes formabis propoſitiones.

Per {
- B. De *perfectione* naturæ ſenſitivæ in homine; in quo conſiſtat, quanta, qualis, &c.
- M. De *extenſione* ejus ad omnia etiam minima animalia; in quantum ſe extendat; quomodo; ubi, &c.
- D. De *duratione* animæ ſenſitivæ, quanto tempore duret; an & quibus interrumpatur.
- P. De *efficacia* & *potentia* naturæ ſenſitivæ; an vera detur ſenſatio; & quomodo illa fiat; quid ſit; quanta, qualis ſit, &c.
- S. De *inſtinctu* naturæ ſenſitivæ; an inſtinctum naturalem habeat ad ſenſationes manifeſtandas; quis ſit ille inſtinctus, qualis, ubi, &c.
- Vo. De *appetitu*; an appetitus detur ſenſitivæ naturæ ad ſenſibilia; quid, quantus ille ſit, qualis, ubi, &c.
- Vi. De *virtute* ſenſitiva; quid ſit, quibus organis utatur; qualia ſint illa organa, ubi, &c.
- Ve. De *conformitate* ſenſuum ad objecta ſenſibilia.
- G. De *fine* ſenſitivæ naturæ.

Per ⚌.

Per

═.	De *differentiis* organorum ſenſitivæ naturæ. Quænam ſint objecta, qualia; an detur objectum commune; an particulare. An motus, quies, figura, numerus, magnitudo, ſint objectum commune, & ab omnibus ſenſibus comprehenſibile: Ubi de quinque ſenſibus; viſu, auditu, olfactu, guſtu, tactu.
♡.	De *unione* objectorum ſenſibilium ad organa.
o●.	De *contrarietate* objectorum ſenſibilium; ut de luce, tenebris, diaphano, opaco, & ſic de reliquis ſenſibilibus.
α.	De *cauſa* ſenſationum quinque organorum; quomodo fiat viſio, auditio, &c.
⊙.	De *mediis* ad ſenſationem faciendam neceſſariis.
ω.	De *fine* organorum ſenſationis.
M.	De *majoritate* ſenſationum; an in animalibus ſenſus ſint acutiores quàm in homine, & cur?
Æ.	De *ſimilitudine* & diſſimilitudine objectorum ſenſibilium.
Min.	De *defectibus* tum organorum, tum objectorum ſenſibilium.

EXEMPLA

De quinque Senſibus, eorumque utilitate & neceſſitate.

B.	De diffuſione organorum ad ſua objecta.	
M.	De extenſione ad ſingula.	
D.	De duratione & conſervatione organorum.	
P.	De potentia & energia eorundem.	
S.	De inſtinctu uniuſcujuſque ad ſua objecta.	
Vo.	De appetitu naturali ad videndum, audiendum, guſtandum, olfaciendum, tangendum.	Viſus.
Vi.	De viribus & facultatibus ſingulorum organorum.	Auditus.
Ve.	De conformitate uniuſcujuſque organi ad ſuum objectum.	Olfactus.
G.	De quiete potentiarum in fine adepto.	Guſtus.
═.	De differentia quinque potentiarum.	
♡.	De concordantia.	Tactus.
o●.	De contrarietate.	
α.	De cauſis & effectibus, quos præſtant.	
⊙.	De mediis uniuſcujuſque ad attingendum objectum.	
ω.	De variis finibus, quos intendunt in objectorum attactu.	
M. Æ. Min.	De majoritate, æqualitate, minoritate virtutis potentiarum.	

Horum unumquemque ſenſum ſi denuò per Quæſtiones diſcutias, ingentem paratam habebis de philoſophia ſenſuum materiam; quam ſequenti tabula ob oculos poſuimus Curioſi Lectoris.

TABU-

TABULA

In particulari ſenſuum operationes exponens.

	Viſus.	*Auditus.*	*Odoratus.*	*Guſtus.*	*Tactus.*
B.	Utilitas & Neceſſitas.	Utilitas & neceſſitas.	Utilitas Odoratus ad percipiendas rerum differentias.	Utilitas & neceſſitas.	Neceſſitas Tactus.
M.	Viſus organi fabrica.	Organi auditorii fabrica, compoſitio.	Extenſio odoratus ad omnia naturæ objecta, odorabilia.	Extendit ſe ad omnia guſtabilia.	Extenſus per omnes corporis partes.
D.	Quibus modis conſervari poſſit.	Quibus lædatur & conſervetur.	Duratio odoratus in nonnullis magna, in aliis parva.	Duratio guſtus toto vitæ tempore, exceptis morbis.	Durat toto vitæ tempore.
P.	De mirabili energia viſus & potentia.	De potentia auditus.	Potentia olfactiva data eſt potiſſimum tum ad reficiendum, tum ad confortandum.	Vis & potentia famis.	Qualitates ſeu potentiæ tactus ſunt: Cal. hum. frig. ſicc. cal. ſicc. frig. hum.
S.	Objectum viſivæ potentiæ eſt lumen & color.	Potentia ad ſcientias diſcendas apta.	Objecta ſunt odorabilia; ſubjectum, corpus mixtum.	Objecta ſunt omnia guſtabilia; ſubjectum in quo recipitur ſapor, lingua, palatum.	Objectum omne tactile.
Vo.	Objecta movent appetitum potentiæ.	Appetitiva potentia multa diſcendi & audiendi.	Odores afficiunt valdè, appetuntur à diverſis diverſi.	Sine hoc appetitus non eſt ad comedendum.	Appetitus ad tangendũ in voluptuoſis; & diſplicentia in doloroſis.
Vi.	Viſio non eſt emiſſiva ſed receptiva.	Objecta ſunt ſonus acutus, gravis, reflexus, uti in Echo.	Vires recreant, inſtaurant odoratum.	Vires ſunt inſtauratio, & confortatio hominis.	Virtus tactus maxima efficit, ſive in doloroſis, ſive delectabilibus.
Ve.	Vera & falſa objecta viſus, deceptio viſivæ potentiæ.	De veritate quæ per auditum ingeritur.	Diſcernunt odores verum à falſo, malum à bono, ſalutiferum à non ſalutifero.	Salubre ab inſalubri diſcernitur à ſapore.	Tactu veritas à falſo, doloroſum à delectabili ſecernitur.
G.	Viſiva potentia quieſcit in notitia rei per viſum.	Gloriatur in iis, quæ audita ſunt.	Finis eſt alimenta à non alimentis diſcernere.	Finis ſaporis ſeu guſtus eſt conſervatio hominis per nutritionem.	Finis tactus eſt ſenſatio.
=.	Differt viſiva potentia ab alia; à natura ad differentias rerum percipiendas inſtituta.	De differentia auditus tam in animalibus, quam hominibus.	Differentia odoris, dulcis, amari, grati, moleſti.	Differentia ſaporis, dulcis, amari, falſi, acuti.	Differentiæ tactus ſunt, dura, mollia, aſpera, lenia &c.
♡.	Concordant omnes viſivæ potentiæ in objectorum perceptione.	De concordia auditus in ſcholis.	Concordia, quia omnes eodem modo afficiunt.	Concordia ſaporis in hominibus & diſcordantia.	Concordia & diſcordia in tactu.
○●.	Viſivæ potentiæ contrariatur opacitas, tenebræ.	De contraria auditui ſurditate.	Odor, fœtor.	Contrarietas in ſapore eſt inappetentia, inſipidum.	Contrarietas circa dolorem & voluptatem.
α.	Cauſa viſionis eſt retina cum humore cryſtallino.	De cauſis auditus, quæ ſunt inſtrumenta auris, malleus, ſtapes, incus, tympanum.	Cauſa efficiens, calor externus, internus, ignis, rarefactio.	Cauſa ſaporis, permiſtio humidi & ſicci per calorem.	Cauſa tactus eſt caro vel nervi.
⊙.	Medium viſionis eſt aër, aqua, vitrum.	Medium auditus, aër, aqua.	Medium odoratus, aër & aqua.	Medium externum non eſt, ſed internum.	Medium, inſtrumentum ad tactum perficiendum ſunt nervi.
ω.	Finis viſionis eſt, ſcire rem viſam.	Finis auditus eſt cognoſcere verum.	Finis eſt notitia differentiæ rerum in delectatione.	Finis per appetitum guſtabilis eſt conſervare vitam.	Finis eſt actionum integritas; ſine tactu enim nihil fieri poteſt.
M.	Major vis eſt viſus in nonnullis animalibus quàm in homine.	Major in nonnullis animalibus.	Major in vulture, cane, quam in hominibus.	Major appetitus in Simia, quam in homine.	Major tactus conſiſtit in applicationis vehementia.
Æ.	Æqualis in iis qui ſimilia organa habent.	Æqualis in æquali inſtrumentorum diſpoſitione.	Æqualis in æquali organorum conſtitutione.	Æqualis in temperantia, in æqualitate ſucci & complexionis ſimilis.	Æqualitas in mediocritate.
Min.	Minor in nonnullis.	Minor ob varia impedimenta.	Minor in nonnullis aut prorſus nullus.	Vomitus in infirmis.	Min. in leni ſeu levi attactu.

Hæc tabula innumeras tibi propoſitiones ſuggeret de ſenſibus agitari ſolitas; Quæ omnia iterum deduces per 18 Artis principia, ita ut nec numerus nec finis ſit propoſitionum inde eruendarum.

§. V.

De Naturæ sentientis interioribus sensibus.

Hactenus sensus externos recensuimus; sequuntur modò sensus interiores, qui rerum sensibilium species non solùm præsentes, sed & absentes percipiunt, causant, judicant, & diutius conservant. Suntque tres: Sensus Communis, Phantasia, & Memoria; quæ iterum immensam dabunt philosophandi materiam, si juxta principia Artis disponantur. Sicuti;

Quid sit *sensus communis*; an unus, vel multiplex; qualis, quomodo sit, ubi sit, &c.

De *Phantasia* quoque innumeræ propositiones fieri possunt: ut:

Per:
- B. De utilitate phantasiæ, & quantum illa homini conferat; quid sit, quanta, qualis sit, ubi sit, &c.
- M. De extensione phantasiæ ad omnia, quæ in Mundo sunt.
- D. De conservatione specierum in potentia imaginativa.
- P. De mira energia phantasiæ, qua dissita etiam, ceù præsentia sibi imaginatur.
- S. De necessitate phantasiæ ad omnes scientias acquirendas.
- Vo. De motiva potentia phantasiæ, qua movet intellectum & voluntatem ad rerum propositarum acquisitionem.
- Vi. De viribus imaginationis; ubi de mirificis effectibus fœminarum prægnantium in signanda prole; hominum quorundam.
- Ve. De conformitate phantasiæ ad objecta extrinseca.
- G. De quiete & gaudio phantasiæ.

Per:
- ☰. De differentia phantasiarum.
- ♡. De unione specierum cum phantasia.
- ○●. De oppositione rerum sensibilium & insensibilium, quæ in phantasma non cadunt.
- α. De effectibus miris phantasiæ in mulis, in pica muliebri, quam Græci κίτlαν vocant.
- ⊙. De mediis phantasiæ.
- ω. De fine phantasiæ ad attingendum intellectuale objectum.
- M. Æ. Min. De majoritate phantasiæ in multis hominibus; de minoritate.

Pari pacto, de *Memoria* innumeras propositiones colligere poteris, procedendo juxta seriem nostrorum principiorum. *V. Gr.*

Per:
- B. De utilitate & necessitate memoriæ, quàm Bona, M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. sit.
- M. De extensione memoriæ ad omnia, quæ vel audimus, vel legimus.
- D. De duratione memoriæ, qua omnia, quæ vel audimus, legimus, dicimus, conservantur veluti in gazophylacio quodam innumeris rerum speciebus referto.
- P. De mira potentia & efficacia memoriæ ad repræsentandas sibi res præteritas.
- S. De notionibus rerum sensibilium, quæ per memoriam fiunt.
- Vo. De insito nobis recordandi earum rerum nobis aliquando gratarum appetitu.
- Vi. De virtute memoriæ, quæ reminiscentia dicitur, quæ se habet ad memoriam, ut actus ad habitum.
- Ve. De conformitate rerum in memoria dispositarum, ad objecta sensibilia.
- G. Gaudium & quies intellectûs, memoria est.
- ☰. De differentia & diversitate memoriæ in diversis hominibus.
- ♡. De unione rerum perceptarum in memorativa potentia.
- ○●. De oblivione, contraria memoriæ; oblivionis prodigiosa exempla.
- α. De causis & principiis memoriæ, sive de differenti complexione hominum.
- ⊙. De medio memoriæ, quod est organum ultimum in cerebro.
- ω. De fine memoriæ, quæ est conservatio eorum, quæ vel legimus, vel didicimus.
- M. De iis, qui magna memoria præditi fuerunt.
- Æ. De similitudine memoriæ ad alias res.
- Min. De iis, qui exigua memoria fuerunt præditi.

Quæ omnia deduci quoque poterunt per novem prædicamenta, & deinde per Subjecta universalia. *V. Gr.*

Δ. An

△. An in DEO ſit memoria.
(symbol). An in Angelis.
(symbol). An in animalibus ſit memoria; quid ſit, qualis, quanta, ubi, quomodo; quid inſtinctus, quid antipathia & ſympathia.

His pariter examinatis procedes ad affectiones ſenſuum, quæ ſunt ſomnus & vigilia; De quibus quæri poteſt: An ſomnus & vigilia ſentientis animæ affectiones ſint; utrum tum animæ tum corporis; utrum ſomnus & vigilia conveniant aliis præterquam animalibus. Eſt autem ſomnus ceſſatio naturalis ſenſus communis & primi, atque exteriorum omnium ad animantium quietem & ſalutem inſtituta. Quam definitionem quoque aliis multis modis variare poteris: uti per

B. Somnus eſt inhibitio communicationis ſpirituum animalium per obſtructionem.
M. Eſt prohibitio extenſionis ſpirituum animalium ad ſenſus externos, ob vapores exorientes in caput aſcendentes, viam obſtruentes.

Et ſic de cæteris: De duratione, potentia, inſtinctu, appetitu, virtute, veritate, gloria, differentia, concordantia, contrarietate, cauſis, mediis, fine, &c. quæ omnia more ſolito examinata, totam exhaurient de doctrina ſomni philoſophiam, ὀνειρομαντείας ſive divinationis ſpecierum per ſomnium, cauſas & principia aperient; ubi de ſomniis ſupernaturalibus, diabolicis, naturalibus, magnus campus diſceptandi. Sed ne opus in immenſum creſcat, hîc calamum ſiſtendum duxi.

§. VI.

De Naturæ ſenſitivæ affectibus & paſſionibus, ſive de appetitivæ naturæ gradu.

Diximus hucuſque de naturæ ſenſitivæ facultate apprehenſiva, quæ tum externis tum internis potentiis earumque affectionibus objecta ſenſibilia attingit; Jam de facultate motiva & appetitiva nonnihil dicendum eſt; quarum quidem illa nihil aliud eſt, quam ea vis animæ, quæ motus animales tum externos tum internos in corpore ciet; hæc, qua animal ſui conſervandi cauſa inclinatur in ſuum bonum, quod ſenſus ſequendum; vel averſetur malum, quod iidem fugiendum probaverint. Quæ quidem affectio ſeu πάθος omnibus animantibus communis eſt; Eſt autem hæc affectio duplex: *concupiſcibilis* & *iraſcibilis*; illa ultrò in bonum & delectabile fertur, hæc per arduum & cum difficultate ad illud tendit. De quibus innumerabiles quæſtiones moveri poſſunt juxta Artis noſtræ præcepta. *V. Gr.*

B. De bonitate & malitia affectuum.
M. De extenſione affectuum.
D. De duratione affectuum.
P. De potentia & mira affectuum efficacia.
S. De inſtinctu naturali affectuum in omnibus animantibus.
Vo. De appetitu iraſcibili & concupiſcibili.
Vi. De viribus affectuum, paſſionum, ſeu perturbationum animi.
Ve. De veritate aut falſitate objectorum affectus alterantium.
G. De fine affectuum, & ad quid à natura ordinati ſint.
⚌. De differentia affectuum.
♡. De concordantia affectuum.
o●. De contrariete affectuum, amoris, odii, gaudii, triſtitiæ, ſympathiæ & antipathiæ.
α. De cauſis affectuum, ex quo immediatè naſcantur.
⊙. De intermediis affectibus inter extrema.
ω. De fine affectuum, ſcilicet proſecutione boni, & fuga mali.
M. De magnis perturbationibus animi in exceſſu amoris, odii, vindictæ, iræ.
Æ. Quibus aſſimilentur affectus & perturbationes.
Min. De minoritate affectuum.

Quæ & per Quæſtiones examinata omnem de affectibus philoſophiam exhauriunt. *V. Gr.*

An, quid, cur, quî, qualis, &c. quænam affectuum cauſa tam externa, quam interna; An gaudium ſit dilatatio cordis; an contrà conſtrictio ejuſdem triſtitia; Hiſce adnecti poteſt, de ſenſitivæ naturæ locomotiva facultate, qua animal vi animi totum aut ex parte movetur, ſive de uno loco in alium progredi poteſt; ad quam tria ſemper ſunt neceſſaria: Quod movet, quo movet, & quod movetur. Quod movet, eſt cauſa vel finalis vel efficiens; illa eſt objectum vel fugiendum vel ſequendum; hæc movet & movetur; movet *jubendo* & *vokendo*; movetur quia ad motum incitatur ab objecto appetibili. Quo movet, eſt inſtrumentum corporeum, vel internum per ſpiritum vitalem motum. De quo complures propoſitiones juxta principia noſtra enaſcuntur; ut de B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. ⚌. ♡. o●. α. ⊙. ω. M. Æ. Min. locomotivæ facultatis; ubi de differentia motuum in voluntarios, naturales;

uti respiratio, & inspiratio, quæ à pulmonibus originem ducunt. Sed hæc tantùm insinuasse sufficiat.

§. VII.

De essentia Rationalis animæ in quantum tum elementarem, tum vegetantem, sentientemque naturam complicat.

Tanta de hoc argumento vel in primo intuitu philosophandi materia occurrit, ut non dicam paucis hisce foliis, sed nec magno volumine comprehendi possint. Verùm quoniam in Primo Libro nonnulla paradigmata de Animæ definitione & essentia dedimus, hîc tantùm de effectibus quædam indigitanda duximus.

Anima rationalis est substantia incorporea spiritualis, hominis conjuncta corpori, extra verò corpus sine organo corporeo intelligens: ex qua nascuntur innumeræ quæstiones de Anima. *V. Gr.*

De B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. De ═. ♡. o●. α. ⨀. ω. M. Æ. Min.

B.	Anima	Est substantia *perfecta*, tametsi incompleta, in quantum est actus corporis.
M.		Est *extensa* in corpore, non localiter aut circumscriptivè, sed definitivè, & consequenter incorporea & spiritualis.
D.		Est *immortalis*, incorruptibilis, immutabilis, quia seipsam perficit, seipsam *movet*, etiam extra corpus, æterna attingit intellectu; quia quod mortale est, immortalia & æterna intelligere non potest.
P.		Est substantia *intellectivam* potentiam habens, quâ omnia fit.
S.		*Intelligit* indivisibiliter omnia, unde & intellectus potentialis dicitur.
Vo.		Habet *appetitum* in voluntate, quo movetur ad sectanda bona, fugienda mala.
Vi.		Habet *facultates*, intellectum, memoriam, voluntatem; tres animæ facultates, quibus omnia operatur.
Ve.		*Verum* à falsis discernit.
G.		*Quiescit* in summo bono.
═.		*Differt* ab animabus brutorum, ut incorruptibile à corruptibili.
♡.		*Concordat* cum iis, quoad moderatur sentientis animæ facultates.
o●.		Nihil illi quoad se *contrarium*; cùm non habeat, à quo corrumpi possit.
α.		Est *principium* omnium actionum humanarum.
⨀.		Quo *mediante* omnia geruntur.
ω.		*Finis* universæ creaturæ corporeæ, & ad DEI visionem ordinata.
M.		Non est *major* in uno homine, quàm in altero, quoad substantiam.
Æ.		*Æquales* sunt substantialiter omnes animæ.
Min.		Sola differentia est in defectibus, qua una anima majoribus vel *minoribus* donis distinguatur.

Ex his iterum de *Intellectu* & *Voluntate* propositiones emanant; de intellectu agente, patiente; de noëtico, & dianoëtico, sive de intellectu per rationem dispositivo & discursivo. *Agens* intellectus ab omni sensibili re abstrahit, immixtibilis cum corporeis, impatibilis, incorruptibilis, species materiales abstrahit, purificat, & obstacula loci, temporis, figuræ, quantitatis, coloris aliaque accidentia non essentialia removet, atque ita illustriora & puriora phantasmata passibili offert intellectui, non secus ac lumen colores in tenebris positum aspectabiles illustrat.

Patiens intellectus, qui & materalis, passibilis & potentialis dicitur, quia omnium specierum intelligibilium imagines sive formas capere & apprehendere potest; nudus enim est, & instar tabulæ rasæ.

Noëticus intellectus res multas simplices disponit, quod fit partim componendo, partim dividendo, unde veritatis & falsitatis judicium consequitur; De quo verificatur illud; nihil est in intellectu, quod non prius fuit in sensu.

Dianoëticus ab uno in aliud discurrit, atque ex collatione rerum diversarum aliquid colligit, fitque ratiocinando. Ex his per applicationem nostrorum principiorum novam habebis disserendi materiam. *V. Gr.*

B. De *necessitate* & *utilitate* intellectus, sine quo homo non esset homo.
M. De *extensione* intellectus ad omnia.
D. De *duratione*, potentia, sapientia, voluntate, virtute, veritate, gloria.
De ═. ♡. o●. α. ⨀. ω. M. Æ. Min. intellectus.
De divisione intellectus; de abstractione intellectus à singularibus rebus in ordine ad universalium fabricam. De veritate & falsitate. De principiis, mediis, fine, intellectus &c.

Quod

Quod ſi ritè omnia expenderis, vel ad ſolum intellectum omnem Metaphyſicam doctrinam revocare poteris.

§. VIII.

De Voluntate.

Voluntas eſt animæ intelligentis vis, qua ea, quæ ab intellectu apprehenſa & judicata fuerint, homo vel eligit, vel averſatur; & uti intellectus circa verum, ita voluntas circa bonum verſatur.

Differt autem rationalis appetitus ab appetitu ſenſitivo; quia hic circa delectabilia tantùm verſatur; ille circa honeſta quoque; hic neceſſarius, ille liber. Actiones ejus ſunt, velle, nolle, conſentire, diſſentire, &c. quæ ſunt actiones voluntatis, & ſunt duplices: *elicitæ* & *imperatæ*. Imperata habet ſub ſe locomotivam, in quam voluntas habet imperium deſpoticum; ad voluntatis enim juſſa, videmus, audimus, guſtamus, olfacimus, tangimus. In appetitum ſenſitivum non item; recalcitrat enim ſubinde, nonnunquam tamen rationis & honeſti ductui ſubditur. In vegetantem verò & naturalem appetitum nil habet imperii voluntas; quia hi agunt ſecundum naturam, non ex arbitrio; quia homo non poteſt velle non vivere, vegetari, nutriri, augmentari. Quæ omnia per Regulas Artis quàm fuſiſſimè deduci poſſunt, uti in præcedentibus factum eſt.

Verùm cùm de hiſce fuſè in aliis hujus Operis partibus & ſectionibus egerimus, ad eas Lectorem remittimus, ubi & paradigmata dictorum juxta omnes Artis Regulas diſpoſita reperiet.

§. IX.

De Homine, ut Medicè conſiderari poteſt.

Certum eſt homini ex infirmitatibus & morbis in integram ſanitatem reſtituendo, univerſam naturam ſervire, quod per Artem hanc ſcitè demonſtrabis.

Cùm enim homo conſtet ex elementari, vegetante & ſentiente natura; primò, quidquid in elementari, minerali, metallorumque œconomia eſt, in uſum medicinalem hominis aſſumi poteſt. Secundò, quidquid in univerſo vegetabilis naturæ ambitu, herbarum, plantarum, fruticum, arborum, fructuum, ſeminum eſt, eidem ſervire poteſt. Tertiò, quidquid in quadruplici animalium genere exiſtit, hominis neceſſitatibus pariter, ſi quandoque in morbos inciderit, uſui eſſe poteſt, & hoc per occultam quandam analogiam dictarum rerum ad ſingula hominis membra, uti in Arte Analogica fuſè oſtendimus, quam ut conſulas tibi author ſum; Quod enim in herbis ſunt ſuccus, lacrymæ, caro, radix, caudex, cortex, rami, folia, flos, fructus, ſemina; hoc in homine, membra ſingula tam externa quàm interna; deinde humores, ſpiritus, & inter 4 humores, ſanguis, bilis atra, bilis flava, pituita, ſerum, ſudor, lacrymæ, &c.

Ex quibus primò propoſitiones juxta præcedentem methodum formabis, quas denique per Quæſtiones earumque ſpecies examinabis.

Verùm quoniam jam in Capite Quarto de Medicina nonnulla ſpecimina dedimus, illuc Lectorem remittimus: Tabulas quoque de medicamentis juxta omnem Artis Combinationem diſpoſitas in noſtro Mundo Subterraneo inſpicere poterit, ubi quæcunque huc uſque dicta ſunt, in ordinem redacta reperiet.

Porrò quæcunque de voluntate & actibus humanis dicta ſunt aut dici poſſunt, ad hominem pertinent, in quantum Ethicè conſiderari poteſt, eique omnia illa, quæ in Capite de Ethicæ ſpeciminibus recenſita ſunt, applicari poterunt; eademque applicari poſſunt ad hominem, in quantum Theologicè conſideratur, hoc eſt, in quantum finis ſupernaturalis capax eſſe poteſt, per intellectum & voluntatem, & per Theologicas virtutes, Fidem, Spem, Charitatem.

CAPUT II.

De Tabula Pantoſopha.

DE hac Tabula fuſius locuti ſumus in fine Secundi Libri. Dicimus hanc Pantoſopham, eò quod quidquid rerum cognoſcibilium eſt, ſub ea contineatur; omni Literatorum generi oportuna, & Theologis, Philoſophis, Mathematicis, Juriſconſultis, Ethicis, Concionatoribus, Rhetoribus, Poëtis, ingentem in omni rerum genere dicendi, ſcribendi, quæſtionumque faciendarum ubertatem præſtat; Quicquid enim in univerſa Artis noſtræ amplitudine continetur, in hac bipartita Tabula combinatum eſt.

Usus Tabulæ hic est.

Cùm nulla quæstio proponi possit de quacunque tandem illa, materia sit, quæ in principiis nostris non contineatur; Diligenter primò attendendum est, ad quos terminos abstractos tum in perpendiculari Columna, tum in fronte, quæstionis termini revocentur; quos si repereris, tunc unum è latere, & alterum in fronte accipe, & angulus communis, sive utriusque termini concursus dabit locos omnes, ex quibus argumentum propositionis assumptæ ubertim deducere possis. Sit *V. Gr.* tractandum de *Magnitudine Bonitatis divinæ in genus humanum*; accipe Magnitudinem in latere, & Bonitatem in fronte Tabulæ, & angulus communis dabit materiam uberrimam; In hac enim magnitudo bonitatis elucet:

Primò. In Creatione Mundi, quem solius hominis causa condidit; Deinde describes eam magnitudinem ab harmonia, influxibus, virtutibus, proprietatibus, emolumentis Cœlorum.

Secundò. In Redemptione humani generis per Christum, ubi infinitam habebis dicendi materiam; præsertim si hanc per 18 Artis nostræ principia deduxeris. *V. Gr.*

Per
- B. De divinæ bonitatis communicatione ad extra, dum hominem induit.
- M. De magnitudine talis beneficii.
- D. De duratione talis communicationis in totam posteritatem.
- P. De potentia divina, quæ majus quid efficere non potuit.
- S. De sapientia DEI in hoc opere.
- Vo. De voluntate seu amore infinito, eum ad id incitante.
- Vi. De virtute DEI in hoc opere elucescente.
- Ve. De veritate mirificâ divinarum promissionum circa opus Redemptionis.
- G. De gloria inde tum DEO, tum hominibus resultante.

Deinde eadem per principia respectiva ampliabis. *V. Gr.*

Per
- ⚌. De differenti statu hominum, justorum, & à DEO separatorum.
- ♡. De concordantia hominum per hoc beneficium facta; ubi de Ecclesiæ unitate à Christo instituta.
- o-●. De bonorum malorumque conditione.
- α. De causis inducentibus DEUM ad tale beneficium.
- ⊙. De mediis ad hunc finem necessariis.
- ω. De ultimo fine, quem DEUS intendit in tam excessivo beneficio.
- Et sic de cæteris.

His deductis, procedes ad [symbol]. ostendendo Magnitudinem bonitatis divinæ in Angelorum ministerio, quo omnia in gratiam hominis administrant, dum Cœlis, elementis, regnis, urbibus, singulisque hominibus, proprii, tanta curâ & sollicitudine præsunt, ab omnibus malis occurrentibus defendunt. Quæ per Quæstiones examinata, & per 18 principia denuò deducta innumerabilem materiam suggerent ampliandorum argumentorum. Deinde ad particularia descendens, ad Solem, Lunam, stellasque cæteras; De elementorum mira in mistis constituendis efficacia; De virtutibus singulis rebus, inditis, divinaque in singulis B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. latente. Tandem ad hominis admirabilem compositionem, constitutionem, & fabricam excurres, & sic de cæteris in eadem area occurrentibus locis describendis procedes.

Eccè Lector, quanta vel in unica areola argumentorum messis. Hoc pacto in omnibus aliis ordine Columnarum areis tibi procedendum esse scias, & certus sis, hanc bipartitam Tabulam loco integræ bibliothecæ tibi esse posse, ad innumera instituto tuo argumenta comprobanda oportunæ. Nil amplius dico, Lector ex unò exemplo mentem meam facilè intelliget. De hac Tabula vide quoque, quæ in fine Secundi Libri diximus. Sequitur

TABULA PANTOSOPHA
Bipartita.

CAPUT

TABULA I. COMBINATORIA: Universam Artis & Cognoscibilium rerum epitomen exhibens; & in hac absolutorum cum absolutis principiis fit Combinatio.

	An. △	Quid. [Quid]	Cur. ◎	Quantum. □	Quomodo. [Quomodo]	Quale. [Quale]	Ubi. [Ubi]	Quando. [Quando]	Quibuscum. ∷
	Bonitatis.	Magnitudinis.	Durationis.	Potentiæ.	Sapientiæ.	Voluntatis.	Virtutis.	Veritatis.	Gloriæ.
Bonitas.	Diffusio, largitio. Communicatio, infusio donorum. Influxus supernus tam Dei quàm Angelorum. Perfectio, essentia, vita, unitas rerum. Ens secundum totam latitudinem, necessarium. Substantia. omnes morales & politicæ virtutes.	In △ beneficiorum immensitas. In [Quid] influxuum & illuminationum frequentia. In ◎ ☉ ☽ ✱. influxuũ varietas In [Quomodo] operationum excellentia, quæ omnia complectitur. In [▯] statu, potestas cœlitus collata. In ♁ statu, bonitas status Monarchici. In moralibus, totalitas & integritas boni.	In △ immensitas, æternitas. In [Quid] æviternitas. In [Quomodo] electis gloria æterna. In ◎ □ constantia in influxibus, motibus, viribus. In [Quale] & [Ubi] vis propagativa. In [▯] statu haud interrupta continuatio.	Bonum regimen hominibus necessarium. Ubi de bonitate & clementia Regum, Principum. quæ mala ex ejus defectu nascantur; ubi de triplici statu: Monarchico, Aristocratico, Democratico. Quæ pulcrè deduci possunt per subjecta universalia; ubi & de Ecclesiastico regimine, & de bonitate potentiæ Pontificis, Episcoporum, &c.	Scientia homini connaturalis, & scientia universalis hominem decet. De bonitate Artium tam liberaliũ, quam illiberalium. De necessitate scientiarum artiumque in statu tam Ecclesiastico, quam politico, privatoque. De scientia △ [Quid]. De Astronomia, seu scientia corporum cœlestium. &c. per reliqua subjecta universalia procedendo, Quæstionesque examinando singula.	Appetitus bonus est, necessariusque animali. hinc omnia bonum appetunt. Liberalitas amoris. De appetitu boni in △ [Quid] ◎ □ [Quomodo] [Quale] [Ubi] [Quando]. De [illegible] appetitu in statu Ecclesiastico & politico, sine quo consistere non possunt	Virtus homini bona & necessaria. Virtus moralis in infidelibus bona & laudabilis est. De bonitate virtutis Dei. [Quid] ◎ □ [Quomodo] &c. De bonitate virtutis in statu Ecclesiastico & politico. de Principis bonitate. Virtutibus imbutus proximam Dei similitudinem exhibet.	Veritas & simplicitas optima est. Nihil veritate in Mundo melius est. Nil sine veritate consistere potest. Nemo sine veritate finem ultimum attingere potest. Veritas △ [Quid] ◎ □ &c. quæ per Quæstiones, earumque regulas fusius deducenda	Bonum quietis. Alterna quies mortalibus necessaria est. Bonum pacis. Delectatio & voluptas licita bona sunt; utpote sine quibus homo non operaretur. Quæ per subjecta universalia & Quæstiones deducenda sunt.
Magnitudo.	Elucet in Creatione Mundi. In opere Redemptionis, in varietate conditorum. In [Quid]. ob Mundi gubernationem & præsidium In luce ☉. ☽. ✱. In virtutibus rerum. In mixtorum constitutione admiranda. In homine, similitudine Dei; In Politicis regiminis bonitas; In moralibus, bonitas fidei.	Continetur sub hoc Magnitudinis principio, quicquid pertinet ad extensionem, dimensionem quantitatis, & numerum, & implicat quantitatem tam extensivam, quam intensivam, sive virtualem.	Longa vita optima, ob experientiam, quam homo longæ vitæ acquirit, attendenda est præcipuè in statu politico, Ecclesiastico, bonorumque Principum. Melius est durare multum quàm parum Deducenda sunt hæc per subjecta universalia, ubi de æternitate Dei, æviternitate Angelorum & hominum, animalium, vegetabilium, inanimatorum duratione, quæ per Quæstiones amplianda.	Magnitudo potentiæ; uti divitiarum ubertas bona & mala esse potest. Vires corporis. Magna potestas bonorum Principum non debet facile mutari. Expedit aliquas potestates non esse perpetuas. Quæ omnia per subjecta universalia fusius deducenda, ubi de magnitudine potentiæ divinæ, Angelorum, hominum, cæterarumque rerum.	Cognitio & scientia universalis. Nil dulcius, quàm omnia scire. Quantum boni adferat scientia omnium. Ubi de omniscientia Dei. Angelorum, hominum. Ubi & de instinctibus seu instinctiva cognitione [Quale] [Ubi] [Quando] quæ per Quæstiones ulterius examinanda.	Vehementia affectuum tam bonorum quam malorum Amor Dei quàm sit efficax Appetitus [illegible] sensibilium utilis est, à natura hominis & animalibus [illegible] passionum utilitas Zelus torquens ob peccata aliorum. Amor Dei erga omnia, atque in omnibus subjectis universalibus.	Magna & perfecta virtus. Qui peccat in ea, omnium reus fit. Cavendum à minimis etiam peccatis. Bonorum virtute præstantium multitudo in subjectis universalibus Et contrà malorum multitudo. Magnitudo virtutis ex S. Scriptura Patrum demonstranda.	Communis omnibus veritas. Optima in Mundo veritas. Magnitudo veritatis in △. in S. Scriptura, traditionibus, Ecclesia, Articulis fidei. Veritas in Angelis, hominibus; In scientiis. Veritas naturæ in animalibus, plantis, mineralibus.	Integra & perfecta gloria quænam? gloria cœlestis. bona conscientia. De gloria △ [Quid] [Quomodo] & quibus mediis eam consequi possit. Gloria non consistit in dignitate, honore, divitiis, fama, sed in fruitione summi boni.
Duratio.	In △ influxus perennis bonorum, tam spiritualium, quàm temporalium. In [Quid] assistentia & custodia perpetua in Mundi bonum. In Mundo ☉. ☽. ✱. perennes virium emanationes. In [▯] duratio potestatis. In [Quomodo] constans virtutum exercitium. In ♁ Optimè constitutum Regnum.	Contumax Magnitudo excellentiæ in scientia, literis, virtutibus, sanctitate. Posthuma fama monimentis historiarum comprehensa. De perpetuitate gloriæ Virorum illustrium ex omni antiquitate comprobanda. D. M. in △ [Quid] ◎ □ [Quomodo] [Quale] [Ubi] [Quando] ∷ per Quæstiones discutienda	Ad Durationem revocantur, quæcunque pertinent ad tempus & continuationem, vel ad moram & dilationem.	Continuata potestas bona est. Omnia appetunt diuturnam sui permanentiam Quæ per subjecta universalia & Quæstiones ulterius amplianda. Si in statu naturæ, vires & facultates rerum naturalium non durarent, mundum perire necesse foret.	Continuatum sapientiæ studium, & divinarum rerum meditatio. Memoriæ vis & excellentia. Historiæ, Libri. Experientiæ utilitas summa. Duratio Sapientum in statu Ecclesiastico & politico necessaria. Quæ per subjecta universalia deducenda.	Mora in amore contrahendo. Constantia amantium. Amor verus est perpetuus. Continuatio amoris in pia defunctorum commemoratione. Fatum. Fides servanda & promissis standum. Vota servanda, quibus homo Deo perpetuò consecratur. Repugnat hisce, levitas, inconstantia obstinatio, pertinacia.	Continuatum virtutis exercitium. Constans admonitio. Indiget exercitio virtus. Non differendum virtuti studium pœnitentia non differenda. Fortitudo in adversis. Malorum omnium afflictionumque tolerantia. Constantia Martyrum. Contra repugnat desperatio, inconstantia, apostasia, relapsus, & similia.	Continuum veritatis studium. Religionis antiquitas; falsitatis & hæresis inconstantia. Leges sint perpetuæ, quantum fieri potest. Fidei divinæ certitudo. Ecclesia infallibilis. Contrà novitas in religione fugienda. Veritatis duratio in subjectis universalibus per Quæstiones exponenda	Continuatio quietis & pacis publicæ. Gloriæ Cœlestis perpetuitas. Continuatio talis honoris & famæ. Vis & splendor post mortem. Honor dignitatem renunciantium amore Dei. Gloria ex scientiis. Militari professione nascens. Gloria Sanctorum. Posteritatis commendatio.
Potentia.	Mundi productio; necessariarum rerum subsidium. Incarnatio Christi, Redemptionis opus. Justificatio peccatoris In [Quid] idealis potestas. Administratio Mundi. In ☉ ☽ ✱ facultates in Mundo conservando. Essentiæ bonitas in omnibus. In Principe, influxus in subditorum animos.	Vis magnitudinis. Quantitas supplet defectum perfectionis. Effectus P. M. ex historiis. De potentia Exercituum, Regum. Strage hominum. De P. M. in △ [Quid] ◎ □ [Quomodo] &c. P. M. magna quævis conficit.	Continuatio & consuetudo vim habent maximam Perseverantia in omnibus omnia vincit, superat, superior evadit Æternitas Dei causa omnis potentiæ tam divinæ quam humanæ. Æviternitas in Angelis. In hominibus constantia.	Pertinent ad potestatem omnia quæ potentiam sive naturalem sive civilem, regimenque & divitias respiciunt	Magna fiunt industria hominum. Oculorum vis omnia Cœlorum arcana penetrans. Tubus Opticus. Sagacitas in Artibus & scientiis. Inventio rerum memorabilium. Vis eloquentiæ. Vis nominum & verborum. Vis sapientiæ in △ [Quid] ◎ □ [Quomodo] animalium, vegetabilium, mineralium, instinctiva cognitione, & viribus ad se conservandum mirificis.	Liberum hominis arbitrium. Fatum non tollit libertatem, Dei præscientia & prædestinatio non tollunt libertatem, neque gratiam Dei. Vis amoris, desiderii & orationis. Divinus amor omnia superat. Amoris unio & transformatio. Quanta operetur amor triplex, divinus, medius, sensualis.	Quanta sit vis Virtutis. boni soli sunt liberi Sapiens seipso contentus. servitus, peccati Vis & imperium Religionis, quod est vinculum & nexus regiminis. Immunitas Religionis. In necessitatibus publicis Ecclesia subvenit Vis & potestas pietatis. Sanctorum miracula. Deus parcit malis propter bonos.	Veritas prævalet consuetudini & omnibus aliis. Vis verbi divini. Libertas veritatis. Veritatis amor non habet resistentiam. Veritatis vis in divini verbi prædicatoribus. Veritatis vis in conversione infidelium. Vis veritatis in Sacris literis. Ecclesiæ traditionibus. In Deo. Angelis, cæterisque subjectis universalibus.	Quantum possit gloriæ cupido. Appetitus gloriæ, omnia in Mundo ardua & difficilia vincit. Quantum Sancti pro gloria Dei laborarint. Quantum laborent cupidi famæ alicujus in scientia, artibus, professione militari, mercatura.
Sapientia.	In △ mirus rerum ordo & dispositio in Mundo. [Quid] in eo administrando. In Principe Legislatio. Cognitio bonitatis in Subjectis Universalibus. In Politico, & Ecclesiastico Mundo. In beneficiis, quæ inde emanant.	Cognitio magnitudinis, quantum operetur in hominibus. Intentio mortalium versatur circa omnia ea, quæ magnitudinum excellentiam & perfectionem præ se ferunt. Cognitio quâ agnoscit quispiam suam magnitudinem, omnium magnorum causa est.	Cognitio durationis. Omnia operantur, ut in esse se conservent, & vitam prolongent feliciter. Intendunt enim omnia durationem sui Hinc parentes se perpetuant in successione filiorum. Idem de animalibus & vegetabilibus dicendum.	Signa potestatis sunt tituli grandes; Officia honorifica; Insignia, splendor familiæ. Potentia in omnibus se manifestat Sapientia regentibus necessaria est. Vigilantia superiorum in subditos. Exploratores. Nulla potestas regum sine sapientia consistere potest.	Ad Sapientiam spectat, quicquid pertinet ad Scientias, Artes, industriam, cognitiones naturales, acquisitas, & infusas.	Cognitio interiorum affectuum. Amoris, desiderii, orationis; tacita voluntas. Amor est intelligens & sapiens, in omnes artes & scientias se transformat Latens Voluntas; secreti tenacitas in Principibus. Occultatio secretorum in omni statu bona est.	Cognitio sui ipsius. præsumptio est cognoscere virtutes & perfectiones proprias cum complacentia sui, ut plurimum nocet. Physiognomia, Metoposcopia, Chiromantia, Astrologia, & cæteræ divinatoriæ artes. Ornatus templorum. Virtutis exemplo aliis prælucere. publica professio fidei. Contra; jactantia vitanda.	Veritas debet manifestari. Datur cognitio veritatis. Vis veritatis in cognoscentibus eam. Veritati cognitæ nemo resistere potest. Veritate cognita omnia salva sunt. De S. Ve. in △ [Quid] [Quomodo] &c.	Gloria, gaudium, felicitas omnibus manifesta. Præsagia gloriæ, victoriæ, felicitatis, beatitudinis. Signa gloriæ patent in iis, qui literis, præclarè gestis & sanctitate inclyti sunt. Cognitio gloriæ parturit gaudium, quietem & felicitatem.
Voluntas.	Appetitus boni. Amor sui. Bonum appetitur ab omnibus. Amor incipit à seipso. Appetitus boni in Subjectis Universalibus. in Ecclesiastico & politico Mundo Repugnantia hujus sunt, sibi nocere; uti omnes peccatores sibi nocent. Quæ per Quæstiones, earumque regulas fusè deduci possunt. Inordinatus sui amor, omnium malorum causa.	Appetitus dilatationis in rebus temporalibus, divitiis, honoribus, dignitate, fama. Appetitus libertatis, & pertingendi ad finem unicuique propositum. Appetitus ad aliquam sibi famam parandam per literas, rerum gestarum gloriam.	Velle sui conservationem, non homini duntaxat, sed & omnibus animalibus, plantis, inanimatis inest. Propagationis desiderium in omnibus dictis. Famæ post mortem cupido. Amor vitæ.	Ambitiosus appetitus dominandi. Cur tam anxiè quæratur dominatio. Ambitionis mala, ex historiis. Repugnat hisce, dignitates repudiare. Inviti sunt promovendi ad dignitates urgente necessitate. Magna pericula quæ ex nimia potentia imminent Regibus & Monarchis.	Desiderium sciendi omnibus insitum Quanta pericula philosophandi gratia Veteres subierint. Amor sciendi omnia dura & aspera contemnit, in arduis perpetuò versatur. Comprobanda sunt ex variis illustrium virorum historiis.	Ad Voluntatem pertinet quicquid Voluptatem, appetitus sensitivos, amorem & passiones, perturbationesque respicit, omnia appetibilia, pulchra, deliciosa.	Amor Virtutis & perfectionis. Cur virtus amanda sit, & quanta inde bona emanent. Motiva ad virtutis amorem. Sine virtutis amore, Deum amare impossibile est Exemplis Virtutis amantium virorum firmanda.	Amor veritatis. Cor simplex & rectitudinis amans. Admonitiones in concionibus, exhortationibus grato animo suscipiendæ. Cur ametur veritas, & cur odium pariat. Amor exercitii actionum fidei. Legislationes.	Appetitus quietis, voluptatis, delectationis, honoris, laudis. Cur homo tam anxie honorem & famam quærat? an in eo sit sita felicitas humana? Repugnat huic, melior contemptus omnium hujusmodi. Spes beatitudinis æternæ. Actiones ad ultimum finem factæ bonæ sunt & meritoriæ.
Virtus.	Virtuosa bonitas & communicatio. Ubi de Eleemosynis, cæterisque Charitatis officiis, à quibus non excipientur Religiosi Ubi de Zelo animarum in fidei progressione elucescente. Beneficentia homini convenientissima. Quæ omnia per subjecta universalia & Quæstiones fusiùs deducenda.	Magna vis magnitudinis. Quanta ex Geometria & Arithmetica miracula, quanta ex Mechanica resultent incredibilia. De facultatibus globi terreni, cœlestiumque corporum miris influxibus. Deus omnia agit virtute magnitudinis suæ infinitæ.	Virtus ex constantia, fortitudine & magna bona quæ inde proveniunt. Non minor est virtus, quàm quærere parta tueri. Omnes virtutes tam morales quàm naturales exercitio debent conservari Virtus quæ non durat, frustranea est.	Virtus regentium. Princeps legibus non est solutus. Pietas & clementia, liberalitas & munificentia, justitia cæteræque virtutes decent Regem. Rex, Sacerdos. Defectus regentium. Opposita vitia; difficilis in regimine Probitas.	Scientia juncta pietati & virtuti optima est. Scientia cum improbitate pessima, & nihil ad salutem confert, estque omnium miserrimus talis. Providentia futuri. Providentia in statu tam Ecclesiastico, quam politico exercenda. Providentia in Deo. Angelis, animalibus, exemplis probanda.	Voluntas pro facto. Velle amare est ipsum amare. Bona Voluntas Charitatis perfectio. Quanta sit Virtus Vo. in △ [Quid] Virtus appetitiva in animalibus. [Ubi] [Quando]	Ad Veritatis principium revocantur omnia illa, quæ ad materiam Virtutum in genere tam moralium quam naturalium pertinent; cujusmodi sunt facultates, vires, proprietates rerum.	Quanta sit veritatis efficacia. Veracitas est virtus laude dignissima. Quanta inde commoda emanent. Quanta in △ [Quid] sit. Quam falsitas sit odiosa, duplicitas, perfidia, hæresis, schisma.	Virtus pacis & quietis. Delectationis, gaudii, illecebrarum. Quis sit verus & rectus gloriæ, honoris, & famæ usus. Virtus summa est, divitiarum, honorumque contemptus.
Veritas.	Quod sit verum beneficium? Resp. Inimicis benefacere. Verus amor proximi extensivus sui ad omnes mortales, amicos, inimicos. Repugnat huic amori: odium, inimicitiæ, injuria sub specie auxilii beneficium conferens. Quæ omnia per subjecta universalia & Quæstiones, earumque regulas in [illegible] deducenda sunt.	Quænam sit vera magnitudo. Reges Mundi sunt servi; servi Dei sunt Reges. Ille verè est magnus, qui omnium visibilium rerum contemptor est. Ille maximus, qui amore Dei omnium humillimus est. Ve. M. in Deo. Angelis.	Ubi nulla fides, nulla veritas. Sine quâ nec Regnum, nec Rex, neque Respublica ulla potest consistere aut conservari Ubi est justitia, ibi Ve. D. ibi necessariò conservantur regna, scandala tolluntur, & pax inducitur. Ruina Regnorum aliud initium non habet, quàm veritatis deficientiam. Dei veritas in æternum permanet.	Quæ sit vera potestas, & verus Princeps. Regem oportet esse veracem in omnibus, dolosis machinationibus non deditum: non debet aliud habere in ore, aliud in corde. Commoda ex veritate potestatis in Principe. De Ve. P. in △. quâ nulli injuriam facit.	Quænam sit vera cognitio. Judicio optimo & vero omnia exequi Jurisprudentiæ. Legum constitutio ad salutem publicam proficuarum. Repugnant leges contrariæ bono communi. Ex æquo judicare merita & demerita. Veritas in △. Unde omnia participativè vera sunt.	Quæ sit vera Voluntas. Verus amor Dei, Cœlestiumque rerum, virtutis, perfectionis. Bona & honesta amicitia. Repugnat; amor mundanus, carnalis, fortunæ, gloriæ terrenæ, omniumque quæ apparenter tantùm plerumque falsa bona sunt. Veritas Vol. in Deo incarnato.	Quænam sit vera Virtus. Ex necessitate facere virtutem. Dicta debent concordare operibus. Fides operibus animata. Vera pietas, puritas & intentio in oratione. Veram virtutem non tollit infelicitas. Repugnant hisce; hypocrisis, falsa simulatio, falsum virtutis nomen Hæreticorum apparens virtus [illegible]	Ad Veritatem reducuntur omnia ea, quæ ad veracitatem, simplicitatem, leges & judicia pertinent, & quæ veritatem artium & scientiarum principiorumque evidentiam respiciunt.	Quæ sit vera pax, quies & delectatio Vera beatitudo in quo consistat. Bona conscientia. Conscium esse recti. Amor Dei & unio Repugnat; omnes delectationes terrenæ, sensuales illecebræ, & omnes rerum mundanarum vanitates; felicitas humana, falsa est, varia, periculosa.
Gloria.	Præmiũ bonitatis, & illi debitus honor. Delectatio ex bonitate. Remuneratio. Cur homines delectentur benefaciendo. Beneficentia excellens virtus est, & ideò honorem meretur. Quæ omnia per subjecta universalia & Quæstiones fusiùs deducenda. De beneficentia Dei, Angelorum in omnes &c	Immensitas Dei. Gloria Beatorum. Magnitudo gloriosa Justorum triumphantium Ille magnus est, qui gloriosa pro Dei honore peragit.	Felicitas ex duratione, sine qua subsistere non potest. Antiquitas veneranda. [illegible] senectutis. Perseveranter in omnibus Dei gloriam quærere. Gloria Dei æterna. Angelorum æviterna.	Honor; exaltatio, sublimitas; celsitudo Principum, Bona fama, virtutumque luce sparsâ acquiruntur. Principes & Reges, superioresque maximam famæ rationem habere debent. Quies & recollectio Principibus subinde necessaria est.	Scientiæ sublimant ob excellentiam & præmium Sapientibus constitutum. Contemplationis vis & præstantia. Artium præmia. Voluptas, delectatio, gaudiumque in veritatis inquisitione & inventione rerum. Voluptas oborta ex inventione veritatis, superat omnes mundi felicitates	Voluptas interna amoris & præmium. Amanti omnia sunt facilia; ardua jucunda, amœna, delectabilia; & unde procedat [illegible] Amoris dolores, vigores, languores in amore tam divino, quàm sensitivo.	Virtutis remuneratio utilis & honesta. Virtus hostibus venerabilis. Festa Sanctorum præmium virtutis in Cœlis. Quies Virtutis post labores; quieta & solitaria virtus. Sapiens aulam fugit. Pax & voluptas virtutis. Leve & suave jugum Christi. Bona conscientiæ pax.	Victoria ex veritate Splendor veritatis sacra eloquentia. Sacra psalmodia Delectatio, gaudium, & voluptas ex veritate.	Ad Gloriam pertinent omnia illa, quæ perfectionem, quietem, delectationem, honorem respiciunt.

CAPUT III.

De Mathematicis.

VTi nulla inter humanas ſcientias in tot partes dividitur, ſicuti Matheſis; ita nulla quoque ad innumerabilium rerum inventionem, Arte Combinatoria obtinendam aptior eſt; ſed diverſo à cæteris modo, ratione & methodo. Et quamvis non omnia noſtra principia Matheſi, quæ circa quantitatem rerum tantùm occupatur, præciſè applicari poſſunt, uti ſunt moralia; poſſunt tamen ad eadem per certam quandam analogiam omnia eo modo revocari, ut ſufficientiſſimam de quocunque argumento materiam præbeant.

Primò itaque oſtendemus, quomodo Matheſis ad Artis noſtræ principia reduci poſſit; deinde quoque, quomodo omnia quæ in Matheſi conſiderantur, principiis applicari poſſint, ad diſcurſum de ſingulis formandum. *V. Gr.*

B. Ad *Bonitatem* in Mathematicis revocantur omnes figuræ, quantitates, qualitates, uti lux, color, ſine quibus homo quidquam rectè concipere non poteſt; Lucem enim videmus ſub forma linearum in orbem diffuſarum; Superficies omnis generis triangulorum, quadratorum, circulorum, pentagonorum, in quantum colore affectæ, & per ea corporum coloratorum ſuperficiem intuemur. Quæ omnia bona ſunt, utpote ſine quibus ſubſtantia rei ex ſe inviſibilis ſpectari non poſſet.

M. Ad *Magnitudinem* revocantur omnes tam continuæ, quàm diſcretæ rerum quantitates, in quantum ſuis ſuperficiebus terminantur; & ſine hiſce nihil in natura rerum cognoſci poteſt; Cùm nihil, teſte philoſopho, ſit in intellectu, quod non priùs fuerit in ſenſu. Hinc viſus colores in ſuperficiebus elùceſcentes dijudicat; hinc auditus haurit ſonorum, vocumque diſcrimen, quæ ex corporum quantorum colliſione emanant; hinc ex coloribus in herbis, de quantitate humiditatis, ſiccitatis, caliditatis, frigiditatis ſub iis latente judicat olfactus & guſtus. Tactus denique ſine corpore quanto percipi non poteſt; totus ergo circa quantitatem occupatur.

D. Ad *Durationem* revocatur omne quod tempori ſubeſt: hora, dies, ſeptimana, menſis, annus, ſæculum &c. Cùm nihil ſine tempore durare & in ſuo eſſe conſervari poſſit. Ad hanc itaque omnes iſtæ diſciplinæ, quæ temporum eſſentiam exponunt, menſurant, ordinant, diſponunt, reducuntur: uti Aſtronomia, Computus Eccleſiaſticus, Chronographia, & ſimilia.

P. Ad *Potentiam* revocantur omnia iſta, quæ Euclides l. 7. 8. 9. de potentiis, ſive de lineis ad aliquam figuram conſtituendam aptis ſubtili ratiocinio exponit; veluti in omni triangulo rectangulo, iſoſcele, latus ſubtendens angulum rectum, in potentia eſt duplum, ad unum è duobus rectum ambientibus. Et ratio eſt, quia tale quadratum eſt æquale duobus reliquis, quæ rectum angulum ambiunt, quadratis, & huc revocantur poteſtates Algebraicæ, & potentia ſeu vis moventium ad datum pondus in ſtaticis.

S. Ad *Sapientiam* revocantur in Mathematicis principia; Definitiones, Axiomata, Poſtulata ſeu petitiones; reductio ad impoſſibile, & ſimiles modi, quibus infallibili conſequentiarum ſerie per Reſolutionem & Compoſitionem ſuas propoſitiones demonſtrant.

Vo. Ad *Voluntatem* revocantur omnia ea, quæ & admiratione & mirifica voluptate omnes eos, qui ſimiles ingenii delicias, ob infinitam inventionum varietatem experti ſunt, afficiunt.

Vi. Ad *Virtutem* revocantur omnes illæ Mathematicæ facultates, quæ ingentem machinarum vim demonſtrant uti Aſtronomica inſtrumenta, tubi Optici, Staticæ & Thaumaturgicæ machinæ, nullo non tempore ab omnibus in admiratione habitæ.

Ve. Ad *Veritatem* revocantur omnes illæ admirandæ veritates, quæ ex Trigonometria, Conicis ſectionibus, Cyclometria, ſimilibuſque quotidiè magno Reip. emolumento eruuntur.

G. Ad *Gloriam* revocantur omnia illa Matheſeos glorioſa ſtudia, quibus æternam nominis famam ſibi pepererunt tum novi, tum veteres Mathematici.

=. Ad *Differentiam* revocantur omnia illa, quæ ad differentiam figurarum, superficierum, corporum, spectant.

♡. Ad *Concordantiam* revocantur omnes epharmoses sive transmutationes unius figuræ in aliam, & omnium in unam.

o●. Ad *Contrarietatem* revocantur omnia illa, quæ circa æqualitatem & inæqualitatem, magnitudinem & parvitatem, curvum & rectum, demonstrabile, & indemonstrabile occupantur, uti quadratura circuli, duplicatio cubi, & similia hisce inventa.

α. Ad *Principium* revocantur principia Arithmeticæ, Geometriæ, Musicæ, Astronomiæ, Opticæ, Staticæ, eorumque causæ, modi, rationes.

⊙. Ad *Medium* revocantur omnes æqualitates, æquationes, verbo, omnia quæ per subtractionem & additionem, multiplicationem & divisionem in iis expediuntur; in his enim omnibus medium inquiritur; deinde omnia instrumenta Mathematica, Geometrica, Astronomica, Musica, Optica, Statica &c. quæ sunt media ad veritatem inveniendam.

ω. Ad *Finem* revocantur omnia, quæ latenti veritati indagandæ serviunt; hic enim unicus Matheseos finis est.

M. Ad hanc revocantur omnia, quæ ad majoritatem corporum cœlestium, elementarium, aliorumque metiendorum pertinent, ubi de magnitudine motuum Cœlestium.

Æ. Ad hanc revocantur, quæ similitudinem vel dissimilitudinem, æqualitatem vel inæqualitatem, uti triangulorum æquiangulorum, superficierumque proportiones assignant, ut; Unam figuram alteri cuicunque æqualem dare; Inæqualitatem ad æqualitatem reducere, & his similia, quibus plena est Geometria.

Min. Ad hanc revocantur omnes minoritates corporis; extractiones radicum, tam cubicæ, quàm quadratæ. In Geometria data figura quacunque eam in quacunque data proportione minorem reddere; Omnes denique diminutiones figurarum qualiumcunque huc revocantur; uti sunt, imaginum per optica instrumenta in minorem vel majorem proportionem reductio, mapparum geographicarum confectio, & similia, de quibus practica tractat Mathesis.

Subjecta quoque Universalia sibi applicat Mathematica.

△ De DEO multa ostendit sub analogia quadam figurarum geometricarum; Essentiam enim DEI unà cum attributis pulchrè explicat per circuli mirabiles proprietates; Sacrosanctam Triadem per △ æquilaterum, & his similibus, de quibus consule Cardinalem Cusanum in libro de docta Ignorantia, & in libro de Geometricis figuris.

Angelicum: uti ostendit Scotus per 34. l. 1. elementorum Euclidis, demonstrando per dictum Theorema, quomodo Angelus simul totus in Cœlo & Terra esse possit.

◎ Argumentum de *Cælo* totum sibi vendicat Mathematicus Astronomus.

Hydraulica *Elementorum* naturam & proprietatem demonstrat.

In *Corpore humano* membrorum omnium ad invicem proportiones, magnitudines juxta geometricas leges Mathematicus explicat, de quibus vide Alberti Dureri Geometriam.

Animalium motum, incessum, voces, avium volatus per machinas mirificas exhibet Mathematicus.

Plantarum naturam & proprietates per figuras iis à natura insitas, & per artificia statica explanat Mathematicus, incrementi quotidiani excessum explorat.

Mineralium sedes & loca explorat, in varias figuras crystalla cæterosque lapides pretiosos ad innumeros usus expolit.

In *Instrumentalitatum* denique subjecto totus est Mathematicus.

Habes hîc Lector brevem quidem eorum, quæ juxta Artis nostræ regulas in Mathematicis explorari possunt, epitomen. Verùm cùm unumquodque hîc adductorum argumentorum innumeras propositiones contineat, ea consultò Mathesi nostræ reservavimus, ubi quæcunque de hisce mirificis disciplinis desiderari possunt, pulchro artificio exhibita suo tempore, si DEUS vitam dederit, reperies.

§. I.

§. I.

Quomodo Matheſis ad Artis noſtræ principia reduci poſſit; deinde quoque, quomodo omnia quæ in Matheſi conſiderantur, principiis applicari poſſint, ad diſcurſum de ſingulis formandum.

Per:

- B. De *bonitate*, perfectione, neceſſitate, utilitate Matheſeos. De diffuſione & communicatione Matheſeos ad omnes humanarum actionum uſus; quæ inductione poſſunt probari ex Arithmetica, Geometria, Muſica, Aſtronomia, Optica, Mechanica, quæ ſibi invicem ita ſubordinantur, ut omnes ſuas operationes vel ab Arithmetica, vel Geometria mutuentur.
- M. Probabis *magnitudinem* operum prorſus admirandorum à Mathematicis vel exhibitorum, vel in hunc uſque diem exhiberi ſolitorum.
- D. Operum *durabilem* permanentiam.
- P. De vi & *poteſtate* admiranda machinarum Mathematicarum.
- S. De mirandis *inventionibus* rerum à Mathematicis detectarum.
- Vo. De *delectatione*, qua ſummi quivis Principes in Mathematicis verſantur.
- Vi. De *viribus* maximis, queis in humani generis negotiatione Matheſis ſeſe exerit.
- Ve. De *veritate* Mathematica infallibili.
- G. De *gloria*, quam acquirunt hujuſmodi inventionibus dediti ſagaces Mathematici.
- =. De *differentibus* ſcientiis Mathematicis, ubi univerſa Matheſeos diviſio adducitur, quam Secundo hujus Operis Libro exhibuimus.
- ♡. De *concordantia* principiorum Mathematicorum.
- ○●. De *oppoſitionibus* in Mathematicis, æquali, inæquali.
- α. De *cauſis* & principiis Mathematicis.
- ⊙. De *mediis* ad eam acquirendam neceſſariis.
- ω. De *fine* Matheſeos.
- M. Æ. Min. De *majoritate*, æqualitate, minoritate objectorum in Matheſi occurrentium.

Habes hîc Lector generalem quandam Matheſeos ejusque utilitatis deſcriptionem, per 18 Artis noſtræ principia diſpoſitam. Si porrò in particulari unamquamque ex dictis deſcribere libuerit, facies id ſine difficultate eo modo, qui ſequitur.

- B. De *bonitate* diffuſione & communicatione
- M. De *magnitudine* ſeu quantitate, qua ſeſe extendit ad omnia, quæ in mundo ſunt.
- D. De *duratione* & firmitate conſtantiaque irrefragabili.
- P. De *potentia* & miris effectibus.
- S. De certitudine & evidentia *demonſtrationum.*
- Vo. De *delectatione* & guſtu quo afficiunt ſuos ſectatores.
- Vi. De *viribus* & energia quibus pollent.
- Ve. De *infallibili* demonſtrandi methodo.
- G. De *gaudio* & gloria, qua afficiuntur cultores.
- = De *differentia* objectorum.
- ♡ De *concordantia* in iisdem principiis.
- ○● De *oppoſitione* terminorum, de compoſitione & reſolutione.
- α De *cauſis* & principiis, ex quibus ſua demonſtrat Scientia; uti Axiomatis.
- ⊙ De *mediis* ad demonſtrandum aſſumptis.
- ω De *fine* ſcientiarum Mathematicarum.
- M. De *majoritate*, qua una alteram dignitate, utilitate, neceſſitate ſuperat.
- Æ. De ſimili & diſſimili, de proportione & diſproportione, pari, impari.
- Min. De minoritate ſcientiarum; uti illiberales, mechanicæ, quæ ſua principia deducunt ex Mathematica.

Arithmeticæ. Geometriæ. Muſicæ. Aſtronomiæ. Gnomonicæ. Opticæ. Catoptricæ. Mechanicæ. Staticæ.

§. II.

De modo demonſtrandi in Mathematica, qui eſt per Reſolutionem & Compoſitionem.

Quamvis in Secundo Libro, Parte Tertia de Arte Analytica & Synthetica nonnulla ex Mathematicis de puncto & linea paradigmata tradiderimus; ne tamen nihil in hoc capite dixiſſe videamur, nonnulla quoque de linearum affectionibus paradigmata adducenda ratus ſum, ut modum in Mathematicis procedendi Lector luculentius videat.

DE ANGULO.

Ex Geometria Franciſci Patricii.

Quoniam ab uno puncto poſſunt duci duæ lineæ rectæ perpendiculares ad invicem, illæ neceſſariò conficient angulum rectum.

Demonſtratur. Quia ſi angulus rectus non eſſet, neque eſſet medius, neque à perpendiculari comprehenſus.

Sed eſt comprehenſus. Ergo angulus rectus erit.

Quando ergo medius & comprehenſus à perpendiculari erit rectus, is nunquam ſitum ſuum mutabit.

Demonſtratur. Si enim mutaret ſitum, non foret rectus, neque à perpendiculari comprehenſus. Sed eſt. Ergo.

Et quia rectus angulus ſitum ſuum non mutat; ergo neque major neque minor erit.

Demonſtratur. Si enim major aut minor foret, ſitum utique variaret.

Sed hoc eſt contra præcedentem. Ergo.

Si ergo neque major neque minor eſt, ſemper erit aqualis.

Demonſtratur. Si enim non eſſet ſibi ipſi æqualis, eſſet vel major, vel minor.

Sed per præcedentem conſtat minorem aut majorem eſſe non poſſe. Ergo.

Si angulus rectus eſt ſibi ipſi æqualis; ergo omnes anguli recti inter ſe æquales erunt.

Demonſtratur. Quia ſi omnes non eſſent inter ſe æquales, neque ipſe foret ſibi ipſi æqualis.

Quod eſt contra præcedentem. Ergo.

Si ergo omnes anguli recti inter ſe ſunt æquales; ergo angulus, qui recto non eſt æqualis, angulus rectus eſſe non poteſt.

Demonſtratur. Quia ſi foret angulo recto æqualis, eſſet & ipſe rectus.

Sed ex præcedenti conſtat, rectum non eſſe. Ergo.

Si ergo omnis angulus recto non æqualis, rectus non eſt; eo vel minor, vel major erit.

Demonſtratur. Quia ſi major aut minor angulo recto non eſſet, eſſet æqualis; quod eſt contra præcedentem. Major ergò vel minor recto eſt.

Si angulus non rectus eſt major aut minor recto, neque is à perpendiculari comprehendetur.

Demonſtratur. Si enim à duabus ſibi perpendicularibus comprehenderetur, eum rectum fore neceſſe eſſet, neque majorem neque minorem recto; quod eſt contra præcedentem. Ergo à perpendicularibus non comprehendetur.

Si angulus hujuſmodi non erit comprehenſus à duabus lineis perpendicularibus; ergo erit comprehenſus à lineis vel acutum vel obtuſum angulum conſtituentibus.

Demonſtratur. Quia ſi acutum vel obtuſum tales lineæ non conſtituerent, conſtituerent utique angulum rectum; quod eſt contra præcedentem. Ergo à lineis acutum vel obtuſum angulum conſtituentibus.

Ergo per *Reſolutionem.* Angulus comprehendetur à duabus rectis lineis, vel inclinatis, vel declinatis; Et hoc,

Quia major vel minor recto eſt; & hoc, quia non eſt rectus; & hoc, quia recto non æquatur; & hoc, quia omnes recti ſunt inter ſe æquales; & hoc, quia rectus ſemper ſibi ipſi eſt æqualis; & hoc, quia neque major neque minor eſt ſeipſò; & hoc, quia ſitum nunquam variat; & hoc, quia ſemper rectus; & hoc, quia medius angulus eſt inter acutum & obtuſum.

Propoſitiones de Triangulo rectilineo.

Si tria puncta non fuerint in directum poſita, poterit ab uno ad alterum recta linea duci.

Demonſtratur. Si ab uno ad alterum linea recta non poſſit duci; ergo duo puncta non continebunt lineam. Sed hoc eſt contra definitionem lineæ. Ergo ab uno &c.

Si ergo ab uno puncto ad alterum linea duci poteſt, ergo ab unoquoque duæ lineæ reſultabunt.

Demonſtratur. Quia ſi duæ lineæ non poſſent duci, ab unoquoque ductæ non reſultarent, neque una linea à puncto ad punctum duci poſſet.

Sed hoc eſt contra præcedentem. Ergo.

Si ergo ab unoquoque punctorum duæ lineæ poſſunt duci; ergo à tribus punctis tres lineæ duci poterunt.

Et ſic de cæteris.

Sed quoniam hæc omnia Mathematicæ noſtræ Combinatæ reſervavimus: iis immorari noluimus.

CAPUT

CAPUT IV.

De Cycloſophica Artis hujus methodo.

CYcloſophicam methodum appellamus eam, qua Orbibus compluribus Artis noſtræ principia continentibus, ſibi invicem implexis propoſitarum quæſtionum veritatem inveſtigamus; Et quamvis in Tertio Libro in principio Theologiæ Combinatæ eam deſcripſerimus, quia tamen nonnulla huc pertinentia ibidem omiſimus, ea hoc loco opportunè adnectenda duximus.

Uti multiplex ingeniorum eſt affectus, ita alii alias ſibi methodos gratiores arripiunt, utpote naturali genio conformiores; Hinc varias hîc methodos tractandæ Artis præſcripſimus, ut unuſquiſque eam ſibi eligat, ad quam eum inſita ſtimulatione natura reddiderit aptiorem habilioremque; Inter quas & Cycloſophica methodus, quam paucis explicare viſum fuit. Et quoniam difficile eſt hujusmodi ſibi implexos orbes in plano repræſentare, eos per Tabulas planas commodius exprimendos exiſtimavi.

Eſt autem duplex modus. Prior inſtituendus eſt per ſex orbes ſibi invicem implexos; hos orbes in plano, hoc pacto exhibebis.

Scribe integrum Alphabetum Artis noſtræ in ſex ſeries rerum diſtinctarum, uti in principio hujus Libri factum vides, hoc modo:

Orbis	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	
1.	B.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.	Principiorum abſolutorum.
2.	=	♡	○●	α	⊙	ω	M.	Æ.	Min.	Principiorum reſpectivorum.
3.	Utrum.	Quid.	De quo.	Cur.	Quantum.	Quale.	Quando.	Ubi.	Quomodo & Cum quo.	Quæſtionum.
4.	△	☁	◎	□	🚶	🐂	🌳	⬠	⁙	Subjectorum univerſalium.
5.	Juſtitia.	Prudentia.	Fortitudo.	Temperantia.	Fides.	Spes.	Charitas.	Patientia.	Pietas.	Virtutum.
6.	Avaritia.	Gula.	Luxuria.	Deſidia.	Invidia.	Ira.	Mendacium.	Superbia.	Inconſtantia.	Vitiorum.

Primam transverſam *Principiorum abſolutorum* ſeriem deſcribes in primi & ſupremi & maximi orbis circumferentia.

Secundam tranſverſam *Principiorum reſpectivorum* ſeriem deſcribes in ſecundi orbis circumferentia.

Tertiam ſeriem *Quæſtionum* deſcribes in tertii orbis circumferentia.

Quartam ſeriem *Subjectorum univerſalium* deſcribes in quarti orbis circumferentia.

Quintam ſeriem *Virtutum* deſcribes in quinti circuli circumferentia.

Sextam ſeriem *Vitiorum* deſcribes in ſexti circuli infimi orbis circumferentia.

Quos orbes ſi ſibi invicem innexueris, habebis *Rotam Cycloſophicam* paratam.

Uſus Rotæ Lullianæ.

Vſus Rotæ hic eſt. Sit tibi deſcribenda Virtus in genere: Primò accommodabis Orbes eo modo quem Tabula præſens tibi demonſtrat. Deinde à principio abſoluto B. incipiendo ages de *Bonitate*, perfectione, communicatione & diffuſione Virtutis. Deinde in orbe ſecundo, primo loco occurrit =, quæ te ad variam diviſionem, diſtinctionem Virtutum ducet. In tertio Orbe occurrit, *Utrum.* Unde quasvis de Virtutis perfectione *Quæſtiones* inſtitues. In quarto Orbe, primo loco occurrit △; ex quo colliges Virtutem *divinum* quid eſſe, & à DEO immediatè collatum donum. In quinto Orbe primo loco eſt Juſtitia, quæ demonſtrabit, quàm Virtus juſta ſit, quanta

bona conferat. In Sexto Orbe, primo loco occurrit *Avaritia*, quanto desiderio virtuti acquirendæ incumbere debeamus; quam parci in ea obtinenda.

Hoc peracto, reliquas ordine Columnas immotis Orbibus pari pacto percurres. Et his expeditis, tunc demum fiet Combinatio Columnarum cum Columnis, quomodolibet factis, & habebis, post Combinationem factam, de virtutis perfectione argumenta ad numerum 486. Hoc pacto quælibet ex Theologia, Metaphysica, Physica, Ethica, Politica &c. argumenta discuties.

Alter modus Rotæ Cyclosophicæ disponendæ est is, qui sequitur.

1.	An.	Quid.	Cur.	Quantum.	Quî.	Quale.	Ubi.	Quando.	Quibuscum.
2.	B.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.
3.	B.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.
4.	△	☁	◎	⊡	🚶	🐂	🌳	⬠	⁝⁝⁝
5.	=	♡	o●	α.	⊙.	ω	M.	Æ.	Min.
6.	△	☁	◎	⊡	🚶	🐂	🌳	⬠	⁝⁝⁝
7.	Quantitas.	Qualitas.	Relatio.	Actio.	Passio.	Ubi.	Quando.	Situs.	Habitus.

Has transversas series in totidem Orbium circumferentias contorquebis, & habebis Rotam ad discurrendum de quacunque re præparatam.

Alter modus est concinnandæ Rotæ, eâ quæ sequitur, methodo.

		1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	
		An.	Quid.	Cur.	Quantum.	Quî.	Quale.	Ubi.	Quando.	Quibuscum.	
Orbis	1.	B.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.	Principia absoluta.
	2.	B.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.	
	3.	△	☁	◎	⊡	🚶	🐂	🌳	⬠	⁝⁝⁝	Subjecta universalia.
	4.	B.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.	Principia absoluta.
	5.	△	☁	◎	⊡	🚶	🐂	🌳	⬠	⁝⁝⁝	Subjecta universalia.
	6.	B.	M.	D.	P.	S.	Vo.	Vi.	Ve.	G.	Principia absoluta.
	7.	=	♡	o●	α	⊙	ω	M.	Æ.	Min.	Principia respectiva.
	8.	Quantitas.	Qualitas.	Relatio.	Actio.	Passio.	Ubi.	Quando.	Situs.	Habitus.	9 Prædicamenta.

Ecce

Ecce Lector Tabulam octo ſerierum, quas ſi in octo differentium Orbium circumferentias ordine tranſtuleris, habebis rotam octo Orbium, ad omnium propoſitarum quæſtionum ſolutionem paratam.

Priores duæ ſeries transverſæ notant primam propoſitionem, ſine maiorem. Secundæ duæ ſeries tranſverſæ notant minorem. Tertiæ duæ ſerie s concluſionem inferunt.

Vſus eſt iſte. Sit Quæſtio de *Bonitate DEI*, vel alio quovis. Hanc per Orbes hoc pacto oſtendes.

Stent omnes orbes eo ordine, quo Tabulam poſitam vides: & quoniam DEI bonitas oſtendenda eſt, & primo loco ſtatim duo B. B. occurunt, ut identicas propoſitiones vites, loco ſecundi B. accipies terminum ad bonitatem reducibilem: V Gr. diffuſivum ſui. Cùm itaque in prima orbis diviſione literæ eo ordine ſequantur, quo in ſequenti apparet, ita argumentabere.

B. B. } Omne bonum eſt diffuſivum ſui.

△. B. } Deus eſt bonus.

△. B. } Ergo DEUS eſt diffuſivus ſui.

Si verò jam ſecundi Orbis ſecundam literam M. promoveas ſub primi Orbis litera B. & quarti orbis ſecundam literam promoveas ſub ſigno △. & ſexti orbis ſecundam literam M. promoveas ſub ſigno △. habebis alium Syllogiſmum:

B. M. } Omne bonum eſt magnum & extenſivum ſui.

△. B. } DEUS eſt bonus.

△. M. } Ergo DEUS eſt magnus eſt extenſivus ſui.

Hoc pacto promovendo ordine literas initiales principiorum abſolutorum ſub primi, tertii, ſexti orbis ſignis, habebis 9 Syllogiſmos de bonitate divina.

Hoc peracto, pro medio totidem ſyllogiſmorum accipies ſecundam literam M. eamque ordinabis ſub ſignis △ △, & habebis alios Syllogiſmos de Magnitudine divina.

Hoc etiam peracto, promove D. ſub dictis ſignis, & ordine reliquorum orbium quarti & ſexti literas D. & habebis alios 9 Syllogiſmos de æternitate DEI. Et ſic procedendo, donec ad ultimam perveneris initialem literam G. hoc eſt, Gloriæ, & habebis 81 Syllogiſmos de attributis divinis.

Si jam ſub primi orbis ſerie applicueris ſignum ═. habebis alios ſyllogiſmos de differentia divinorum attributorum comparatorum ad creaturas. Et ſic hæc omnia per novem prædicamenta deducere poteris.

Iterum, ſi jam aſſumpſeris qualecunque ex novem Subiectis vniverſalibus; *V. Gr.* Angelum; ejuſque attributa demonſtrare velis, tunc applicabis ſub primis orbibus ſignum [ſign]. vel ◎. vel □. vel [ſign]. vel [ſign]. &c. & habebis totidem, quot in primo exemplo, de Bonitate, M. D. P. &c. Syllogiſmos. Sunt autem hi orbes ita diſpoſiti, ut quemcunque ordinem literarum acceperis, ex iis Syllogiſmum elicere poſſis, *V. Gr.*

Occurrunt temerè hæliteræ B. Vo. (Major.) S. B. (Minor.) S. Vo. (Concluſ.) ſic argues.

Omne bonum eſt appetibile.
Sapientia eſt bona.
Ergo eſt appetibilis.

Vel occurrunt, B P. (Major.) [ſign] B. (Minor.) [ſign]. P. (Concluſ.)

Omne bonum eſt potens.
Homo eſt bonus.
Ergo homo eſt potens.

Quæ de aliis pari pacto intelligenda ſunt, ita ut ſyllogiſmorum orbibus contentorum nullus ſit numerus, nec finis.

Lector ex hiſce paucis mentem meam facilius intelliget, quam ego multis verbis explicare non poſſim. Poſſunt & huic Tabulæ interſeri termini ad explicata principia reducibiles, ad majorem rerum inventionumque varietatem. Verùm ut Lector *Cornucopiæ* paratum habeat omnium eorum terminorum, qui ad principia vniverſalia reduci poſſunt; de hiſce in ſequenti Capite agendum eſt.

CAPUT V.

De Terminis ad octodecim principia Artis reducibilibus.

Artifta meritò omnem induftriam in hac methodo addifcenda luderet, fi terminis reducibilibus, five appropriatis fynonymis deftitueretur. Quare eos in omni occurrenti occafione menti firmiter impreffos tenebit. Sunt autem termini ad principia reducibiles ii, qui fequuntur, quibus ad majorem argumentandi libertatem fingulis appofuimus oppofitos five contrarios terminos, quorum quis in Arte ufus fit, pofteà patebit. Ad Bonitatem reducuntur: Amplexandum. Acceptabile. Oppofita, Repudiandum. &c.

Ad B. *Bonitatem revocantur.*

	Bona.			Mala.	
Omne Quoddam	Acceptabile	B.	Nullum Quoddam	Repudiandum	B.
	Commodum	M.		Incommodum	M.
	Dignum	D.		Indignum	D.
	Æquum	P.		Iniquum	P.
	Juftum	S.		Injuftum	S.
	Benignum	Vo.		Malignum	Vo.
	Communicabile			Incommunicabile	
	Liberale	Vi.		Illiberale	Vi.
	Congruum	Ve.		Incongruum	Ve.
	Defiderabile	G.		Abominabile	G.
	Diffufivum fui	⚌.		Non diffufivum fui	⚌.
	Honeftum	♡.		Inhoneftum	♡.
	Decus	o●.		Dedecus	o●.
	Nobile	α.		Ignobile	α.
	Clarum	⊙.		Obfcurum	⊙.
	Conveniens	ω.		Inconveniens	ω.
	Pulchrum	M.		Turpe	M.
	Utile	Æ.		Inutile	Æ.
	Effe			Non effe	
	Perfectum	Min.		Imperfectum.	Min.

Ad M.

Ad M. *Magnitudinem revocantur.*

Omne Aliquod		Nullum Aliquod	
Magnum	B.	Parvum	B.
Copiofum	M.	Deficiens	M.
Amplum	D.	Strictum	D.
Capax	P.	Incapax	P.
Opulentum	S.	Egenum	S.
Fœcundum	Vo.	Infœcundum	Vo.
Fertile	Vi.	Sterile	Vi.
Immenfum	Ve.	Exiguum	Ve.
Infinitum	G.	Finitum	G.
Infigne	⚌.	Inglorium	⚌.
Sufficiens	♡.	Infufficiens	♡.
Vehemens	o•.	Lene	o•.
Majeftate confpicuum	α.	Vile	α.
Exuberans	⊙.	Non exuberans	⊙.
Extenfum	ω.	Inextenfum	ω.
Egregium	M.	Abjectum	M.
Excellens	Æ.	Ignobile	Æ.
Intenfum	Min.	Infufficiens	Min.

Ad D. *Durationem revocantur.*

Omne Quoddam		Nullum Quoddam	
Æternum, æviternum	B.	Temporale	B.
	M.		M.
Confiftens	D.	Inconftans	D.
Permanens	P.	Non permanens	P.
Stabile	S.	Inftabile	S.
Ætas	Vo.	Nulla ætas	Vo.
Antiquitas	Vi.	Novitas	Vi.
Conftans	Ve.	Inconftans	Ve.
Durum	G.	Molle	G.
Firmum	⚌.	Infirmum	⚌.
Indiffolubile	♡.	Solubile	♡.
	o•.		o•.
Immortale	α.	Mortale	α.
Perfeverans	⊙.	Non perfeverans	⊙.
Præfens	ω.	Præteritum, futurum	ω.
	M.		M.
Sanum	Æ.	Debile	Æ.
Vigorofum	Min.	Imbecille	Min.

Ad P.

Ad P. *Potestatem revocantur.*

Omne Omnis Aliqua Aliquis	Auctoritas	B.	Nullum Nihil Aliqua	Sine auctoritate	B.
	Dignitas	M.		Indignitas	M.
	Divitiæ	D.		Egestas	D.
	Dominatio	P.		Subjectio, Servitus	P.
	Facultas	S.		Ineptitudo	S.
	Habilitas	Vo.		Inhabilitas	Vo.
	Jurisdictio	Vi.		Non jurisdictio	Vi.
	Libertas	Ve.		Constrictio	Ve.
	Magistratus	G.		Subditi	G.
	Præceptum	=.		Impotentia præcepti	=.
	Principatus	♡.		Obedientia	♡.
	Paternitas	○●.		Filiatio	○●.
	Robur	α.		Imbecille	α.
	Jus	⊙.		Inefficacia	⊙.
	Violentia	ω.		Debilitas	ω.
	Coactio	M.		Illiberum	M.
	Armatum	Æ.		Inerme	Æ.
	Facultates naturales	Min.		Sine facultatibus naturalibus	Min.

Ad S. *Sapientiam revocantur.*

Omnis Omne Aliqua Aliquis	Ars	B.	Nihil Nullum Aliquid Aliqua Aliquis	Sine arte	B.
	Artificiosum	M.		Inartificiosum	M.
	Certitudo	D.		Incertitudo	D.
	Conjectura	P.		Improvisum	P.
	Prudentia	S.		Imprudentia	S.
	Consilium	Vo.		Sine consilio	Vo.
	Providentia	Vi.		Improvidentia	Vi.
	Doctrina	Ve.		Ignorantia	Ve.
	Experientia			Inexperientia	
	Fides			Perfidia	
	Omnes gradus literatorum	G.		Nulli gradus	G.
	Industria	=.		Desidia	=.
	Intelligentia	♡.		Stoliditas	♡.
	Peritia			Imperitia	
	Lex	○●.		Sine lege	○●.
	Opinio	α.		Sine opinione	α.
	Ordo	⊙.		Confusio	⊙.
	Prædestinatio	ω.		Reprobatio	ω.
	Ratio			Sine ratione, amentia	
	Regula	M.		Sine regula	M.
	Sagacitas	Æ.		Expers sagacitatis	Æ.
	Scientia	Min.		Ignorantia.	Min.

Ad Vo.

Ad Vo. *Voluntatem revocantur.*

Omnis Omne Aliquis Aliqua Aliquod	Amor	B.	Nullum Aliquis Aliqua Aliquod	Odium	B.
	Amicitia	M.		Inimicitia	M.
	Benevolentia	D.		Malevolentia	D.
	Concupiſcentia	P.		Frigiditas	P.
	Conſuetudo	S.		Diſſuetudo	S.
	Cupiditas	Vo.		Lentor	Vo.
	Deſiderium	Vi.		Torpor	Vi.
	Gaudium	Ve.		Triſtitia	Ve.
	Libertas	G.		Sine libertate	G.
	Liberum arbitrium	=.		Conſtrictio libertatis	=.
	Licentia	♡.		Sine licentia	♡.
	Permiſſio	○●.		Sine permiſſione	○●.
	Jucunditas	α.		Injucunditas	α.
	Amabilitas	☉.		Inamabilitas	☉.
	Suavitas	ω.		Inſuavitas	ω.
	Omne deſiderabile	M.		Nil deſiderabile	M.
		Æ.			Æ.
		Min.			Min.

Ad Vi. *Virtutem revocantur.*

Omnis Omne Aliqua Aliquis Aliquod	Virtus	B.	Nullum Aliquis Aliqua Aliquod	Imbecillitas	B.
	Origo	M.		Sine origine	M.
	Emanatio	D.		Non emanans	D.
	Perennitas	P.		Parùm durans	P.
	Derivatio	S.		Sine derivatione	S.
	Principium operationũ	Vo.		Debilitas operationis	Vo.
	Fœcunditas	Vi.		Sterilitas	Vi.
	Pullulatio	Ve.		Non pullulatio	Ve.
	Fertilitas	G.		Infertilitas	G.
	Habitus	=.		Sine habitu	=.
	Manifeſtatio	♡.		Sine manifeſtatione	♡.
	Sacramentum	○●.		Sine ſacramento	○●.
	Gratiæ	α.		Sine gratia	α.
	Omnes facultates naturales	☉.		Nullæ facultates	☉.
	Omnes vires lapidum, herbarum animalium	ω.		Oppoſita viribus, & proprietatibus dictorum.	ω.
		M.			M.
		Æ.			Æ.
		Min.			Min.

Ad Ve. *Veritatem revocantur.*

	Veritas	B.		Falſitas	B.
	Adæquatio	M.		Inadæquatio	M.
	Approbatum			Inapprobatum	
	Authoritas	D.		Sine authoritate	D.
	Animadverſio			Non animadverſum	
	Confirmatio	P.		Inconfirmatio	P.
Omnis Omne Aliqua Aliquis Aliquod	Probatio	S.	Nullum Aliqua Aliquis Aliquod	Improbatio	S.
	Inſtrumenta			Sine inſtrumentis	
	Regiſtrum	Vo.		Non regiſtratum	Vo.
	Definitio			Indefinitum	
	Diſtinctio	Vi.		Indiſtinctum	Vi.
	Diviſio	Ve.		Indiviſum	Ve.
	Illatio			Sine conſequentia	
	Principia	G.		Sine principiis	G.

Ad G. *Gloriam revocantur.*

	Beatitudo	B.		Infelicitas	B.
	Celebritas	M.		Sine celebritate	M.
	Fama			Sine fama	
	Felicitas	D.		Miſeria	D.
	Gaudium			Triſtitia	
	Honor	P.		Dedecus	P.
	Laus			Illaudatio	
Omnis Omne Aliqua Aliquis Aliquod	Majeſtas	S.	Nullum Aliquis Aliqua Aliquod	Sine majeſtate	S.
	Nobilitas			Ignobilitas	
	Ornamentum	Vo.		Sine ornamento	Vo.
	Pulchritudo	Vi.		Turpitudo	Vi.
	Remuneratio			Irremuneratio	
	Splendor	Ve.		Obſcuritas	Ve.
	Triumphus			Sine triumpho	
	Victoria	G.		Subjectio	G.

Ad =. *Differentiam revocantur.*

Aliud	Idem
Alterum	Idipſum
Diſcretio	Indiſcretum
Diſparitas	Paritas
Diſtinctio	Indiſtinctio
Diſſimilitudo	Similitudo
Diſproportio	Proportio
Diſcordia	Concordia
Diſtantia	Indiſtantia
Diverſitas	Nulla diverſitas
Diviſio	Indiviſio
Inæqualitas	Æqualitas
Longinquitas	Indiſtantia
Multiplex multiplicatio	Unitas.

Ad ♡. *revocantur.*

Amicitia	Inimicitia
Æqualitas	Inæqualitas
Conjunctio	Inconnexum
Copula	Sine nexu
Convenientia	Inconvenientia
Contractus	Sine contractu
Conſenſus	Inconſenſus
Societas	Sine ſocietate
Concentus harmonicus	Diſharmonia
Identitas	Diviſio
Paritas	Imparitas
Proportio	Diſproportio
Similitudo	Diſſimilitudo
Conformitas	Inconformitas.

Ad o●. *revocantur.*

Abrogatio	Sine abrogatione
Accuſatio	Sine accuſatione
Æmulatio	Sine æmulatione
Contentio	Sine contentione
Bellum	Pax
Contradictio	Sine contradictione
Diſſenſio	Conſenſus
Oppoſitio	Sine oppoſitione
Repugnantia	Irrepugnantia
Reſiſtentia	Irreſiſtentia
Pugna	Sine pugna
Pertinacia	Impertinacia
Privatio	Sine privatione
Diſcordia	Concordia
Omnia contraria	Vitium.

Ad α. *revocanaur.*

Agens	Patiens
Antecedens	Subſequens
Authoritas	Sine authoritate
Cauſa	Sine cauſa
Coactio	Sine coactione
Electio	Sine electione
Generatio	Sine generatione, ſterilitas
Influxus	Sine influxu
Initium	Sine initio
Origo	Sine origine
Prioritas	Poſterioritas
Productio	Sine productione.

Ad ⊙. *revocantur.*

Æquum	Iniquum
Æquale	Inæquale
Conjunctum	Diſjunctum
Comprehenſum	Comprehendens
Inſtrumentum	Sine inſtrumento
Meediocritas	Exterioritas
Menſura	Sine menſura
Pecunia	Egeſtas
Omne cujus ope aliquid perficitur.	Omnis defectus

Ad ω. *revocantur.*

Conſummatio	Deficienta
Corruptio	Incorruptio
Conſumptio	Sine conſumptione
Effectus	Cauſa
Eventus	Non eventus
Exilia	Non exilium
Mors	Vita
Terminatio	Interminum
Perfectio	Imperfectum
Privatio	Sine privatione.

Ad M. *revocantur.*

Sublimitas	Humilitas
Superioritas	Inferioritas
Eminentia	Abjectio
Excellentia	Demiſſio
Dominium	Subjectio
Univerſalitas	Singularitas
Regnum Imperium	Subditio
Magnificentia	Parvificentia
Gradus comparativus Gradus ſuperlativus	Gradus poſitivus.

Ad Æ. *revocantur.*

Æquitas	Iniquitas
Juſtitia	Inconſtantia
Paritas	Diſparitas
Commenſuratio	Incommenſuratio
Numerus	Unitas
Conformitas	Difformitas
Concordia	Diſcordia
Similitudo	Diſſimilitudo
Imitatio	Inimitatio.
Identitas	Diverſitas

Ad Minoritatem revocantur.

Infimum	Supremum
Inferius	Excelsum
Parvitas	Magnitudo
Indigentia	Ubertas
Paupertas	Divitiæ
Miseria	Prosperitas
Infirmitas	Sanitas
Fragilitas	Vis
Obedientia	Reluctatio
Imperfectio	Perfectio
Privatio	Non privatio
Omnis defectus	Sufficientia.

Usus hujus Tabulæ hic est.

Primo. Omnes hi termini in qualibet propositione vel locum habere possunt subjecti, vel prædicati, dum prædicantur de principiis universalibus.

Secundò. Quod per propositionem affirmativam probatum fuit, hoc per oppositos terminos destruitur. *V. Gr.*

Omne acceptabile est bonum.
Virtus est acceptabilis. Ergo bona.
Nullum inacceptabile est bonum.
Vitium est inacceptabile. Ergo non est bonum.
Omne inacceptabile est malum.
Vitium est inacceptabile. Ergo malum.

Verùm cùm hæc vel ex ipsa Tabula appareant, non opus est iis diutius inhærere: possunt autem hæc synonyma sive termini reducibiles omni proposito subjecto applicari. Vide quæ de hisce fusiùs in Primo Libro tradidimus.

CAPUT IV.

De modo dicta Artis nostræ Principia memoriæ mandandi.



UT Lector majori cum fructu in Artis nostræ exercitio procedat; ei ante omnia memoriæ mandanda sunt:

Primò, *Principia* tum *Absoluta* tum *Respectiva*, tum etiam *Subjecta Universalia*, unà cum *novem Prædicamentis*; quo quidem nihil facilius est; Cùm vel ipsæ initiales literæ statim suggerant principia absoluta, cujusmodi sunt B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. Signa quoque principiorum respectivorum ita disposita sunt, ut vel solo aspectu memoriæ mandari queant. Uti sunt: =. ♡. o●. α. ⊙. ω. M. Æ. Min.

Verùm ne quidquam sit, quod Tironem retardare queat, hîc per duo Disticha ea exhibenda duxi. Sunt autem Artis Principia *Absoluta.*

Suntque *Bonum*, *Magnum*, *Durabile*, summa *Potestas*,
Cognitio, *Volitum*, *Vis*, *Verum*, *Gloria* quævis.

Respectiva.

=. ♡. o●. α. ⊙. ω.
Differt, *Cor*, *Contra*, *Primum*, *Mediantia*, *Fines*,
M. Æ. Min.
Major, & *Æqualis*, minimis *Minor* omnibus esto.

Novem Subjecta Universalia ita naturalibus signis suis exhibita & expressa sunt, ut nihil facilius sit, quam ea menti & memoriæ imprimere. Uti:




Ubi, Triangulum, DEUM trinum & unum: Caput Angeli, Angelum: Circuli, Cœlum: Quadratum, Elementa: Figura humana, creaturam Rationalem: Figura animalis, naturam Sensitivam: uti & Arboris figura, Vegetativam; & Lapis, Mineralem naturam, signant. Puncta verò, omnis generis Instrumenta cum novem Prædicamentis exprimunt. Quæ in locis memoriæ artificialis collocata statim exhibebunt id, quod intendis.

Sed hæc uti nullam difficultatem habent, cùm vel sine ulla artificialis memoriæ applicatione, sola imaginationis vi addisci possint, ita iis inhærendum amplius non est. Quare, quomodo ex iis statim ex tempore quis, hisce impressis, de qualibet re differere possit, jam tempus est, ut doceamus.

Ponantur Artis nostræ Principia in pariete aliquo notissimi tibi cubiculi, eo quem figura sequens exprimit, modo, quem & imaginationi firmiter imprimes, & frequenter eum animo & imaginatione volves, donec perfectè possideas ordines singulorum recensitorum.

In me-



In medio Quadrati ponuntur ordine *Subjecta Universalia.*
In Angulo A. Quadrati, ponuntur ordine *Principia Absoluta.*
In Angulo B. ponuntur ordine *Principia Respectiva.*
In Angulo C. ponuntur ordine *Novem Prædicamenta.*
In Angulo D. ponuntur ordine *Quæstiones.*

USUS.

Medium Quadratum continet Subjecta Universalia propositionum, & ad ea omnes revocabiles terminos.

Quadratum A. continet Absoluta Principia, quæ sunt media propositionum.

Quadratum B. continet Principia Respectiva, quæ sunt prædicata propositionum.

Quadratum C. continet 9 Prædicamenta, quæ pariter sunt prædicata propositionum.

Quadratum D. continet Quæstiones; & ab his initium propositionum sumendum est.

V. Gr. Quæritur: *An*; *Quid*; *Cur* &c. *DEUS sit?* Si ℞. affirmativè; Recurre ad Quadratum A. illudque per B. principium absolutum ita ostendes:

Id à quo omnia participativè bona sunt, necessariò existit in rerum natura.
A DEO omnia participativè bona sunt.
Ergo DEUS necessariò existit in rerum natura.

Deinde procedes ad M. dicendo.

Illud in rerum natura necessariò existit, à quo omnia participativè magna sunt.
A DEO omnia participativè magna sunt.
Ergo DEUS existit.

 Et hoc

Et hoc pacto per omnia principia procedes, habebisque novem Syllogismos.

Deinde Quæratur; *An DEUS differat?* Recurres ad Quadratum B. & sic argues, miscendo principia absoluta cum respectivis.

Omne bonificativum differt à bonificabili.
DEUS est bonificativus.
Ergo differt. &c.

Et hoc pacto procedes per omnia principia absoluta miscendo ea cum principio ☰.

Deinde quæres; *An DEUS concordet cum omnibus?* ℞. Affirmativè; & sic argues.

Quod unit & connectit omnia miro ordine, illud est concordans cum omnibus.
DEUS miro ordine connectit omnia.
Ergo.

Et sic de cæteris principiis respectivis procedito.

Quæritur. *An DEUS sit quantus?* ℞. Negativè; & probatur per Quadratum C. novem prædicamentorum hoc pacto.

Hoc quod sub mensuram non cadit, quantum esse non potest.
DEUS sub mensuram non cadit. Ergo.

Hoc pacto probabis, DEUM qualitatibus non subjici; referri intrinsecè ad Filium & Spiritum Sanctum; agere, non pati; ubique esse; tempori non subjici. &c.

Peracta quæstione *An*; procede ad Quæstionem, *Quid.* quid DEUS sit, quantus, qualis? &c. quæ prorsus eadem ratione per principia deduces.

2. Si deinde pro subjecto accipiatur . eodem prorsus modo procedes; primò quærendo medium terminum in quadrato A, & inter easdem literas prædicatum. *V. Gr. An Angelus bonus sit?* ℞. Affirmativè. & probatur:

Omne diffusivum sui est bonum.
Angelus est diffusivus sui. Ergo.

Et sic per reliqua principia ordine progredieris.

Secundò Quæritur: *An Angelus ab Angelo differat?* ℞. Affirmativè, & sic probatur per Quadrata A & B.

Omne quod diversam Bonitatem, M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G. habet, illud differt ab alio.
Angelus ab alio Angelo diversam Bonitatem &c. habet. Ergo differt &c.

Deinde idem per Quadratum C, & Quadratum D. ostendes. An Angelus quantus, qualis &c. sit, quomodo in loco, tempore, situ, habitu, existat?

3. Si de Cœlo Quæstio fiat: *An illud bonum sit?* ℞. Affirmativè, & eadem per Quadratum A. & Quadratum B. & Quadratum C. & Quadratum D. dicto modo demonstrabis.

4. Pari pacto procedes, si de elementis Quæstio fiat, aut de

Nota tamen, ut majorem quis in hoc negotio terminorum copiam habeat; pari pacto memoriæ mandandos esse terminos ad unumquodque principium revocabiles, cujusmodi paulò ante, tum etiam primo, secundo & tertio Libro tradidimus; si enim horum imagines in locis oportunis datâ opera in hunc finem selectis posueris, dici vix potest, quantum illæ facilè excitent phantasiam ad omnia sub iis contenta memoriæ infigenda.

Sed demus Exempla per Hieroglyphica quædam.


B. Pro *Bono* itaque pones figuram manus explicatæ, qua veteres Ægyptii liberalitatem, munificentiam, beneficia, & quidquid acceptabile, conveniens, congruum, honestum, utile est, explicabant.

M. Pro *Magno*, ponatur figura hominis extensis brachiis, quod extensio & quidquid ad extensionem, quantitatem pertinet, omnes mensuræ, & quicquid capax, amplum, affluens, revocentur.

D. Pro *Duratione* ponatur Clepsydra, qua omnia, tum quæ ad tempus, æternitatem, æviternitatem, horas, dies, hebdomadas, menses, annos, extrinsecam, tum quæ ad intrinsecam durationem pertinent, signantur.

P. Pro *Potentia* ponatur brachium sceptro insignitum, quo potestas, dominium, imperium, principatus, tum naturales potentiæ signantur.

S. Pro *Sapientia* ponatur oculus, quo omnia ea, quæ ad scientias, cognitiones, intellectualia, artes, disciplinas pertinent, significantur.

Vo.  Pro *Voluntate* ponatur pomum, cujus appetitu & desiderio Protoplasti perdiderunt Mundum, & omnia ea, quæ quovis modo desiderabilia sunt, omnia pulchra, amabilia, bona tam vera, quàm apparentia signantur.

Vi.  Pro *Virtute* ponatur bilanx, qua mediocritas in omnibus virtutibus, & omnia quæ quovis modo ad virtutes sive vires morales, naturales, intellectuales, revocari possunt, signantur.

Ve.  Pro *Veritate* pectus apertum ponatur, quo nudo conspiciuntur omnia, & quo omnes veritates & conformitates significantur.

Pro *Gloria* ponatur Caput Coronatum, quo omnis gloria, exaltatio, sublimitas, gaudium, quies, indicantur. G. 

Respectiva principia signa habent per se nota, quibus in memoriam revocant omnia illa, quæ ad ea quovis modo revocari possunt; ut proinde aliis signis opus non sit.

Hæc signa ad eò feliciùs memoriæ mandanda, in cubiculi parietibus eo modo, quem tibi ars Mnemonica suggeret opportuniorem, describes, & hæc tibi sufficientissimam materiam præbebunt terminorum ad novem principia absoluta reducibilium. Sed de hisce forsan alio loco & tempore amplior dabitur dicendi materia. Hæc interim sufficiant ad nonnullam Artis nostræ terminos memoriæ mandandos instructionem.

CAPUT VI.

De Modo Artem nostram docendi.

1. Quicunque voluerit Artem hanc nostram docere alios, eum ante omnia Alphabeta in præcedentibus exposita callere oportebit, & memoriâ tenere omnia, quæcunque in iis traduntur.

2. Tabularum & Cyclosophicæ Artis peritiam habeat, ut statim ex commutatione Circulorum id, quod quæsitum fuit, invenire possit; his enim totius Artis nucleus, omnis terminorum mistura, quicquid tandem sub cognitionem humanæ mentis cadit, continetur.

3. Terminos ad principia reducibiles promptissimos habeat; sine his enim nihil in Arte dignum efficiet; cùm omnes ferè quæstiones non per explicitos in Arte sed per implicitos dissolvantur.

4. Discipulis suis Magister varias proponat quæstiones, easque solvat rationabiliter secundum Artis processum; Deinde pari modo tironibus alias solvendas proponat; ut sic ad discursus faciendos assuefiant.

5. Antequam discipuli ad hanc artem sese accingant addiscendam, primò Alphabeta eos callere necesse est, unà cum Quæstionum Regulis; sine his aquam in cribrum infuderis.

6. Magister incipiat à facilioribus & simplicibus quæstionibus per simplicia principia solvendis; deinde procedet ad terminos compositos, quibus quæstionem propositam urgeat per terminos implicitos, sive ad principia reducibiles, variaque terminorum combinatione, immutatione; contrariorumque sive oppositorum arte eos ampliet.

7. Terminos principiorum tam explicitos quàm implicitos per Resolutionem & Compositionem, eo modo, quem in Arte Analytico-Synthetica docuimus, deducat.

8. In iis Subjectis, quæ terminorum quorundam incapaces sunt; ut Cœlum Sapientiæ incapax est; talia inquam per Artem Analogicam, secundum aliquam similitudinem tropicè vel allegoricè illi applicanda sunt, per instinctum Cœlo naturalem.

9. Principia non omnibus aliis semper sunt applicanda, sed videndum, quænam quæstioni propositæ magis competant, eamque scitiùs exponant; De quibus affatim in Libro primo.

10. Sicuti non omnes iisdem artibus & disciplinis afficiuntur, ita neque omnes huic Arti nostræ aptos esse censeat. Videndum igitur est, ut discipulos sortiatur bonæ mentis, perspicaces & ingenio pollentes, cum inclinatione quadam naturali ad arcanas rerum scientias pronos. Ineptum enim, & alienum ab hujusmodi studiis erudire, idem foret, ac asinum ad lyram adaptare.

11. Pro-

11. Proponat ſubinde diſcipulis extemporaneas quæſtiones ſolvendas, primò per Alphabetum in principio hujus Libri poſitum. Secundò eaſdem ſolvendas cum multiplicatione rationum per Tabulas, Orbes. Tertiò, per Reſolutionem & Compoſitionem. Quartò, per Analogicam Artem.

12. Inſtituat eos primo in Arte memoriæ, ad omnia Artis principia faciliùs & tenacius memoriæ mandanda, juxta modum paulò ante traditum.

13. Ante omnia, ſi ſcientiarum ignari ſint, iis tradat principia, ſive illa Theologica, ſive Metaphyſica, ſive Phyſica, Ethica, Politica, ſive Mathematica, Juridica ſint. Objecta, Subjecta, Definitiones, Diviſiones ſingularum iis primò exponat, eo modo, quem nos in exordio Capitum per Artium & Scientiarum paradigmata tradidimus. Qui enim Scientiæ nullius quoad principia notitiam habet, illum ad propoſitam quæſtionem reſpondere impoſſibile eſſe nemo non videt.

15. Terminis Quæſtionum non utatur Lullianis, ſed eos, quantum fieri poteſt, applicet ad terminos in Scholis paſſim uſitatos; uti enim illi vix intelliguntur, ita mirificè confundunt Tironem; Mox verò ubi illi hiſce ritè applicati fuerint, magnum ſanè lumen adferent, ad rerum quæſtionumque uſitatarum notitiam.

Atque hæc ſunt pauca illa præcepta, quæ à Magiſtro, & hujus Artis Doctore cumprimis obſervanda ſunt, niſi omnem in docendo operam ludere velit.

CAPUT VII.

Paradoxa, quæ ex hac Arte naſcuntur.

FInita totius Artis expoſitione, in Secundo Tomo tradere conſtitueram eum modum, quem jam dudum Lulliſtæ plenis buccinis in ſuis monumentis deprædicarunt: videlicet, methodum adeò facilem & expeditam, ut ea pueri decennes, impuberes etiam & idiotæ exiguo tempore ad omnem ſcientiarum aſſecutionem pertingant. Quæ res prima fronte meritò incredibilis & paradoxa videtur.

Quam itaque illi methodum forſan nunquam, non dicam docuerunt, ſed neque in mentem iis venit; nos hoc loco tradere uti dixi conſtitueramus; ſed conſultò amicorum Principum ſollicitatione id differendum cenſuimus, tunc eum publici juris primùm facturi, ubi hoc præſentis Libri exhibitum ſpecimen haud lividis oculis exceptum fuiſſe, intellexerimus.

Methodus autem in hoc conſiſtit. Ciſtam conficimus in varia receptacula diſtinctam, in qua omnium ſcientiarum rationes ita exhibentur in tabulis conſcriptæ, ut de quo quiſpiam argumento diſſerere, fuerit interrogatus, per variam tabellarum transſlocationem, applicationeſque multiplici combinationum ſerie factas, innumera mox argumenta, ad quæſtionem propoſitam quàm fuſiſſimè per Syllogiſmos univerſales & demonſtrativos deducendam, ſit reperturus; Haud ſecus ac in Muſurgia noſtra præſtitimus, qua unuſquiſque etiam Muſicæ imperitus ad quamlibet melodiam artificioſè concinnandam vel unius horæ ſpatio, aptus ſit. Iterum eodem prorſus modo & ratione qua quiſpiam vel unico ſolummodo idiomate inſtructus, cum omnibus tamen totius mundi nationibus & populis per literas communicare & correſpondere poſſe docetur; quod novum repertum anno 1663. per Librum cui titulus Polygraphia nova & univerſalis, publici juris feci. Pari ratione in hac Arte fieri cenſeri debet: Eo autem ordine ſingula argumenta ſunt collocata, ut majori vel minori propoſitione negata, ſtatim alia complura ad utramvis propoſitionem negatam comprobandam, parata habeas; Atque hoc in omni ſcientiarum genere.

Hujus itaque Artificii inventioni dum ſollicitiùs ardentiuſque incumberem, nova & nova ſemper, ſuperni luminis ductu, admiranda & hucuſque non viſarum rerum technaſmata detecta ſunt. Veluti

1. 2. Duplex modus novi Artificii Linguarum omnium; quorum prior docet, omni linguarum genere epiſtolas conſcribere; alter eſt, omnium linguarum ad unitatem reductio, Artificium mirificum non niſi palmari arcula concluſum, quo quiſpiam cum omnibus totius orbis nationibus, literis reciproca negotiatione communicare poterit.

3. Hoc excipit Steganographia univerſalis, qua quiſpiam cum altero correſpondente occultos animi conceptus communicare poterit, tanta ſecreti profunditate, ut nullus adeò ſit ſagax humani ingenii conatus, qui arcanum mentis negotium penetrare poſſit; idque innumeris modis & rationibus. Quæ omnia jam in gratiam inſtan-

inſtantium Principum edita ſunt, ſub titulo Polygraphiæ novæ & univerſalis.

4. Arcanum Phyſiognomicum, quo omnes temperamentorum diverſitates juxta octuplicem graduum differentiam ita ordine expoſitæ ſunt, ut quilibet de cujuſlibet alterius temperamento & inclinatione naturali, de omnibus, quæ in tali & tali temperamento per externa ſigna elucent, verum judicium aſſignare poſſit.

5. Nova Muſurgia, qua univerſali quadam ratione, & dato quolibet harmonico ſtylo, quiſpiam etiam Muſicæ imperitus impoſitum ſibi munus implere poſſit, per Compoſitionem Melodiarum 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. uſque ad 20 Vocum, in Choros quotlibet diſtributarum; idque ſtylo omnivario, recitativo, motectico, orchematico, tonoque quolibet verbis proportionato.

6. Arca Mathematica, qua unusquiſque in quacunque Matheſeos ſcientia, Arithmetica, Geometria, Aſtronomia, cæteriſque hiſce ſubordinatis ſcientiis datæ quæſtionis per extemporaneum computum arithmeticum, geometricum, aſtronomicum ſatisfacere poſſit.

7. Artificium Rhetoricum, quo quiſque de quocunque argumento Orationem ex tempore diſponere poterit.

8. Poëticum. Quo quiſque etiam Proſodiæ imperitus hac Artis noſtræ fretus fiducia, carmina de quacunque propoſita materia producere poſſit.

Innumera alia ex hiſce inveniri poterunt; uti Medicina, Chymica; ſed quia ea ſuo loco & tempori ſunt reſervata, hîc ea Lectori tantùm inſinuanda duxi, ut ingentem hujus Artis fœturam luculentius perſpiceret.

Cur verò ea difficulter lucem ſint aſpectura, cauſa fuit tum aliorum Principum, tum Ferdinandi III. Auguſtiſſimi Mecænatis Voluntas, qui cum de rei veritate à me certior fuiſſet factus, minimè expedire judicavit, ut hujuſmodi arcana, non niſi Regibus & Principibus digna, ſive ad emolumentum publicum, ſive ad propriam mentis recreationem conducentia, per evulgationem lippis & tonſoribus nota, deſpectui haberentur; quod & complures alii ſenſati Principes comprobarunt.

Ne verò plura dixiſſe videar, quàm aut modeſtia religioſa, aut ipſa rerum veritas poſtulet, quæ dixi, Auguſtiſſimo Cæſari Leopoldo I. Mecænati munificentiſſimo dicta omnia Artificia apparo; ut habeat, quo ingenium à Mundi mole, qua continuo premitur, ſubinde liberare, ſeque relaxare poſſit.

Atque hæc ſunt, quæ de paradoxis ex Arte noſtra inventis, paucis Lectori indicanda duxi.

EPILOGUS.

Artem tandem noſtram divini Numinis favore abſolvimus; ut proinde aliud non ſit reliquum, niſi ut ſublatis in Cœlum oculis Tibi Triuni rerum omnium Conditori DEO, debita laudum præconia concinam. O Mens Illuminatrix, Arcanorum Arbiter, totius Fons Scientiæ, & æternæ Lux Veritatis, DEUS Optime, Maxime.

B. Ecce Tu, quia Bonus es, nullo indigens bono; ut bonum quod vellem & velle & poſſe dediſti.

M. Et quia Magnitudinis tuæ nec numerus, nec finis eſt, ut & ego cinis & pulvis, magnum quid auderem, inſpiraſti.

D. Et quia in Æternitatis tuæ abyſſo reſidens omnia in omnibus operaris; ut æternarum veritatum rationes inquirerem, me incitaſti.

P. Tu, quia Omnipotens es, ut quod ad gloriam tuam manifeſtandam fieri poſſe cogitabam, poſſe dediſti.

S. Et quia ſplendor es Lucis æternæ, & lucem habitas inacceſſibilem, caliginoſum intellectum illuſtraſti, & ut Sapientiæ tuæ ſemitas inquirerem, quàm acerrime ſtimulaſti.

Vo. Et quia amabilis Pulchritudo es, me ad Te ſolum poſſidendum inæſtimabili amoris vi attraxiſti.

Vi. Tu, cujus Virtute conſiſtunt univerſa; vires, ut quod cœperam, perficerem, contuliſti.

Ve. Et quia Veritas es, & totius naturæ regula, ratio rationum, mihi, ne fallerer, leges præſcripſiſti.

G. Et quia Tua Quies, & gaudium Tu ipſe es, ut in uno Te quieſcerem, feciſti.

Tibi itaque ſacrifico hoſtiam laudis, Tibi omnium creatarum rerum vocibus pſallam.

=	Qui differentiæ & virtutis in tuis creaturis authores.
♡	Qui diversa solus in unum concordare nosti.
○●	Qui potestas es contrariorum conciliatrix.
α	Principium.
⊙	Medium.
ω	Finis omnium.
M.	Major omnibus.
Æ.	Omnia æquans.
Min.	Sine quo in nihilum abeunt omnia.

Sed & hoc intelligere quis hominum dabit homini? quis Angelus Angelo? quis Angelus homini? à Te petatur, à Te quæratur, ad Te pulsetur; sic accipietur, sic invenietur, sic aperietur. Amen.



SERIES

SERIES & SUMMA
TOTIUS OPERIS.

SEU

Index Librorum, Sectionum, Capitum, Paradigmatum, Tabularum, &c. quæ hoc Tractatu continentur.

ARTIS MAGNÆ SCIENDI
sive COMBINATORIÆ

LIBER PRIMUS, ISAGOGICUS.

Quo Ars Magna Lulliana examinatur, commissi ab eo defectus indicantur, Artis Magnæ structura nova exponitur, Elementa & principia declarantur, Canones & præcepta præscribuntur, Totius tandem Artis methodus & ratio ob oculos curiosi Lectoris per varia Paradigmatum specimina ponitur.

PARS I.

De Artis Magnæ, sive Combinatoriæ, modo, definitione, inventione, propagatione.

PARS II.

Expositio brevis Principiorum Artis Lullianæ.

LIBER SECUNDUS.

Quo Nova Methodus Lulliana, facilior, aptior atque expeditior in meliorem formam reducitur.

PARS I.

Modus & ratio novæ doctrinæ exponitur.

PARS II.

De Definitione, Divisione, Applicatione Principiorum Absolutorum, quæ sunt B. M. D. P. S. Vo. Vi. Ve. G.

INDEX.

PARS III.

Definitio, Divisio, Applicatio Principiorum Respectivorum.

PARS IV.

De novem Subjectis Universalibus, quæ sunt:

Deus. Angelus. Mundus, Cœlum. Elementa. Homo.

Natura Sensitiva. Vegetativa. Inanimata. Accidentia.

Præfatio, explicans Arborem Substantiarum.

CAP. VII.

Liber Tertius.

Lullianæ Magnæ Artis methodi à paucis hucusque intellectæ novam & sinceram expositionem continens. Qua Artis Magnæ Lullianæ arcana in lucem eruuntur: Alphabeti mysteria exponuntur, & variis exemplis ex omni scientia depromptis demonstrantur.

Pars I.

De Alphabetis eorumque applicatione.

Pars II.

De Regulis Artis nostræ.

PARS III.

Ars Magna applicata per Paradigmatismos universales. Sive CLAVIS ARCANORUM, Qua ad omnium Scientiarum, Artium & Facultatum intima penetralia aditus paratur.

LIBER QUARTUS.

Quo veluti proprio loco Artis Combinatoriæ modus & ratio exponitur.

PARS I.

De Combinatione terminorum tam simplicium, quam compositorum.

INDEX.

LIBER QUINTUS.

Quo Divisio Scientiarum Principiorumque ad eas assequendas necessariorum, eorumque unius ad alteram, singularumque ad singulas Combinatio traditur.

PARS I.

De Scientiis modisque eas acquirendi.

PARS II.

De Arte Analytico-synthetica, sive de Compositione & Resolutione Rerum.

TOMUS II.

ARTIS MAGNÆ
SEU
COMBINARORIÆ SCIENDI.

Quo omnia quæ in præcedenti Tomo per Regulas & Canones descripsimus, hic ad Praxin per Exempla ad omnes Artes & Scientias applicata reducuntur. Estque Practicus & Paradigmaticus omnium eorum, quæ sub Quæstionem cadere possunt.

LIBER SEXTUS.

Theologia Combinata, sive Applicatio Artis nostræ ad Theologicas disciplinas, nova methodo, eâque facillima, acquirendas.

SECTIO I.

Prælusiones ad Theologiam.

SECTIO II.

Praxis per Tabulam Combinatoriam Universalem suprà Lib. 1. pag. 14. positam.

SECTIO III.

De Mysterio Incarnationis.

LIBER SEPTIMUS.

Paradigmata Artis nostræ ex Metaphysicâ, Logicâ, seu Dialecticâ, Physicâ, Medicinâ, exhibet.

SECTIO I.

Metaphysica applicata.

SECTIO

LIBER NONUS.

Paradigmata Facultatis Asceticæ, Controversiarum Fidei, & Rhetoricæ exhibens.

SECTIO I.

De Facultate Ascetica.

SECTIO II.

De Controversiis Fidei.

SECTIO III.

Rhetorica.

LIBER DECIMUS.

Paradigmata ex Jure Canonico, Theologia Positiva & Morali exhibet.

SECTIO I.

Jus Canonicum applicatum.

SECTIO II.

Theologia Positiva.

SECTIO III.

Ex Morali Theologia, sive ex Casibus conscientiæ, Paradigma.

INDEX.

Liber Undecimus.

In quo Doctrinæ variæ variis modis amplianda methodus traditur.

FINIS.

Hypomnema ad Lectorem.

NE offendatur Lector Benevolus, quod cum Titulus, ac Idea Operis, sub initium exhibita, XII. Libros præferat, in ipso Volumine XI. tantum numerotenus appareant: siquidem adjuncta hac in parte Authoris monitione seu Ms. correctione, ei qui typos disposuit, seriùs animadversâ, factum est [errore utique, utcunque innocuo] ut Liber Sextus qui esse debuerat, alteram partem Quinti constituere deprehendatur. Cæterum sicubi fortè errata Typographica subrepsisse contigerit, ea tanti momenti non erunt, quin à prudente Lectore facile emendari possint.